1

IVLII CLEMENTIS SCOTI

COMITIS PLACENTINI &c.

Animaduerſionum

OPVSCVLA TRIA;

Quibus annexa ſunt

Alia Duo

DE OPINIONVM PROBABILITATE &c.



IVLII CLEMENTIS SCOTI

COMITIS PLACENTINI &c.

Animaduerſionum

Opuſculum Primum;


Quod in Duodecim Capita tribuitur:
In quorum ſingulis

Animaduerſiones Quinquaginta
Reponuntur



Scilicet Pro

Cupiente in Scientijs Proficere.
Laudem in Scientijs Aſſecuto.
Tuenda Scientijs Vacantis Sanitate.
Fouendis Scientiarum Studijs.
Libros Scribente, ac Vulgante.
Libros Legente.
Libros Amicè Recognoſcente.
Oratoriæ Facultatis Studioſo.
Chriſtianę Oratorię Facul. Studioſo.
Poeſis Studioſo.
Hiſtoriæ Studioſo.
Grãmaticę, ac Latinę Ling. ſtudioſo.









PATAVII, Typis Sebaſtiani Sardi. Anno IVBILAEI M. DC. L.

Cum Superiorum Facultate.

INDEX CAPITVM
OPVSCVLI PRIMI.

INDEX CAPITVM
OPVSCVLI PRIMI.

ANimaduersionum Opuscula Tria ab Illustriss. Iulio Clemente Scoto Comite Placentino elucubrata Fr. Iacobus Roncallius à Mondaino Regens Collegij D. Antonij Patauini de mandato Ad. R. P. Mag. Petri Martiris Rusca S. Inquisitionis Vicarij Generalis Patauij vidit; in quibus cum nihil contra Bonos Mores, Sum. Pont. decreta, & Sereniss. Principum sanctiones repertum sit, ad prælum non esse eis viam præcludendi existimauit; quippe quæ saluberrimis monitis referta, doctrina, & eruditione ditissima, cum rerum grauitate stili maiestatem seruant; ita vt ex eorum lectione, legentium animos ad Dei amorem, virtutum cultum, morumq; probitatem inflammari posse creditum sit: In quorum fidem &c.

Datum Patauij die 19. Februarij 1650.

Fr. Iacobus Roncallius.

Impr. Vic. General. S. Off. Paduæ.

Noi Riformatori dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del R. P. Vic General. del S. Officio di Padoa, che nel Libro intitolato (Iulij Clementis Scoti Comitis Animaduersionum Opuscula tria) non si contiene cosa alcuna contra la S. Chiesa Catolica, & parimente per attestato del Secretario nostro niente contra Prencipi, & buoni costumi; Concedemo Licenza, che sia stampato, douendosi osseruar le Leggi in questo proposito, & presentarne due copie, l'vna per la Libreria di Venetia, & l'altra per quella di Padoa. In quor. fidem &c.

Dat. à 27. Febraro 1649.

Pietro Sagredo Procurator Rif.

Girolamo Lando Caualier Rif.

Aluise Querini Seg.

EMINENTISSIMO, ac REVERENDISSIMO
S.R.E. CARDINALI

CHRISTOPHORO VIDMANNO

IVLIVS CLEMENS SCOTVS
Placentinus &c. F.P.






A viget Humanitatis, ac Liberalitatis Tuæ Fama, *Princeps Eminentissime*, vt Omnes vbique gentium ad Tui Amorem, Obseruantiamq; suauissimè pertrahat. Fuere quondam Ecclesiastici à Pijssimis, Sanctissimisque Viris de Superbia, & Auaritia nominatim reprehensi; eoq; acerbiori animaduersione illos existimauere dignos, quò Ecclesiasticos arbitrati sunt teneri præ cæteris ad *Christi* Virtutes suis delineandas moribus, qui *semetipsum vsq; ad Crucis mortem humiliauit*; ac in eadem Cruce, ne dum *Vestimenta* sua *Militibus*, sed & *Sanguinem*, qui post mortem ipsam superfuerat, Nobis munificentissimè fuit elargitus. Nota huiusmodi est longè à Te remotissima, *Cardinalis Amplissime*, qui in Vniuersos non verbis tantummodò, verùm etiam re ipsa es officiosissimus; Nullumq; de Te peculiariter vis benemereri, in quem Tuæ Liberalitatis Illustrissima non exhibeas Argumenta. Harum admirator Virtutum hæc Quinque Opuscula eodem tempore, vt pote inter se connexa, in publicum emanantia Tuo inscribo

Nomi-

Nomini , CHRISTOPHORE VIDMANNE , qui inter *Purpuratos Patres* , *Venetosque Patricios* optimo sane iure ob præclarissimas animi Tui Dotes numeraris. Si alio nomine illa haud sint Tuo digna aspectu, eo saltẽ puto tibi grata fore, quod à Viro in Catholicã *Ecclesiam*, *Venetamq́; Rempublicam* propensissimo , instar Maiorum suorum nunc etiam Viuentium , prodeant. Nihil mihi enimuero iucundius modò fuerit, quam si Tu hæc Opuscula hilari Vultu , benignoq́; Sinu excipiens , me in *Tibi*, *Tuaq́;* Illustrissimæ , ac Excellentissimæ *Familiæ* , nominatimq́; Comitib. LVDOVICO, MARTINO, & DAVIDI, addictissimorum numero reponas. Te ad Romanæ Ecclesiæ , ac Venetę Nobilitatis decus amplioribus adhuc Fortunis , nec non Honoribus, exornet *Deus*, Humanissime , ac Liberalissime Princeps . Vale.

LECTORI
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
Comes Placentinus &c.
S. P.



Ntequam hæc Opuſcula à me modò publicæ luci expoſita, aliaque in poſterum exponenda euoluas *Lector*, Te etiam, atq; etiam rogo, vt ſubſequentia ſedulò attendas.

1. *Ne plùs æquo ſis in me Beneuolus*; Nam de his, quæ forſan Correctione, vel Accuratiori Explicatione digna erunt, non me ſalubriter monebis, imò & illa ab omni errore vindicare, nihilque illis iure poſſe addi, vel detrahi euincere, præter conſilium meum eniteris. *Cæca eſſe Amantium Iudicia* pronunciauit olim *Theophraſtus* à S. *Hierony. Proem.* in 3. *lib. Oſ.* laudatus. Rei Amatæ næuos nô conſpicit *Amor*, quippe qui *Cæcus eſt*. Aptius tibi illa *S. Auguſt.* verba Ep. 7. quā ipſe *Marcellino*, tibi ſuggero. *Si talem me aſſeris, vt me nuſquam ſcriptorum meorum erraſſe dicas, fruſtra laboras; non bonam cauſam ſuſcepiſti; facilè ea in re, meipſo iudice, ſuperaberis; Quoniam non mihi placet, cum à chariſſimis meis* talis eſſe *exiſtimor, qualis non ſum; Profectò enim non me, ſed pro me alium ſub meo* nomine *diligunt, ſi non quod ſum*, ſed *quod non ſum diligunt.* Licet ex *S. Ambroſio Ep. 63.* nouerim, *Vnumquemq; fallere ſua ſcripta, & auctorem præterire: Atque vt Filij etiam degeneres delectant Parentes; ſic etiam Scriptores indecoros* quoq; *ſermones palpare*; In Mea tamen non ſum adeo propenſus, vt ſi in aliquo me erraſſe me ipſo doctior factus deprehendero, vel de errore humaniter quilibet me certiorem fecerit, errata tueri velim. Fatebor illa vltro; in alijs etiam editionibus retractabo: Imò gratias agam Summas benigniſſimo Correctori (quod & in fine *Triū Opuſculorum*, quæ anno 1647. edita fuere, ſum profeſſus) qui Veritatis facem ſuę ſplendoribus doctrinæ mihi prætulerit; quam certè mihi ſubtrahent, in me Conuiciorum, vel Iniuriarum, vel Detractionum tenebræ, quarum Auctor tantummodo poteſt is eſſe, qui *Tenebrarum Pater* allegoricè vocari ſolet. Sapienter *Auguſt.* eadem *Epiſt.* hæc habet. *Si aliquid incautius, vel indoctius à me poſitum eſt*, quod *non ſolùm ab alijs, qui videre id poſſunt, meritò reprehendatur; verum etiam à me* ipſo, quia *& ergo ſaltem poſtea videre debeo, ſi proficio; nec mirandum eſt, nec dolendum*, ſed potius ignoſcendum, atq; GRATVLANDVM, non *quia erratum eſt*, ſed *quia improbatum*,

Absit à me illa *felicitas*, quam (vt scribit *Tertull. c. 39. de Præsc.*) habent aliqui *in excogitandis, instruendisque erroribus*, illisque tuendis. Nunquam animo meo illa Pilati pertinacia insideat dicentis, *Quod scripsi, scripsi*. Reprehendit ipsemet *Cic. 2. Tuscul.* Philosophos illos, *qui etiam, quæ probare non soleant constantiæ* (siue potius pertinaciç) *causa coguntur defendere*, Nec illa me vnquam *inflet* scientia, quæ libros meos instar aliquorum velim in actu exercito esse paris cum Sacris Codicibus Auctoritatis. Nec de suis, nec de aliorum Catholicorum, ac laudatorum hominum scriptis ita sensit summæ pietatis, summiq; inter cæteros ingenij Augustinus; cuius verba nominatim legantur *Ep. 3. & 19. lib. 1. de Trinit c. 2. & 3. de Bon. Perseu. c. 21. &c.* Ne tuus ergo, Lector, in me *fauor* (vt *Senec. de Tranquil. An. c. 8.* loquitur) *Iudicio officiat*. Nollem ego Te de eodem iure merito arguere, de quo amicum *Seuerum* S. Paulin. Ep. 2. arguit. *Expostulandi causa* est, inquit, *quod te multa dilectio vsque ad mendacij peccatum trahit, onera nostra iniustis laudibus cumulans; arguam te in Caritatem de Caritate peccare &c.*

2. *Multò minùs* mihi sis Infensus; vel Odij, Inuidiæ, aliòue prauo in me animi motu percitus; secus enim *commendanda* quoque vituperabis; *laudes* mihi debitas subtrahes, vel illas pro viribus imminues; inuestigabis tantum, *si quæ* minus bene dicta, illaq; exaggerabis; *sapienter* vulgata silebis, aut frigidè laudabis; *imò si* aliqua laudaueris, eo consilio laudabis, vt faciliorem tuis in me probris fidem concilies; *conditionatè*, ac *optatiuè* pronũciata, absolute, & Indicatiuè asserta declarabis; *genericè* dictis certa personarum genera designari existimabis, publicabisque; *reprehendes*, quia à me allata, quç ab alijs, & ab ijsdem, qui vrgeri tibi videntur, allata, imò & edita sunt; *quemcumq;* ferme apicem obseruabis, vt saltem in Grãmatica, vel Ortographia imperitę apud scientiarum imperitos, & qui Voces, non Res attendunt, me damnare possis; *iubebis* aliquos, dum tibi id non licuerit, quaslibet voces meas discutere sedulò, vt accusationis materia tibi suppeditetur; *à me prolatis* forsan ambiguè, & quæ rectam admittere possent interpretationem, prauum tribues sensum; *particulas*, ac Voces nonnullas à me consultò appositas, quæ commendabilia reddunt à me scripta, cæteroqui vituperanda, ex industria non animaduertes, nec alijs expones de mea doctrina illos certiores faciẽs; *sedulò curabis*, ne hæc, sicut & alia, emantur Opuscula, aliqua etiam euulgans, quç parum prudentes ab hoc remoueant; *omnes demum industriæ neruos* intendes, vt mihi, & à me editis notam inurere aliquam possis. *Pietatem ingeniosam* esse scripsit *Cassiodor. lib. 5. Var. Ep. 15.* At *Odium* æquè saltem ingeniosum experientia teste. Huiusmodi tamen *ingenium* vituperabile: Quo destitui summa laus est; vnde & illud *Quintil. lib. 1. c. 3.* Prius duxerim tardi esse ingenij, quam mali. Conqueritur S. *Nazianz.* in *Orat. de se ipso*, Quod *ex alienis affectibus æstimaretur*: Qui post pauca, se ipsum veluti consolans, hæc subdit; *Non ita alijs videtur*,

ais;

ais; Quid verò? An ijs, qui vertigine correpti sunt, Terra fixa, & stabilis esse videtur. An ebrijs sobrij integra mente esse, & non potius in caput incedere, ac sursum, deorsumque moueri? An non quibusdam interdum hominibus mel amarum est, nempe morbo laborantibus, maleque affectis? An non propterea res ita se habet, vt qui hoc statu, sunt, arbitrantur? Quocirca fac potius fidem, sanos eos esse, qui de nobis ita sentiunt, *ac tum nos admone, vt meliorem mentem induamus &c.* Hominibus huiusmodi nunquam Vir Prudens fidem habebit; nam non solum *professę inimicitiæ* teste S. Hier. lib. 1. ad Ruf. *suspicionem habent mendacij*; verum etiam *Odium*, *& Animi Improbitas* (vt optimè idem *Nazianz. Orat. 2. de Pace*) *Rationi Tenebras effundit*, ob *quam ne vituperatio quidem fidem vllam*, *& auctoritatem habet*. Vtinam nulli me vnquam tam acri prosequantur odio, vt *ijdem* sint *accusatores*, & *defensores*, hoc est, *in alijs probent* (sic inquit *S. Hierony. lib. 2. aduers. Ruff.*) *quod in me reprobant*, quasi virtus, & *vitium non in rebus sit, sed cum auctore mutetur*; meaque dicta, gestaue illorum verè innixa principijs publicæ expositis luci vituperent, atque etiam appellent impia, scandalosa &c. Quid si *Odio Inuidia* quoque esset annexa? Hoc equidem vitio, vt pote abiecti, seruilisque animi, non posse homines verè doctrina, ac Virtute præstantes laborare censuit (qui id forsan à *Philone* accepit in fine *lib. de Nobilit.* dicentis *Sapientum animos non subit Inuidia*) *Mascard. de Art. Hist. c. 4. Tr. 2.* ideoque *Plin. in fine Epist. 10. lib. 1.* inquit, *Neque ego*, vt multi, inuideo alijs bonum, quo ipse careo, sed contra sensum quemdam, voluptatemq; percipio, si ea, quæ mihi denegantur, amicis *video superesse*; Multi tamen, qui inter Doctos numerantur, aut se numerant, sordido huiusmodi crimine obstricti sunt. Æquis hi oculis virtutes, ac scientias in alijs aspicere nequeunt, ideoque has in illis eleuare conantur. Hinc eorum dictis nulla fides habenda; *Quiuis* enim *Inuidia compellitur falsum appellare* (sic *S. Ambros. in c. 1. Ep. 1. ad Timoth. ait*) *Quod scit verum.* Plerumque *inuidi ignorantes*, quid *iudicant*, quid *loquuntur* (vt loquitur S. Hierony. in Proem. lib 9. in Esai.) *de eo audent iudicare, quod nesciunt*, & *ante despiciunt, quam probent.* Optauit *Nazianz. in Orat. de se ipso*, vt ex hominum Vita Liuor *interiret*, inuidorum tabes, venenum eorum, qui eo laborant; *solus* (subdit) *ex omnibus affectibus iniquissimus simul*, & *æquissimus*; illud, quia *bonis* (doctis &c.) *omnibus* infestus est; hoc, quia Dominos suos *exedit*, & *conficit.* Exemplo id fit clarius. *Ponamus v. g.* meæ qualicumque scientię (hæc qualis sit, notum est plurimis Sapientibus Viris, Deoque fauente in dies magis Christiano orbi notũ fiet) nonnullum derogare cupientem scripsisse, me minùs habere ingenij, doctrinæ &c. Si id à veritate alienum penitus foret experientia teste, *sic arguere licebit*. Illius doctrinę, cuius laus mihi modò tribuitur, factus fui compos, aut dum vixi in Societate, aut dum extra Societatem fui. *Primum* tibi admittere non liceret, si affirmasses,

ſes, me fuiſſe imbecilli ingenij, mediocris &c. Cum ergo *Secundū* neceſſariò ſit, nihil ferme Societati deberem. Non ergo accuſandus eſſem, tanquam ingratus, ſi eam, quæ in me modò vigeret, doctrinam Diuino tantum Numini, ac meę, poſtquam extra Societatem Vixi, induſtriæ adſcriberem. Si autem *Primum* adhuc aliqui Societatis fautores admitterent; apertè iam ex odio, inuidiaque meam in Scientijs peritiam minori in pretio olim, ac modò nonnullos habere euincitur. *En* quomodò Inuidiæ affectus *Dominos ſuos exeſt, & conficit.* Vtinam in eos nunquam incurram, in quibus hic affectus dominatur; nam *Omne malum* (vt habetur ex *S. Proſp. de Vit. Contemp. c. 9. lib. 3.*) equidem, quod de me mendax fama iactaret, ſtatim tanquam ſi ipſi vidiſſent, crederent; *feraliter eis*, qui illud verum non eſſe probare vellent, Contradicerent; *Omnia* mihi fingerent; *de* meis malis gauderent; *de* profectibus lugerent: Odia intra ſe abſcōderent &c. Reiecit S. Hierony. amatores ſuos, & inuidos, in *laude*, vel in *vituperatione nimios*, nō meritum ſtili, ſed *ſuum ſtomachum ſequentes*, vt inquit Ep. 45. ad Pamm.

3. *Ne ſis* ex illorum numero, *qui* (ſic *Plin. in Praf.* ſcribit) *Obtrectatione aliena ſcientia famam ſibi aucupantur*: ſiue (vt habet. *S. Hierony. Proem. lib. 9. in Iſa.*) *ſe eruditos exiſtimant, & diſertos, ſi de cunctis* Sapientibus detrahant. Quid ſi ſoli ſapientes eſse cuperent nonnulli, literarumque Omnium Monopolium penes ſe exoptarent! An non, cum impedire nequirent (quod tamen primò per fas, ac nefas ſollicitè curarent) ne docti quorumdam libri in Chriſtiano Orbe euulgarentur (maximè ſi hi haud illorum Placitis, ac Genio conformes forent) omni contenderent opera, ne illi iam editi aliquò, vel aliò aſportarentur; librarios ſiue Bibliopolas ipſos, quos ſibi miris deuincire modis conarentur, lucri præcipuè occaſionem illis ſuppeditantes à reiterata illorū editione reuocarēt, tū precib. ac promiſſis, tū minis, iactatiſque in huiuſmodi librorum Auctores conuicijs, alicubi etiam dictitantes huiuſmodi librorum lectionem vetandam: nec ab adhibendis artibus etiam iniquitiſſimis cum amicis, & per amicos deſiſterent, quouſque horum Auctorum Doctrinæ, ſi ipſimet Auctores nequirent, macula aſpergerentur Hiſce in memoriam reuocandum foret, *non debere* quemquam ex aliorum erratis *commemorandis gloriam ſibi comparare*; etenim infirma commendatio eſt, quæ de alterius *deſtructione fulcitur*, vt ſcribit Tertul. adu. Marc. Ac *neminem eſſe* felicem, neminem miſerum ex alieno; ſuum eſse hominis quicquid hominem, vel beatum facit, vel miſerum, quemadmodū tradit Hildeb. Ep. 55. Sapienter contra huiuſmodi homines, quorum inſtar Scorpionis *ſemper cauda in ictu eſt*, P. Daniel Bartolus e Conſpicua Vniuerſo orbi Societate Ieſu *par. 2. Del'Huomo di Lettere V. Maledicenza §. 1.* Mirandum eſt, quod plures, qui Spirituales ſe putant, vel putantur ab imperitis nonnullis (hoc ipſo Spiritualium nomine planè indigniſſimi, niſi illud equiuocè ſumatur) huiuſmodi crimine, quod equidem leuius

eſt

est Criminibus multis contra Castitatem patratis (& hoc quidem Morbo, quam contra Castitatem tentari, *periculosius* esse scribit c.17. Indust. Sapientissimus Soc. Iesu Generalis V. P. Aquauiua) tam frequenter obstricti reperiantur. Hinc illud Hierony. ad Celant. *Nulli* vnquam omnino detrahas; nec aliorum vituperatione te laudabilem videri velis; magisq; *Vitam tuam* (addi potest, *Doctrinam) ordinare* disce, quam alienam carpere. At semper Scripturæ memor esto dicentis, *Noli* diligere detrahere, ne eradiceris. Pauci admodum, qui huic Vitio renuntiant; rarosque inuenies, qui ita *Vitam* (Doctrinamque) *suam* irreprensibilem exhibere velint, vt non libenter reprehendant *alienam*. Hæc ille.

4. *Ne inter illos* describaris, qui linguę morbo adeo lęthaliter laborant, vt *nemini parcant*, nimia agant Libertate, & licētia, nō sine graui Caritatis, Iustitiæque interdum *iniuria* (sunt verba ad Suos prudentissimi P. Vitelllefchi 6. Præpos. Gener. celeberrimæ Soc. Iesu in Lit. ad Vniu. Soc. 2. Ianu. 1617. *Cupientis*, sicuti & in alijs duabus, tum ad Super. Soc. eodem anno 4. Ianuar. tum ad Patres Prouinc. Congreg. 7. Martij 1619. Quæ tres Literæ sunt impressæ in Lib. Epist. Præp. General. Soc. edito Antuerpiæ 1635. cum alijs Quatordecim ad Institutum Soc. spectantibus, qui libri à pluribus externis habentur, *Cupientis*, inquam, Socijs, & *non paucis*, vt ipse ait, restitui in multis *Primigenium* Societati Spiritum; ad quod medicamenta suggerit opportuna; sicuti quoque remedia ibi plurimá exponit ad tollendas querimonias de Societatis hominibus Communiores, hoc est, *Quod* sint superbi, omnia regere velint, amplè, ac magnificè de sua sapientia sentiant &c. *Vitæ* Commoditates impensè sectentur; *Cupidi* sint, & quęrant, quæ sua sunt; *Sint* magis prudentes homines, ac politici, quam solidè spirituales; didicerat enim à P. Aquauiua suo antecessore in Lit. de Sollic. Super. 20. Augusti. 1604. Non esse existimandum, tunc *Communes* tantummodo dici posse defectus, cū in eos prolapsi omnes fuerint, sed tum etiā cum *Multos* occuparint) *dum aliena*, seu dicta, seu facta nunc amplificata augent, modo vltrò, citroque renunciant, nunc in deteriorem partem accipiunt, ad motus animi, atque consilia Deo reseruata dijudicanda progrediuntur; haud scio, an dicendum sit, res neque gestas vnquam, neque per somnium quidem oblatas *comminiscuntur*, & *iactant*. Quo dolore Anima illius in Cęlo, vt pium est credere, degens affecta fuisset, si euenisset, vt aliquis e suis Socijs Primarius Vir ad alteri grauissima in omni ferme bonorum genere afferenda incommoda finxisset perniciosa aliquot effata in illius reperiri libris, siue Opusculis; cum tamen haud illa ibi legerentur, sed potius opposita, & conatus fuisset id alteri suadere ad multiplicia huius ope damna Auctori importanda. Istene imitator fuisset Sanctiss. Fundatoris; cuius in Bulla Canonizationis die 6. Aug. 1623. promulgata non tantùm *Patientia Admirabilis*, & *Man-*

sue-

suetudo commendatur ex *Gratianum Actione in maledicentes relata*, & *beneficijs* in iniuriantes *collatis*; verum etiam tanquam peculiaris virtus laudatur, Quod *pura veritas ex eius ore sine vlla fallacia, fuco, fictione, aut obscuritate* (notandæ sunt hæ voces nominatim, vt possint tanquam degeneres filij iure merito damnari illi, qui amphibologiarũ, & æquiuocationum, tum libris, tum re ipsa essent acerrimi patroni, & maximè, si in aliorum perniciem earum adhiberent vsum; quid si fallaciarum quoque, fucorum &c.!) *Cũ cordis puritate, ac simplicitate processerit*. Hoc laborantium morbo dictis potestne tutus præstari assensus? Si aduersarijs detrahentibus *æmulatio*, vt ait S. Hieronyimus Proem. in lib. 3. Os. *detrahit* fidem, & non tam Iudices, quam Accusatores *vocandi sunt*; At non æquius illis, qui solent exacuere, vt gladium, linguas suas, & agere dolum in lingua sua, vt sagittent in occultis immaculatos? Ab huiusmodi hominũ calumnis redimat quemcumque Deus. Et iusto quidem Dei iudicio fit sæpè, vt illi clarè ostendant, se voluntatem habere *mentiendi*, at artem *fingendi*, vt ait Hier. in Ap. ad Ruff. non habere, cum eorum mendacia breui detegantur; & vt *Gladius* labijs eorum insidens intret in corda ipsorum, sic *Deo* illos irridente. Si aliquis enimuero ex hoc hominum genere, de quibus loquitur P. *Vitellescus*, scripsisset, vel edidisset, me parum decorè in Parmensi, ac Ferrariensi Gymnasio Philosophiam prælegisse &c. An non præter luculenta testimonia, & honestissimorum Ciuium, & Sapientissimorũ Regularium, Virorumq; omni exceptione maiorum propter libros, tum Philosophicos, tum Theologicos summa cum approbatione euulgatos, qui meam doctrinã (hæc innotescere tunc illis potuerat ex Professoris munere, quod obieram) *mirificè* commendarunt, quorum Epistolas penes me habeo, nominatimq; Reuerendiss. P. *Rafaelis* Auersę 12. Nouembris 1638. qui Ferrariæ Eminentissimi Cardinalis Duratij Legati Theologus, atq; Confessarius sæpè meorum Auditorum disputationibus interesse, argumentaq; non semel subsumere dignatus fuerat; Magistrorum *Belluti*, ac *Mastrij* Regentium tunc in Minorũ Conuent. Cænobio Patauino S. Antonij 20. Nouembris 1639. & Excellentiss. *Ioannis Cottunij* Primi in Patauina Academia Philosophi 11. Decembris 1639. Nonne ex ipsius celeberrimæ Societatis hominibus in Scientijs quoque illustribus proferre possem testimonia, qui laudes & mihi, & Societati comparatas ex Philosophię prælectione commemorant; meque ob scientiam in multo se habere pretio aperte significant? Inter cætera ostendere mihi ad id licet literas P. *Ioannis Aluarado* Hispani librorum Romæ Generalis Reuisoris tunc Romano in Collegio Studiorum omnium Præfecti 23. Octob. 1638. eodemque anno, ac die P. *Leonis Sanctij*, qui Philosophię, ac Theologię Lector, tandemque Studiorum Præfectus in eodem Romano Collegio fuit: P. *Hieronymi Serrauallij* Præfecti Studiorum in Parmensi Academia, in qua ego docueram, 27. Maij

27. Maij 1639. P. *Antonij Morandi* Theologiæ in eadem Academia Lectoris 15. Augusti 1636. P. *Matthiæ Bastianschiv* Germani librorum Romę Reuisoris 14. Martij 1640. in quibus me *Virum* Optimo Ingenio, Iudicio excellenti, Memoria rara, *Lectionis plurimę* appellat: P. Philippi Alegambe 22. Octob. 1639. & 14. April. 1640. Eminentiss. *Cardinalis de Lugo* 27. Ianuar. 1640. P. *Iacobi Crucij* Italię Assistentis 22. Septemb. 1636. P. *Caroli Sangrij* Italiæ etiam Assistentis 20. Octob. 1638. & ámborũ totis literis proprio Caractere expressis: Reuerendiss. P. *Vitelleschi* tribus Epistolis 1. Sept. 1635. in quibus ipsemet sua manu scribit, me *posse* ad quamlibet docendam scientiam *applicari*: 20. Nouemb. 1638. & 4. Iunij 1639. Si parum decore prælegissem, *Qua ratione* Ferrariensis Collegij Rector, illusquè Primarij Patres vna cum Prouinciali me rogassent enixè, vt tertium Philos. cursum Ferrariæ 1. Nou. 1638. auspicarer, idq; sibi gratissimũ fuisse significassent tunc, & P. *Sangrius* Italiæ Assistens, & P. *Generalis* Liter s ad me datis, sublimiorem etiam Cathedram ferme spondentes? *Qua ratione* P. Generalis, cum iniuriam mihi illatam fuisse cognouisset, vnaque perspexisset, longissimè à veritate abfuisse, quod aliqui vulgauerant, me alium Religiosum Cætum adire voluisse, vt Theologię Scholasticæ Cathedram ibi obtinerem, Scriptura à me de hac re Romam missa 7. Augusti 1641. ad omnes Societatis P. Assistentes, & ab illis diligenter lecta, & examinata, ex eorumdem P. *Assistentium* voto statuisset, vt in Mantuana Vniuersitate *Studiorum omnium Præfectus* (hoc munus nonnisi illis, qui Scholasticam Theologiam prælegerunt, & selectis etiam, tribuitur) constituerer? Habeo de hoc literas, tum P. *Stephani Carletti* Galliæ Assistentis 16 Nouemb. tum P. *Generalis* 30. Nouemb. eodem anno 1641. Notissimũ cunctis fuit, omnes simul Collegas meos non tot habuisse Auditores, qui Thesibus impressis, tum de Philosophiæ Partibus, tum de Vniuersa Philosophia publicè disputarint, quot ego vnicus. Quam *facile lingua* (vt Nazianz. Orat. 2. Apol. inquit) *nisi* ratione gubernetur, in lapsum homines *impellit*! Verissimum est, nonnullos prurienti contra aliorum famam linguę (mirandum est, quod adeo graue vitium a plurimis, qui se accerrimos Euangelicę perfectionis, in Charitate tamen sitæ, sectatores profitentur, contemnatur, aut paruipendatur) sic indulgere, vt de propriæ etiam iactura famæ ex deprehendenda deinde, facillimè etiam, falsitate parum laborent. Et huiusmodi quidem Vitium, quò in homine honestiori familia vigeret, eò vituperabilius. Istorum autem dicta, quis non videt, non nisi apud insanos, fidem sibi conciliatura? S. Hierony. ad Celant. enimuerò prę clarè; *Nihil est*, quod ita mobilem mentem, ac leuem faciat, quam *facilè totum credere*, & obtrectatorum verba *temerario mentis assensu sequi*; hinc enim crebræ dissensiones, hinc odia iusta nascuntur; hoc enim, quod sæpe de amicissimis etiam inimicos facit, dum concordes

quidem

quidem, sed *credulas* animas, magniloqua lingua *dissociat*.

5. *Nec in* eorum referaris album, qui faciles sunt ad Censuras aliorum dictis, fatisque inurendas; Quasi in his contra Iustitiam grauissimè, & cum obligatione Restitutionis Famæ non facillimè errari possit. Ah *quæso meminerint*; Opinionem nō posse simpliciter dici *Hæreticam*, vel *Erroneam*, Quę falsitatis manifestè contra Fidei Catholicę Dogmata conuinci iure non potest; Nec *Temerariam*, Quę Probabili Auctoritati, vel Rationi etiam Soli innititur; Nec *Impiam*, Quæ Probabilis; Nec *Improbabilem*, quæ inclinat ad assensum hominis cordati, ac verè sapientis intellectum, licet hic inclinetur, vel magis inclinetur in oppositum. Multoque magis meminerint, Sententiam nullam, vel Actionem, quæ Pharisaicum affert Scandalum, iure *Scandalosam* simpliciter, adeoque per se *Damnabilem*, censeri posse. *Quosdam* enimuerò benè scribit Rogerus VViddringtonus Catolicus Anglus *in Præfat. Respons. Apolog. nu.* 21. impressæ Parisijs 1613. (qui liber non est in Prohibitorum librorum Indice) *hisce* diebus propriarum opinionum adeo *tenaces esse*, vt quicquid ipsi licitum esse semel apud se statuerunt, illico ab omnibus etiam cum maximo ipsorum incommodo temporali, tanquam illicitum condemnandum esse vellent; & si ab illis ratio exigatur, qua moueantur ad talem actionem, vt illicitam tam fidenter condemnandam, cum alij contra sentientes eam nulla Lege Naturali, vel Diuina, Ecclesiastica, vel Ciuili prohibitam esse opinentur, continuò ad *Scandalum*, si alia ratio illis non suppetat, confugere solent, & *Scandalum*, *Scandalum* conclamitare Solent. *Scandalum* esse *Dictum*, vel *Factum* minus rectum prębens alteri occasionem *ruinæ*, Theologi definiunt; in qua tamen definitione explicanda multum insudant, atq; in singulis conditionibus, quę operationem aliquam Scandalosam reddant, assignandis non adhuc inter se consentiunt. In hoc tamen *Omnes* conueniunt, nullam omnino *Actionem*, quæ *Lege præsertim Naturali* præcipitur, veram ruinæ occasionem præbere *posse*; & si inde aliquis peccandi ansam arripiat, nō *datum*, sed *acceptum* esse *Scandalum*, vniuersi confitentur. Hactenus Roger. Quis ergo, nisi plane in Theologia hospes, iudicijque inops *Scandalosam, Impiamue* appellauerit Vocem, Actionemq; illius Patauini (ex. causa id ponitur) qui cum Vouisset v.g. Pietatis causa adire Lauretum, vt illam venerarétur Cellam, in qua dicitur Angelus Gabriel cum B.V. collocutus de Incarnationis Mysterio, & in qua *Verbum Carnem factum* fuisse communiter Fideles censent; prudenter timens, ne aliqui in eo itinere insidias sibi struentes, aut sibi mortem intentarent, aut aliquod sibi importarent ex grauissimis malis, quæ censent communiter Doctores Metum Probabilem, siue Iustum afferre, experientia teste in alijs Patauinis, qui ad Lauretanam Vrbem iter arripuerant, quibus tamen se minùs infensos iam satis declarassent, quam ipsi, vt pote arbitrantes minùs ab illis offensos, & qui contra

tra ipsum, nedum verbis, verum & scriptis inuexissent, curassentque præterea apud Pijssimum Pontificem, vt in tuto etiam loco degens molestias ibi subiret; *Assereret*, se non teneri adire, nec Lauretum, nec Mediolanum ad inuisendum Corpus *S. Caroli*, nolletq; neutram petere Vrbem. An non scandalosa potiùs, & verè, esset actio Confessarij, vel Parochi v. g. (nam nemo sapiens de illorum insipientia dubitare potest) qui nollent Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ Sacramentum huic Patauino ministrare, nisi Mediolanum concederet, vel nisi Voti huius Cõmutationem, vel Dispensationem à Summo Pontifice, vel alijs Prælatis Ecclesiasticis postularet, ac obtineret! Quid si sciret, id etiã per Confessarium, vel Parochum curare illius hostes, vt dum Mediolani degeret, ibi facilius aliquod graue incommodum sibi afferrent Mediolanensium opera, quorum multos solerent illi habere familiares! Si Votum in omni casu obligaret, cum in Omni Votorum genere Ratio Diuini cultus includatur, non esset; *Cur* Theologi omnes inquirerent, *Quandonam cesset Voti obligatio*; *Cur* affirmarent illum, qui Vouit certam, ac determinatam Religionem ex peculiari affectu in illam ingredi, ac in illa profiteri, si in illa non recipiatur, vel non possit ex probabili verè causa in illam ingredi, vel in eam ingressus profiteri, *non teneri aliam* ingredi, aut in alia profiteri, nec in hoc opus esse illi Commutatione, vel Dispensatione &c.? Nonne risu explodendi essent illi, qui ad hoc, vt iste Mediolanum concederet, dictitarent futurum esse, vt multi, qui Lauretum ire vouissent, Votum illud non persoluerent; neq; enim illi easdem causas haberent, quam iste; Quas si haberent, cur idem illis non liceat? Quid si experientia teste in similibus casibus non fieret, vt peregrinatio ad *Lauretanam Ædem* cessaret! Si id enimuerò eueniret, tali verissima plane sententia abutentium vitio id contingeret. *Adde*; si iste ad pusillorum etiam quorumdam auertendum scandalum Rationes publicasset, propter quas ipse nõ teneretur adire Mediolanum Voti Lauretani persoluendi Causa, quibus Hostes ipsi responsionem vllam afferre non ausi fuissent, sed probris solum, conuicijsq; illum vexassent, Doctrinamq; illius *Impiam*, & *Scandalosam*, ac si in Petri Cathedra sederent, appellassent; *An non potius* tanquã *Veræ Pietatis* Osores, *Reiq; Actiui* re vera *Scandali* habendi forent hi cõtumeliosi homines, & qui ad adeundum Mediolanum cogere illum vellent? Hi, qui faciles sunt ad aliorum actiones, vel assertiones damnandas, ac publicandas, tanquam scandalosas, recordentur dictum fuisse à Tertull. c. 3. de Virg. Vel. *Bonæ res neminem scandalizant, nisi malam mentem: Agnoscant malum suum, qui de tali bono scandalizantur.* Vtinam illi, qui Pharisaica huiusmodi scandala auertere conarentur, ad id se teneri arbitrantes, vel ex proprio, vel ex alieno sensu, idq; præstarent nominatim, vt parum prudentibus, ac imperitis fucum facerent, significantes se habere Zelum Cultus Diuini &c. eam adhiberent operam in propulsandis à

† † se,

se, vel ab alijs re ipsa grauissimis, verisq; scandalis, quę prouenirent ex eorum Superbia, Auaritia, propriorum Amore commodorum, Detractione &c. Singulis quidem ex hisce hominibus illud S. Hier. lib. 1. adu. Ruff. aptè posset dici; *Caue*, ne per trabem tuam festucam meam videas. Inuitus loquor, & retractantem linguam dolor in verba *compellit*. At optandum, vt hi tantummodo essent ex illis, qui instar Garruli illius Monachi apud eumdem S. Hierony. Ep. ad Dom. *per trabem oculi sui festucam alterius* niterentur eruere, & non etiam ex illis, quibus *Propria vitia* (adde *scandala*) à *tergo sunt, aliena vero* (sic Seneca lib. 2. de Ira loquitur) *in oculis habent*: Quibus aliorum scandala, maximè accepta, vel Pharisaica propulsare contendentibus possent illa *Iuu. Sat.* 2. accommodari,

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.
Quis tulerit Gracchos de Seditione querentes?

Nunquam experientia pateat, eos qui adeò promptè *Scandalum* conclamant, sæpissimè ex illorum numero esse, quorum Pronunciata, factaq; legitimum dicuntur importare scandalum Catholicis, imò & Hæreticis, Infidelibusque hominibus. Non possent certè dati scandali crimen deuitare illi, qui libros euulgarent cõuicijs, iniurijs, mendacijs &c. contra aliorum etiam pijssimorum Virorum, imò, & Ordinum Regularium Famam, Honoremq; refertis. Quid si huiusmodi valerent ingenio, vt Sophisticis rationibus quæ à se fiunt, dicuntur, eduntur &c. improbè mali etiam speciem adimerent, nec permitterent *quandoq*; tributis muneribus, *quandoq*; largis promissionibus, & *quandoq*; etiam metu incusso, ne illa damnarentur! Si vigeret in omnibus Christi Charitas *non quærens, quæ sua sunt*; A Catholicorum Dictis, Librisq; Censurę multæ, Detractionesq; submouerentur.

6. *Nec sis Lector* ex illorum numero, qui ob *similitudinem Morum* aliena malefacta, etiam generatim sólummodo prolata, sibi pecculiariter obiectari *putant*, vt habet Tacit. lib. 4. Ann. siue *Delicta iam nota, ac publica* vniuersim in studiosis, ac similibus reprehensa, *maledicentia, & inuidia dicta* existimant, iuxta id, quod habêt in simili Sallust. in Coniur. & Hor. Sat. 4. lib. 1. secus enim fructum, quem ex hisce Animaduersionibus reportare posses, haud reportabis: Ira potius in mè excandesces; *Iram* autem esse Initiũ insanię testis est *Ennius* apud Ciceronem. Vitia, Defectus &c. solùm genericè recenseo. Nonnullos etiam, quos iure meritò nominare potuissem, acerbissimos meę Famæ detractores, nominare consultò omisi, memor tum Christianæ Charitatis, tum Senecę Moniti lib. 1. de Clem. *A quibusdam* non aliter, quam ab animalibus paruis obterentem inquinantibus reducendam *manum esse*. Accusauerat *Ruffinus S. Hierony.* tanquam *hominem maledicum*, omnium detractorem, in prædecessores suos genuinum semper *infringentem*: quam accusationem ipse lib. 1. refellit sic. *Detur*

vnus,

vnos, cuius in Opusculis meis nomen taxauerim, vel quem iuxta artem illius figurata laude perstrinxerim; sin autem contra inuidos loquor, & L. Lauinium, vel Asiniũ Pollionem de genere Corneliorum styli mei mucro conuulnerat, & ad vnum stipitẽ cuncta iacula dirigo, quid *vulnera sua partitur in multos?* quid *ex impatiẽtia respondendi ostendit se esse, qui petitur?* Et versus finem Apol. illum *suspiciosum*, ac *querulum* appellat, quod *dicta in Hæreticos ad* suam *referret contumeliam*. Multò minùs velim à te existimari, fuisse vnquam mihi propositũ omnes, qui certis Studijs, Institutis, Disciplinis &c. addicti sunt, notare, aut vituperare; Scio enim in quocumq; approbato Catholicorum hominum statu esse aliquos semper laudabiles. Turpe existimauit *Quintil.* ipse *lib. 6. Inst. Or. c. 3. & lib.* 11. *c.* 1. ipsi Oratori in *Totos Ordines, aut Gentes, aut Populos petulantem se* exhibere; qui & ante eodem *c. lib. 6.* docuerat, *Dicacitatem Scurrilem*, & *Scenicam* esse ipsi Oratori alienissimam. Nollem certè illa *Hildeb. Ep. 79.* vsurpare; *Libri* mei sermo offendit plurimos, dum vnusquisque in se intelligens, quod dicebatur, *non quasi monitorem* libenter audijt, sed quasi Criminatorem sui operis *aduersatus est*. Hæreant menti tuæ Lector illa S. Hierony. lib. 1. adu. Ruf. *Quando* sine nomine contra Vitia scribitur, qui irascitur, accusator sui est. *Prudentis hominis est*, etiamsi doleat, dissimulare conscientiam suam, & cordis nubilum frontis *serenitate discutere.*

7. *Nec mihi occurat Lector*, qui Cupidus reprobandi illa, quæ sibi minus grata occurrerent, in Scõmatibus, Dicterijs, Contumelijs &c. reprobationis vim reponeret. Nouum plane hoc respondendi genus excogitarunt quidam Recentiores; quo si argumentis contrarijs satisfieret, nemini verba defutura existimo, quibus sibi aduersantium oppositiones accuratissimè soluerentur. *Dicteria* rependere, non est argumenta diluere, sed *confirmare*, vt optimè animaduertit *P. D. Romanus* Hay ex Ordine S. Benedicti Vir Vtriusq; Theologię, ac Vtriusque Iuris peritissimus in libro, cui Titulus, *Aula Ecclesiastica*, & *Hortus Crusianus* editus Francofurti anno 1648. dicatusque Reuerendiss. P. Vincentio Carafæ Nobilissimæ Soc. Iesu Præp. Gener. 7. (qui liber vna cum *Astro Inextincto* ab eodem vulgato Coloniæ 1636. esset à doctissimo quoque euoluendus) Append. Hort. Crus. pag. 454. Ex quo etiam hæc ad rem meam delibo. *Vnde consequens est*, Magnam mihi aduersantibus duobus P.P.T.R. ac S.P. argumentorũ meorum vim visam esse, quæ illi opponentes Veritatis impatientissimi, nonnisi Scommatum repositione (more Canum Lunam allatrantium (impetere; minimè verò ratione, vel authoritate *subuertere potuerunt*. Muti Canes mordent; Timidi latrant. Etiam *Canem* timidum latrare vehementius, quam mordere, & altissima quæq; flumina minimo sono *labi* Curt. lib. 7. scripsit. *Stultis* thesaurum sitũ in lingua, inquit Plaut. in Pœn. Act. 3. Sce. 3. vt quæstui habeant malè *loqui melioribus*. Nonnullis accommodari queunt, quæ olim lib. 1. adu. Ruf. loquens de

Chrysogono S. Hierony. scripsit; *Habent libellum*, quem in crimen vocant; illi respondeant; hunc sua disputatione subuertant, & *scripta scriptis arguant*: singulas quasq; & primarias probationes rationibus refellant; nam vnam, vel alteram, & e leuioribus, refellere leuis est ingenij, iudicijq; Nō fingant tamen me aliquid edidisse, quod re vera non ediderim; obseruent ad id voces, particulasq; à me adhibitas &c. Nollem me posse contra vllum vsurpare illa eiusdem S. Hier. in Ap. adu. Ruf. *Vsque adeo ne* obdurasti frontem, vt mendaciū ponas spem tuam, & existimas te protegi posse mendacio, & quicquid finxeris, tibi credendū putes? & tamen *quidam eorum* (sic prius loquitur idem S. lib. 2. adu. Ruf.) qui *libenter* habent criminari proximos suos, adscribunt nobis, & doctrinæ nostræ crimen *blasphemiæ* (impietatis, scandali &c. Quod liceat Regularibus Viris ob leuem causam Superiorū suorum obedientiæ se subtrahere, ac se ipsos Votis suis soluere) *quod à nobis nunquam audierunt* (nec in libris nostris vnquam legerunt, cum apertissimè, ac sæpius de *Metu Cadente in Constantem Virum*, vt patet ex ipso etiam *Titulo*, locuti fuerimus; attulerimusq; doctrinam Theologorum Communem, Quod *in quibusdam Circumstantijs Votorum obligatio cesset*, conclusionesq; nostras fermè semper firmauerimus auctoritate, doctrinaq; celeberrimorum celeberrimæ Societatis Iesu Theologorum) *de quo ipsi viderint, nolentes obseruare mandatum* illud, quod dicit 1. Corinth. 6. *Quia maledici Regnum Dei non possidebunt*. Auctoritati, cui refragari non liceat, vel Rationi, quæ euincat me errasse, vel Improbabiliter sensisse (vt scripsi etiam in supplici libello ad S. D. N. INNOCEMTIVM X.) dabo semper manus, à quocumq; illa proferatur; nihil *enim refert*, ex quo quis *audiat*: nec enim considerandū (vt habet *Plato* in *Carmid.*) Quis dixerit, sed vtrum verè dicatur. August. ipsemet à Iuuene Coepiscopo, & Episcopus tot annorum à Collega nedum anniculo paratus erat discere; vt scribit Ep. 73. & reponitur *C. si habes* 24 *q.* 3 qui id didicit à S. Clemente Papa, cuius dictum legitur *d.* 38. *C. nullus Episcopus*. Assentior *Ambr. Cathar. in lib. de Presc. Præf.* dicenti. *Nihil prohibet* minus oculatum in rem tamen vnam aliquam attentius infigentem intuitum, quicquam deprehendere, quod multorum etiam acutiorem aciem præterierit, quod in alia plurima suos obtutus disiecerint. Quocirca rectè *August.* non valde mirum *ait*, si in loco minus perito, atq; indocto quicquam succurrat, *quod peritiores fugerit, & doctiores*. Solùm Deus me caueat ab illis, *Quibus loquentia* multum, Sapientiæ parum, siue *Quorum* omnis vis, Virtusque in *lingua sita est*, vt inquit *Sall. in Catil.* & *ad Cæs*. Qui Scommata in Auctores faciunt, nonne vident preterea, se extra Rem Vagari? Periti solùm ab Imperitis haberi queunt, *Qui ad rem non respondent*, variosq; sed vanos, indagant flexus, quibus argumentorum vim eludant. Non pauci possunt esse ex illis, qui se cæterorū in doctrina veluti arbitros putant; qui iure sanè optimo, dum contra alios

disse-

differunt, opportunè monerentur, *Ad Rem, Ad Rem Amici.* Quis Sapiens cum huiusmodi hominum genere disputet? Canant illi sibi, & apud suos Victoriam e Conuicijs reportatam (Decorum est hìc succumbere) in hoc etiã similes Garriẽti illi Monacho apud S. Hier. Ep. ad *Dom.* ipsius doctrinæ detractori. *Reprehensores* nonnullos quidem libenter *non audio*, sequor libentissimè *Magistros* instar eiusdem Hier. in Apol. ad Pamm. siue, vt eadem Ep. ad *Dom* habet, *nollem mihi* responderent *illi, quorum me auctoritas opprimere potest, non docere*. Apud aliquos; *vel* idiotas; *vel* leuiter in Moralibus materijs versatos; *vel* qui totius controuersiæ, ac status controuersiæ cum omnibus adiacentibus, exactam non habent cognitionem; *vel* qui ferrei, siue seuerissimi sunt in alios genij, & qui despoticum in alios, eorumq; bona cupiunt imperium, illudque in dies propagare contendunt; *vel* qui puras quidem conscientias habent, sine tamen iusto rationis iudicio, de quibus *C. non solũ* de Reg in *6. vel* qui sunt scrupulis ob ignorantiam maximè obnoxij, *vel* qui ex priuata causa, aut naturæ, morumque dissensione, aut in Familiam, Patriamue odio &c. parum in me æqui sunt; *vel* qui parum prudentes sunt &c. contra me *strepere*, & in libros *maledicta*, siue calumnias congerere, *scurrarum* potest esse, ac *paratorum semper ad lites*, vt scribit S. Hier. loquens de Monacho illo cõtra se obloquente. Cuius verba à me quidni hoc loco vsurpari queãt? Ad *libros prouoco*; ad *memoriam in posteros transmittendam loquamur scriptis: Moueant ...*; *figant stilum*; *commoueant se*; & *quicquid possunt*, *scriptis ostendant*; *dent nobis occasionem respondendi &c.* Abstineant solùm à contumelijs, maledictis, detractionibus, eo etiam nomine ne minùs eos Catholicos appellare cogar; nam (vt scribit S. Hier. versus fin. Apol adu. Ruf.) *Quis vnquam* Catholicorum in disputatione sectarum turpitudinem ei, aduersus quem disputat, obiecerit? Sic te docuerunt magistri tui? *Talibus institutus es disciplinis?* & post pauca. *Scripserunt multi contra* Marcionem, Valentinũ, Arrium, Eunomium; à quo eis obiecta turpitudo? nonne toti in conuincenda hæresi incubuerunt? *Istæ machinæ* hæreticorum, idest magistrorum tuorum sunt, vt conuicti de perfidia ad maledicta *se conferant*.

8. *Ne Lector* à me in hisce Opusculis ornatam Rhetorum elocutionem expectes: Quamuis enim ea cum laude Romana in Academia Humaniores literas tradiderim (eam nõ nisi *maledicus*, inuidusq; subtrahere, vel eleuare potest) vt Theologiæ Studio Vacans, & Theologorum Academicus designatus, cum iam duobus annis in eadem Illustris. Academia Phisicorum, ac Logicorum Academici illustre munus obijssem; Moderatorum iussu prçstantissimi Rhetoricæ Professoris vices obierim, adeoque magis perpolitam orationem adhibere mihi fas fuerit; memor dictum à Clem. Alex. 2. Str. illos, qui *hærent* in Vocabulis, & ijs sunt occupati, res ipsas *effugere*, & à S. Prosp. c. 34. lib. 3. de Vit. Contemp. *Sententiarũ Viuacitatem Sermonem* ex industria

cultum *eneruare*, & totam vim dictorum splendorem elaboratum *euacuare*; Consilio S. *Saluia. in Proem. ad lib. de Prouid.* adhærere statui; *Nos qui rerũ magis*, quam *Verborum amatores* Vtilia potius, quam Plausibilia sectamur; neque id quærimus, vt in nobis inania sæculorum ornamenta, sed vt salubria rerum emolumenta laudentur; in scriptiunculis nostris non lenocinia esse volumus, sed remedia &c. Mihi arridet dictum tum *Plat. in Thæ. Nominum verborumq; facilitas* sine accurata nimis diligentia sæpius minimè sordida est (sed eius potius contrarium) *nonnumquam etiam necessaria*: tum *Senec.* Ep. 49. & 76. *Quæ Veritati* dat operam oratio, incomposita esse debet, & simplex; res potius, quam *se ostendit &c.* Sapienter enimuerò non solùm Plin. in Præfat. innuit generatim, *Vtilitatem Iuuandi* præferendam *Gratiæ Placendi*; verum & S. Aug. lib. 3. de Doctr. Christ. c. 3. protulit, *Plerumq; loquendi consuetudo vulgaris* vtilior est significandis rebus, quam integritas literata; mallē quippe cum Barbarismo dici, Non est absconditum à te osum meum, quam vt id eo esset minùs apertũ, quia *magis latinum &c.* ac lib. 2. c. 13. præmiserat; *Ad rerum* cognitionem non pertinere, vtrum cum Solæcismo dicatur Inter Homines, an Inter Hominibus. Similia habet lib. 3. eodem c. 29. in Psal. 138. Tract. 2. in Ioan. & lib. 2. c. 1. contra Cresc. Gram. Vbi affert etiam *Demosthenem*, qui, cum ei nonnullam locutionis insolentiam obiecisset *Æschines*, negauit in eo *positas esse fortunas Græciæ*, illone, an illo verbo vsus fuerit, & an huc, an illuc manum *porrexerit*. Et tamen reperiuntur non pauci, sed e Grammaticorum genere, qui ad Doctrinæ famam (apud imprudentes tamen) aliquorum imminuendam Solęcismos, ac Barbarismos, quorum multi per incuriam etiam typographorum irrepserunt, diligenter animaduertunt, publicantque, multis exaggerant, similes enimuerò *Marco Pomponio Marcello* (de quo *Suet. Tranq.* c. 22. l. de Illustr. Gram.) qui in quadã aduocatione Solæcismũ ab aduersario factum vsq; adeò arguere perseuerauit, quoad *Cassius Seuerus*, interpellatis Iudicibus, dilationem petijt, vt litigator suus alium Grammaticum adhiberet, quando nõ putauerit is cum *aduersario de Iure sibi*, sed de *Solæcismo* Controuersiam *futuram*. Euenit autem aliquando; tum vt hi etiam turpiter in Barbarismos, Solæcismos &c. labantur; tum vt de mendacio coarguantur, dum ostenditur, illos ignorare, *Quinam sint veri Solæcismi, Barbarismi &c.* Huiusmodi autem obseruationes, & contentiones haud congruæ sunt viro Sapienti, & maximè Christiano; Nam S. Hierony. libr. 2. adu. Ruf. ait. *Scio inter* Christianos Verborum Vitia non solere *reprehendi*. At existimo, meam quoq; locutionem non omnino tanquam barbaram, & plurimis Latinæ linguæ vitijs sordidam, posse reprehendi.

9. *Ne etiam* hæc Opuscula vndequaq; perfecta existimes. Censere possunt multi, aliqua posse addi, aliqua demi, aliqua reddi venustiora &c. aliqua magis aptè disponi &c. *Dei* solius perfecta sunt opera.

ra. Cum in libris, quorum Index bis euulgatus est, iterumq; euulgatur, perficiendis elaborandum mihi sit; hæc, quæ paucis Mensibus confeci Opuscula Tria, cũ multis valde salutaria fore doctissimi censuerint Viri, licet verè ad Vtilitatem meam, aliorumq; Amicorum priuatam illorũ scriptio 1. die Octobris anno superiori à me inchoata fuerit (vt multi sciunt) publicare modò decreui. Meæ occurrit menti illud *Hildeb. Ep.* 1. Citra *profectum proficit*, quisquis alteri, cum potest, non *prodest*: *Scientia distributa* suscipit incrementum, & *auarum* dedignatur possessorem; nisi *publicetur*, *elabitur*: illudq; *Senec. Ep.* 6. ad Lucillum: *Ego cupio* omnia in te transferri, & in hoc gaudeo aliquid discere, vt doceam; nec me res vlla delectabit, licet eximia sit, & salutaris, quam mihi vni sciturus sum. Si cum hac exceptione detur Sapientia, vt illam inclusam teneã, nec enunciem, reijciam. *Nullius boni sine socio iucunda possessio est*. Non tamen Doctissimis, ac Sapientissimis Viris Præcepta, vel Consilia præbere, siue etiam Animaduertenda proponere mihi enimuerò propositum est; ab illis potius hæc ipsa, & libentissime, ediscam. Vbi has Animaduersiones multis, si ederentur, opportunas fore à nonnullis accepi; illas Adolescentibus, ac Iuuenibus, qui in Scientias pręcipuè incumbunt, accommodare decreui: Si tamen illæ alijs quoque commodum afferent, hi qualiscumque ingenij mei fœtus hoc anno emissi iucundiores mihi quidem erunt. Nec tamen mihi suadeo ab ijs omnibus, qui Scientiarum studia auspicantur, aut in illis leuiter versati sunt, hęc Opuscula probanda: Nam cum iuxta *Theognidis* dictum,

. . . . nec Iuppiter ipse
Siue Pluat, seu non; omnibus ille placet.

Et cum variæ sint hominum constitutiones; imò & quicumque sicuti habet peculiarem corporis constitutionem aliquo saltem accidenti ab alio diuersam; sic etiam animi, ingenijq; propensionem; vnde & *Pers. Sat.* 5. cecinit

Mille hominum species, & rerum discolor Vsus:
Velle suum cuiq; est, nec voto viuitur vno.

Et præterea quisq; prout affectus sit, iudicare soleat de alijs; non adeo insanus sum, vt illa existimem posse etiam his omnibus arridere. Nollem quidem vllum etiam ex istis Lectorem mihi occurrere similem, vel *Iuliano Apostata*, quem, cum lecta S. Apollinaris Syri Apologiæ scripsisset, *Legi*, *Intellexi*, *Reprobaui*, Sapientes Sanctiq; Episcopi meritò redarguerunt illis apud *Sozom.* lib. 6. c. 17. verbis; *legisti*, sed *non intellexisti*; *si enim intellexisses*, *non improbasses*: Vel illis, de quibus *S. Hierony. Proem. in lib.* 9. *Isa.* *Ignorantes* quid audiant, quid loquantur,

de eo

de eo audent iudicare, quod nesciunt, & ante *despiciunt*, *quam probent.* Ac post pauca vbi protulit, *Nec ignoro*, quanti laboris sit Prophetas intelligere, nec facilè quempiam posse iudicare de interpretatione, nisi intellexerit, quæ legerit; Nos quoq; patere morsibus plurimorum, qui stimulante inuidia, quod consequi non *valent, despiciunt*; prudenter huiusmodi homines monet: *Legant prius*, & postea despiciant, ne videantur, non ex iudicio, sed ex odij præsumptione *ignorata damnare*. Si mea Opuscula tibi non placeāt, placeat tibi saltem Voluntas mea de omnibus studiosis benemerendi. Recorderis tamē dicti Pręfat. in Daniel. à S. *Hierony. Nemo cogitur* legere, quod non vult; *Ego petentibus* scripsi, non fastidiosis; *gratis*, non inuidis; *studiosis*, non oscitantibus. *Si tamen* hæc tibi arriserint Opuscula; tum te etiam, atq; etiam *Lector* oro, vt omnem adhibeas operam, ne me vlli Iniurijs, Conuicijs, Detractionibus vexent. Abhorreo quam maximè à scribendis Apologijs, quibus Caritas saltem sæpissimè lęditur. Perrarò illę omni prorsus crimine Vacant. Inculpatæ Tutelæ fines non prætergredi difficillimum est. Nollem enimuerò cogi ad plura, quam hactenus edita, in mei defensionem euulganda. Vtinam nulli similes Ruffino accusanti *Medicum*, qui *venena prodidit*, vt *agnoscerent malum virus*, venenumque *lethale suum*; eiusdem quoq; insistant vestigijs, qui cum eumdem S. Hieronym. linguę gladio grauissimè vulnerasset, operam dabat, ne *Manum ipse vulneri adhiberet* (vt habet lib. 1.) ne à *se videretur vulneratus*. Maiorne hac inhumanitas in humano pectore excogitari potest? Vndenam habent nonnulli omne ius aliorū famæ detrahendi, etiam mendacijs? Si lethaliter præterea linguæ gladio aliqui ferirent alios, & ne vulnera hæc persanarentur, medicamenta omni studio subtrahere conarentur; Nōne exclamare liceret, *Quæ tempora! Quos mores! Nouum esset querimoniæ genus* teste eodem in Apol. *dolere sibi in eo esse responsum, in quo à nonnullis accusatus essem*. Nunquā mihi liceat illa S. Hierony. lib. 1. ad. Ruf. hunc vsurpare; *Dum renuo*, crimen incurro; & pro me testimonium proferens hoc ipsō arguor, *quo defendor*. Et; *Hoc mihi* præstiterunt *amici mei* (Iudam ipsum Christus Amicum appellauit) *Vt si* tacuero, Reus; si respondero, Inimicus iudicer; *Dura vtraq. conditio &c.* (Cui affine illud Curtij lib. 7. *O miseram conditionem*, cui forsitan non periculosius est tacere, *quam dicere*) Nec non in Apol. *Hoc est verum* Dilemma tuum, ex Carnificum Officina, & Meditatione prolatum; *si tacuero*, Criminosus ero; *si respondero*, Maledicus. Tu me ergo, & prohibes, & cogis *ad respondendum*. Et; *Quid me vis* facere bone amice? Taceam? Videbor Crimen agnoscere. Loquar? Terres me gladijs tuis; & accusationem non iam Ecclesiasticam, sed *Tribunalium comminaris*. Fateor equidem cum eodem Sanctissimo Viro eodem lib. 1. *Numquam* certè aliquem *prior læsi*; qui & vulneratus nequaquam cōtra persecutorem tela direxi, sed meo tantum vulneri admoui manum, quem obsecro, vt absq; præiudicio persona-

sonarum *culpam in eum referat, qui lacessiuit*. Et; *non alterum accuso, sed me nitor defendere*. Atq; cum eodem lib. 2. *Propositum* mihi est, non tam alios accusare, quam me *defendere*. Et; *ego neminem* accuso, pro me tantum respondere *contentus*: Similia cum eodem in Apol. repeto, *Num mea* defensio accusatio tua est? *Noli accusare*, & ego cessabo defendere? *Tibi licet* accusare, mihi defendere non licebit? *Vis ergo* me tacere? ne accuses. *Repone gladium, & ego Scutum abijciam*. Quæso ne noua infligantur vulnera, vel antiqua iterum recrudescant. Possent hęc in infligentes eum *inhalare fœtorem*, vt ad eum *dispellendum* (vtor verbis nonnullius ex hoc hominium genere) non satis foret vllarum paginarum *flabellum*. Ad retundendam Ruffini audaciam S. Hierony. lib. 1. illa protulit; *Hoc iterum* denuncio, & repetens iterũ iterumq; monebo, *Cornutam Bestiam petis* (cui illud affine est, *Fœnum babet in cornu, longè fuge*, quod idem S. commemorat Ep. ad Dom. ac etiam istud, *Noli irritare Crabrones*) atq; in fine Apol. asserit; Ruffinum nihil amplius à se super ea re auditurum, quam illud ex Triuio *Cum dixeris, Quod Vis; audies, & quod non Vis*: siue illud Homeri in Iliade; *Quale dixeris Verbum, Tale & audies*. In Omnium, sed maximè in illorùm, qui perfectius se Christũ imitari profitentur, *Cordibus Christi Caritas abundet*. Caritatem, Pacemq; mutuam Christianæ, Euangelicæque perfectionis tesseram esse voluit Christus. Si ergo *Pacem desideras*, quam æquissimum est te quam maximè desiderare, cum Christi Domini vestigia sequi proximius prę cæteris asseras, (refero eiusdem S. Hier. in fine Ap. ad Ruf. verba) *arma depone; blandienti possum acquiescere, non timeo comminantem*. Non est Christiani, nec Nobilis Viri, primò aggredi alium, & maximè mendaciorum tel s illius famæ detrahentium, & cui possint aptari illa Hierony. lib. 2. adu. Ruf. *Nouit* Conscientia Tua, quæ addideris, quę subtraxeris, quę in vtramq; partem, vt tibi visum fuerit, *immutaris*. At est Christiani, Nobilisque Viri se ipsum à nonnullis maximè tueri calumnijs, ad Famam nominatim spectantibus, vt probatum est *Opusc.* De Iure Tuendi Famam &c. Nollem tamen (iterum repeto, idq; ex toto corde, vt testis est Deus) denuò cogi ad tale defensionis genus. Post Animæ Salutem, quam cæteris quibuscumq; præfero, nihil exopto magis, quam illa tandem perfecta frui quiete, cuius compos erat Plinius lib. 1. Ep. 9. de se ipso ita scribens. *Nihil audio*, quod audijsse, *Nihil dico*, quod dixisse pœniteat. *Nemo* apud me quemquam sinistris Sermonibus carpit; *Neminem ipse reprehendo*, nisi vnum me, cum parum commodè scribo; nulla Spe, nullo Timore sollicitor, nullis Rumoribus inquietor. Mecum tantum, & cum meis Libelis loquor. O rectam, sinceramq; Vitam! *O dulce Otium, Honestumque, ac pene omni Negotio pulchrius*. Hoc tandem vt mihi elargiatur Deus, assiduis ab eo vnà mecum precibus Humanissime Lector pete.

10. *Me-*

10. *Memineris* denique Lector: *Tum* ante Opusculorum lectionem perlegere illa, quæ cap. 6. *Opusc.* 1. de *Libros legente*, ac versus finem nu. 49. c. 11. de *Hist. Stud.* dicta sunt; ac nominatim, antequã quodcumq; Caput euoluas, cognosce ex Indice Erratorum, Immutandorum &c. An in eo sit quid Corrigendum, Immutãdum &c. *Tum* non fuisse mihi propositum omnia plane spectantia ad materiam, de qua instituuntur Animaduersionum Capita, exponere; sed illa tantum, quę mihi generatim opportuniora meditanti, calamoq; tunc describenti, ac excurrenti visa sunt: Tibiq; sincerè fateor, me illa tantũ descripsisse, quæ mihi meditanti occurrerunt; nullumque librum, dum hæc Opuscula conficerem, nisi M. Fabij Quintiliani *Instit. Orat.* lib. 12. attentè euoluisse, nec illos omninò integrè. Alia forsan in Noua Editione sum additurus, vel alia loco ex his nonnullorum subrogaturus, aliqua in aptiorem methodum reuocaturus &c. *Tum* nonnulla quandoque in pluribus repeti Capitibus, non tantum eò quod plura ex illis connexionem habeant, verum etiam quod cũ fortè multi in vnius peculiaris Capitis, vt pote ad se spectantis, cognitione singularem operam sint collocaturi, adeoq; alia, vel non legent, vel cursim legent; vt ad certum illud spectantia habeant ibi perspecta, æquum visum fuit: *Tum* si acceperis, Bibliopolam aliquem denuo alicubi Opusculorum meorum Impressionem moliri, ne me inconsulto id pręstet, illum monere; Nam à me forsan multa obtinere poterit, quibus Noua Impressio exactior, perfectiorq; reddatur. Ego quoq; & mea, & aliorum quoq; opera in dies proficio magis. *Dies quidem diei* eructat verbum, & nox nocti indicat *Scientiam*. Æquiori iure illa S. Augustini Ep. 7. quam ipse, in medium mihi afferre licet; *Ego fateor me ex eorum numero esse conari, qui & proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt*: *Tum*, si quando cognosceres Amicos, qui me *primi* gladio petissent, stilo repelli, esse *Humanitatis tuæ*, atque *Iustitiæ* Accusantes reprehendere, non *Respondentem*; vt habet S. Hierony. respondens S. August. qui litteris deplorauerat inter Hieronimum, & Ruffinum quondam amicissimos maximam exortam esse Discordiam: *Tum* spectare ad prudentiam Tuam animaduertere, mihi fas non esse me ipsum tueri, quin sæpissimè saltem alios, & grauiter sępè lędam, vel sim læsurus; quibus tamen cæteroqui omne bonum, quod mihi ipsi, adesse ex animo opto, semperque optabo. *Fac* quæso (de hoc Te rogo vehementissimè, ac *per Iesu Christi Sanguinem* obtestor) si ea polles Auctoritate; vel saltem, quam tibi licet, *Operam adhibe*, vt quacumque Animi Simultate, & Acerbitate deposita nos Catholici *iungamus Dextras*, alacriterque calamum arripiamus ad eos tantummodò scribendos, edendosque Libros; *Quibus* ad Christianam Fidem *Ethnici*, ad Catholicam Veritatem *Hæretici* amplectendam allici, & quasi compelli iure optimo possint; vel *Quibus* inter Catholi-

tholicos *Vera Pietas*, *Veraque Sapientia*, ac *Scientia* amplificari meritò possit; Etenim id sanè conferet quam maximè ad *Magnam* CATHOLICARVM MENTIVM *vtilitatem*, Ad *Maiorem* re ipsa DEI *Gloriam*, & Ad *Maximum* ROMANÆ ECCLESIÆ FILIORVM *Honorem*. VALE; ac supplex Deum roga, vt Me Ecclesię commodis inseruiendi semper magis cupidum reddat; viresque tum Animi, tum Corporis ad id idoneas elargiatur: In Corporis autem, multoque magis Animi Bonis Te incolumem seruet semper in Terris; REGNIQVE CÆLESTIS tandem Te Compotem faciat

DEVS.



Illustrissimo, atque Excellentissimo

IOANNI PISAVRO

Equiti, ac D. Marci Procuratori;

Ob Primarias Legationes,

Quibus summa cum laude perfunctus est;

Ob Munera SERENISS. REIPVBLIC. Honorificentissima,

Quæ admirabili cum prudentia obiuit, obitque;

Ob singulare studium,

Quo Viros Scientijs illustres prosequitur;

Non tam Patriæ, quam Vniuerso Terrarum Orbi,

Ac nominatim Literatorum omnium Reipublicæ

Valde conspicuo:

Animaduersiones Quinquaginta

PRO ILIO, QVI SEMET IN SCIENTIIS ILLVSTREM REDDERE CVPERET

IVLIVS CLEMENS SCOTVS

E Comitibus Placentinis

Obsequij ergo

D. D. D.

Caput Primum.

1 Pietatem erga Deum ante omnia colat. *Initium Sapientiæ sit timor Domini*. Cum a Deo conditus sit homo propter Deũ ipsũmet, hoc est, vt illum amore, ac honore prosequatur, illiusq; iussis obtẽperãs ipso tandẽ fruatur post mortalem vitam in cælesti patria; in primis sapiẽtiæ speculatiuæ principiis erraret, qui id ignoraret; similiterque prima sapientiæ practicæ principia se in actu exercito saltem nescire declararet, qui Deum non timeret, factisque ipsis innueret, se laborare parum, aut nihil de fruitione Dei, qui est summum, infinitumq; bonum in omni bonorũ genere, adeoq; etiam sapientię. Hæc Pietas potissimè sita est in mãdatorum Dei obseruantia; in qua si deficiat, oriatur id ex fragilitate, non ex malitia; nunquam contrahatur habitus. Sustentẽt, ne cadat, & si ceciderit, erigant præscripta, suis temporibus maximè, animarum medicamenta. Non illam semper existimet esse positam in recitandis compluribus Psalmis, Coronis &c. in astando pluribus Sacris, in meditatione longa Diuinarum rerum, in eliciendis pluribus actibus amoris Dei, ne dũ proximi &c. Omnia tempus habent. Peccare posset, qui quo tempore studio vacãdum foret, illa præstaret, ac nõ leuiter etiã quandoq; Praces ad Deum sint potius feruentes, quam frequentes, adeoq; potiùs breues, quam longæ. Qui eo etiam consilio se studijs traderet, vt a vitiosis habitibus declinaret, otiumq; subterfugeret, sciat rem se Deo gratissimam facere, studendique laborem, & assiduitatem esse coram Deo opus valde meritorium. Non rarò euenire potest, vt si quis studio suo rectum finem, vel plures rectós (quod facilè potest) præscribat, maiori præmio dignus sit coram Deo, quam Carthusianus, vel Camaldulensis nõnullus in cella sua orationibus diu, noctuque indulgens. Sapientia a Pietate in Deum seiuncta, experientia teste, tum alijs, tum sapienti ipsi obesse plurimùm solet. 2. Inter Personas Sanctissimę *Trinitatis* peculiari veneratione prosequatur *Secundam*, quæ dicitur *Æterna Sapientia*, & cui peculiari nomine tribuitur *Sapientia*; postea Christu Dũm, in quo *sunt tẽs thesauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei*, & cui, vt homini, Theologi communiter plura genera scientiarum circa idem obiectum etiam versantia concedunt; deinde *B. V.* quę ab Ecclesia dicitur *Sedes Sapientiæ*; quarto loco *Angelum Custodem suum*, qui perfectam rerum omnium naturalium (dummodò non sint secreta cordis, & futura contingentia, libera maxime) cognitionem, sicuti & plurium supernaturalium notitiam habet. Plurima leguntur beneficia collata, tum a *Beata Virgine*, tum ab *Angelo Custode* circa ipsammet etiam naturalium scientiarũ consecutionẽ illis, qui in scientijs laudem consequi cupiebant. 3. Duo præter cætera deuitet vitia, *Gulam*, & *Luxuriam*; nam præterquam hæc duo affinia sunt, & vix vnum ab alio

seiunctum reperitur, eneruantque ambo vires quoque corporis, quę tamen necessariæ sunt ad scientiarum adeptionem, a Diuinarum, Humanarumque rerum contemplatione mentem auocant; intellectum perturbant, ne rectum ferre possit iudicium; illius aciem obtundunt; auersionemque tum a scientijs (si non a conficiendis quibusdam amatorijs carminibus) tum a viris ipsis verè sapientibus progignere solent. 4. Extimulet naturale, quod habet quisque, desideriũ sciendi, attentè perpẽdens; *Quam Honestum sit*, propriumque hominis, vt homo est, scientiæ alicuius cognitionem adipisci; nam hęc perficit intellectum, per quem maximè homo a belluis secernitur, & cum *Angelis*, imò & *Deo*, siue substantijs separatis, conuenit; *Quam Delectabile sit*; si enim cęteræ potentiæ, dum circa obiecta sibi congrua versantur, delectationem habent; cur non intellectus & suam, eamque præstantissimam, cum primatum inter potentias obtineat, dum in veritatum, tum Speculatiuarũ, tum Practicarum acquirenda cognitione versatur? Quæ voluptas maior humana excogitari potest, quã nouas Veritates in dies percipere, inuenire, alijs proponere, in librum eas referre, qui sit tanquam legitimus ingenij, iudicijque partus, illumque vbi satis adoleuerit, ac perfectam fuerit assecutus maturitatem, omnibus exponere ad immortalem sui nominis famam? Huiusmodi enimuerò libri sapientum virorum, vt talium, Partus sunt Genuini. Voluptatis, quæ ex scientiarum studio percipitur, sapiens tantummodo perfectè compos esse potest; eam certè omnibus alijs voluptatibus præfert: *Quam Vtile etiam* sit; præter enim Famam, & Honorem, qui a *V*iris honestis post animam cæteris pręferri solet, multis temporalibus commodis fruuntur non rarò Viri sapientes; in maximo pretio haberi solent ab omnibus; saltemq; illis nullibi ferme deerit facultas se ipsos honestè, saltem vtcumque, sustentandi. 5. Sicuti non omnes honestas voluptates subterfugere debet ille, qui scientiarum compos fieri cupit; imò vt ciuile animal, cum familiaribus sæpe amicorum colloquijs, modestisque etiam conuiuijs quandoque indulgere debeat; Sic non omnes honestas quoque, animi relaxationes prosequatur; nam hæ tempus studio opportunum, imò & necessarium adimerent. 6. Cognoscat, an sit ad studium habilis; quędam enim complexiones haud sunt illi opportunæ; & quamuis si multum indudetur, Vix reperiri queat homo, qui non in scientia aliqua proficere possit: si tamen magis idoneam quis corporis constitutionem sortitus fuerit ad *A*rtem militarem, aliasque artes, his potius operam det. Complexio apta scientijs est humor melancolicus, non terreus, sed adustus, hoc est, bili iunctus: & vbi humor melancolicus valdè præponderat, est complexio idonea potiùs euoluendis aliorum libris, atq; ex ijs rescriptioni;

&

& vbi humor biliosus præponderat, est complexio idonea potius excogitandis nouis effatis, atquè conclusionibus ex aliorũ principijs eruendis, Famæque *Auctoris* adeptioni. Melancolicus humor aptior est iudicio, biliosus ingenio. Homo sapiens, vel qui sapientiam assequi optat, vtroque abundare debet. 7. Videat etiam, quam propensionem habeat ad scientias: nihil enim fit inuita *Minerua*. Cum humanum genus non solùm viris sapientibus, ac scientificis indigeat, varias complexiones, propensionesque hominibus tribuit Deus, in hoc maximè prouidentiã suã declarans; ideoque contra *Diuinũ Placitum* videretur etiam peccare qui & complexione, & propensione sua literarum studio repugnante in illud tamẽ incumbere vellet, nec operã poneret in addiscenda arte illa, ad quam natura maximè ferret sua; *In* quo etiam quandoque errare solent ij, qui puerorum curam gerunt; attendendum enim esset diligenter, ad quam artem ab infantia ipsa quis se propensum ostendat; & curandum, vt illi operã daret: Quod si fieret, plures haberent Ciuitates quæcumque, nedum *Prouinciæ*, ac Regna, in artibus quibusque præstantiores. 8. Qui habet etiam propensionem ad literarum studia, norit etiam, ad quasnam ex multiplici scientiarum genere eam sortitus fuerit; aliqui enim sunt apti Philosophiæ, qui sunt inepti Mathematicę; aliqui sunt apti Metaphysicis subtilitatibus, qui parum apti inuestigandis proximis effectuum *Physicorum* causis; aliqui sunt apti *Iuri* Canonico, ac Ciuili ediscendo, inepti *Medicinæ*; al qui solùm fermè apti ad Historiam, ad *Philosophiam* Moralem, ad *Politicam* &c. Vbi cum minori labore, maiorique voluptate se aliquã ex scientijs percipere videt, se illi tradat. 9. Haud existimet, se posse in oĩbus, vel plurimis scientijs excellẽtem euadere; Nec singula *sæcula* numerabunt vnum, cui primas partes in plurimis, vel omnib. *scientijs* tribuerint. *Vni*, vel alteri se totum tradat, ex alijs nonnulla prægustare sufficiat: Sciat tamen, non posse in aliquibus excellere, nisi in *alijs* excellat; neque enim aliquis pręcellet in Theologia, nisi in *Philosophia*, *S. Scripturę* interpretatione, ac Historia *Ecclesiastica* præcellat; nec in Morali Theologia, nisi perfectã alicuius Theologiæ Scholasticę partis cognitionem sit assecutus; nec in Medicina, nisi multa e Philosophicis optimè norit; nec in *Iure Canonico*, vel Ciuili, nisi legum a *Potestate* vtraque Ecclesiastica, ac Sæculari latarum notitiam, nec leuẽ, habeat; *Mathematica* quoque, ac Philosophia in compluribus cognitionibus mutuam opem necessario exigunt: *Politicorum* cognitio maximè ex Historijs dependet. *Imò* nulla est scientia, quæ cuique alteri perfectè ediscendæ opem non ferat. *In* ijs ergo tantum, quæ per se connexionem habent, ediscendis præcipuum collocetur studium. 10. *Sæpiùs* animo reuoluat, Artem nullam

sine

feiunctum reperitur, eneruantque ambo vires quoque corporis, quę tamen necessariæ sunt ad scientiarum adeptionem, a Diuinarum, Humanarumque rerum contemplatione mentem auocant; intellectum perturbant, ne rectum ferre possit iudicium; illius aciem obtundunt; auersionemque tum a scientijs (si non a conficiendis quibusdam amatorijs carminibus) tum a viris ipsis verè sapientibus progignere solent. 4. Extimulet naturale, quod habet quisque, desideriũ sciendi, attentè perpẽdens; *Quam Honestum sit*, propriumque hominis, vt homo est, scientiæ alicuius cognitionem adipisci; nam hęc perficit intellectum, per quem maximè homo a belluis secernitur, & cum Angelis, imò & Deo, siue substantijs separatis, conuenit; *Quam Delectabile sit*; si enim cęteræ potentiæ, dum circa obiecta sibi congrua versantur, delectationem habent; cur non intellectus & suam, eamque præstantissimam, cum primatum inter potentias obtineat, dum in veritatum, tum Speculatiuarũ, tum Practicarum acquirenda cognitione versatur? Quæ voluptas maior humana excogitari potest, quã nouas Veritates in dies percipere, inuenire, alijs proponere, in librum eas referre, qui sit tanquam legitimus ingenij, iudicijque partus, illumque vbi satis adoleuerit, ac perfectam fuerit assecutus maturitatem, omnibus exponere ad immortalem sui nominis famam? Huiusmodi enimuerò libri sapientum virorum, vt talium, Partus sunt Genuini. *Voluptatis*, quæ ex scientiarum studio percipitur, sapiens tantummodo perfectè compos esse potest; eam certè omnibus alijs voluptatibus præfert: *Quam Vtile etiam* sit; præter enim Famam, & Honorem, qui a Viris honestis post animam cæteris pręferri solet, multis temporalibus commodis fruuntur non raró Viri sapientes; in maximo pretio haberi solent ab omnibus; saltemq; illis nullibi ferme deerit facultas se ipsos honestè, saltem vtcumque, sustentandi. 5. Sicuti non omnes honestas voluptates subterfugere debet ille, qui scientiarum compos fieri cupit; imò vt ciuile animal, cum familiaribus sæpe amicorum colloquijs, modestisque etiam conuiuijs quandoque indulgere debeat; Sic non omnes honestas quoque, animi relaxationes prosequatur; nam hæ tempus studio opportunum, imò & necessarium adimerent. 6. Cognoscat, an sit ad studium habilis; quędam enim complexiones haud sunt illi opportunæ; & quamuis si multum inlodetur, Vix reperiri queat homo, qui non in scientia aliqua proficere possit: si tamen magis idoneam quis corporis constitutionem sortitus fuerit ad Artem militarem, aliasque artes, his potiùs operam det. Complexio apta scientijs est humor melancolicus, non terreus, sed adustus, hoc est, bili iunctus: & vbi humor melancolicus valdè præponderat, est complexio idonea potiùs euoluendis aliorum libris, atq; ex ijs rescriptioni;

&

& vbi humor biliosus præponderat, est complexio idonea potius excogitandis nouis effatis, atquè conclusionibus ex aliorũ principijs eruendis, Famæque *Auctoris* adeptioni. Melancolicus humor aptior est iudicio, biliosus ingenio. Homo sapiens, vel qui sapientiam assequi optat, vtroque abundare debet. 7. Videat etiam, quam propensionem habeat ad scientias: nihil enim fit inuita *Minerua*. Cum humanum genus non solùm viris sapientibus, ac scientificis indigeat, varias complexiones, propensionesque hominibus tribuit Deus, in hoc maximè prouidentiã suã declarans; ideoque contra *Diuinũ Placitum* videretur etiam peccare qui & complexione, & propensione sua literarum studio repugnante in illud tamẽ incumbere vellet, nec operã poneret in addiscenda arte illa, ad quam natura maximè ferret sua; *In* quo etiam quandoque errare solent ij, qui puerorum curam gerunt; attendendum enim esset diligenter, ad quam artem ab infantia ipsa quis se propensum ostendat; & curandum, vt illi operã daret: Quod si fieret, plures haberent Ciuitates quæcumque, nedum *Prouinciæ*, ac Regna, in artibus quibusque præstantiores. 8. Qui habet etiam propensionem ad literarum studia, norit etiam, ad quasnam ex multiplici scientiarum genere eam sortitus fuerit; aliqui enim sunt apti Philosophiæ, qui sunt inepti Mathematicę; aliqui sunt apti Metaphysicis subtilitatibus, qui parum apti inuestigandis proximis effectuum *Physicorum* causis; aliqui sunt apti *Iuri* Canonico, ac Ciuili ediscendo, inepti *Medicinæ*; al. qui solùm fermè apti ad Historiam, ad *Philosophiam* Moralem, ad *Politicam* &c. Vbi cum minori labore, maiorique voluptate se aliquã ex scientijs percipere videt, se illi tradat. 9. Haud existimet, se posse in oĩbus, vel plurimis scientijs excellẽtem euadere; Nec singula sæcula numerabunt vnum, cui primas partes in plurimis, vel omnib. scientijs tribuerint. *Vni*, vel alteri se totum tradat, ex alijs nonnulla prægustare sufficiat: Sciat tamen, non posse in aliquibus excellere, nisi in alijs excellat; neque enim aliquis pręcellet in Theologia, nisi in *Philosophia*, *S. Scripturę* interpretatione, ac Historia *Ecclesiastica* præcellat; nec in Morali Theologia, nisi perfectã alicuius Theologiæ Scholasticę partis cognitionem sit assecutus; nec in Medicina, nisi multa e Philosophicis optimè norit; nec in *Iure Canonico*, vel Ciuili, nisi legum a *Potestate* vtraque Ecclesiastica, ac Sæculari latarum notitiam, nec leuẽ, habeat; *Mathematica* quoque, ac Philosophia in compluribus cognitionibus mutuam opem necessario exigunt: *Politicorum* cognitio maximè ex Historijs dependet. *Imò* nulla est scientia, quæ cuique alteri perfectè ediscendæ opem non ferat. *In* ijs ergo tantum, quæ per se connexionem habent, ediscendis præcipuum collocetur studium. 10. Sæpiùs animo reuoluat, Artem nullam

sine

ſine labore addiſci. Antequã quis artẽ Militarem adamuſſim norit, in eaque illuſtre aliquod munus pro merito obtineat; quot ſudores emittendi, quot pericula ſubeunda, quot capitis ipſius diſcrimina adeunda, quot famis, ſitis, frigoris, caloris, vigiliarum, lectique incommoda ferenda! Generoſi eſt pectoris, difficultates, quæ in rectè a ſe ſtatutis executioni mandandis ſe ſe offerunt, ſuperare; nec animo cadere, dum a ſe inexcogitatæ difficultates occurrunt. Idem alijs quoque accidiſſe prorſus exiſtimet; qui alacriter tamen ſemel inceptum iter non deſerentes, ſapientiæ metam feliciter cum ſumma animi voluptate attigerunt. 11. Haud ſinat ſe acedia, ſiue tædio, ſiue faſtidio ſcientiæ, in qua operam nauare, vtpote ſibi congruente, cæpit, ita affici, vt illius ſtudium omittat. Sciat huiuſmodi animi ægritudinem oriri ſæpè ex varia corporis conſtitutione; alteratur enim variè corpus propter extrinſecas cauſas, ac nominatim propter cæleſtes influxus. Hoc tempore ex cõſueto ſtudio aliquid intermittat, honeſtę alicui recreationi latius indulgeat, pluſq; ſolito incumbat in ſcientiam, quæ affinitatem habet cum ſcientia, in quam primario incumbit, ſi illius ſimili *T*edio non afficiatur. 12. *I*n ſtudendo certæ ſcientiæ ſit conſtans: in nulla vnquam laudem aſſequetur, ſi v. g. duos, aut tres menſes impendat in vnius ſcientiæ ſtudio, alios duos, aut tres in alterius &c. Ea vis eſt cõſtantiæ, & aſſiduitatis in alicuius diſciplinæ ſtudio, vt parum etiam ad nonnullã apti diſciplinam in ea famam ſibi compararint aliquam. 13. Animum pro viribus reuocet ab ijs, quæ mentem diſtrahunt, licet cæteroqui per ſe laudabilibus, vt eſt cura rei familiaris, cogitatio de victu, veſtitu &c. Aliorum opera potiùs ad hæc vtatur: Quæ ſi commodè nequeat præſtare, certam diei horam ordinariè ad huiuſmodi opera ſtatuat. Imò in ſingula quatuor anni tempora quæ ad veſtitum attinent decernere poterit; & quæ ad conſuetum pertinent victum, bis in ſingulas hebdomadas curare emẽda, talique conditione paranda ad menſam iubere. 14. Non enitatur plus ſapere, quam oporteat ſapere, ſed ſapiat ad ſobrietatem; ac nominatim captiuet intellectum ſuum in aſſentiendo, vel diſſẽtiendo illis quæ certo norit eſſe *D*iuinę fidei, ac longè humanas mentes, ratiocinationeſque excedere: *I*ure hoc obſequium Deus a creaturis intellectu præditis exigit. *S*i veritatum plurimarũ naturalium in hac vita compotes fieri nequeunt ingenioſiſſimi etiam homines; quid mirum, ſi noſtri intellectus lumen veritates ſuperioris ordinis non attingat? *V*tilius enimuerò multis eſſe poteſt, nudam præſtare fidem quibuſdam Diuinis effatis, quam ea examinare, rationes dubitandi exponendo, eaſque ſoluere enitendo; vel ad magis intimè effatum illud perſcrutandum quæſtiones alias excitare, quę ad fidem quoque per ſe non ſpectent. *E*rit tamen laudabile, ſi teneat ſolutiones, populique

lique captui maximè accommodatas, argumentationum nonnullarum, quę communiter inter Catholicos quoque circumferuntur contra fidei Catholicæ dogmata, & quę homines retardant, vel retardare queunt a moralibus, nedum Christianis, Catholicisque moribus.

15. Non altè de se, suoque ingenio, sẽtiat; præterquam enim amor erga se ipsum cęcus maximè est, vel certè obiectum magis amplificare solet instar cuiusdam perspicilij; talis sensus reuocat mentem a studij assiduitate, aliorũq; inducit contemptum. Experientia quidem alicubi patuit, iuuenes quosdã, qui etiam acerrimo non erant præditi ingenio, ex superbia, quę non sinebat effata eorum, qui sunt Principes Scholarum, habitique maximo in honore ab omnibus vere sapientibus, rectè percipere, hos irrisisse, auctoritatemque omnem his adimere conatos fuisse. Qui in Scientijs proficere cupit, ab omnibus etiam ingenio, scientiaque inferioribus discere non erubescat. Minimis ingenio nõnulla aliquando naturę secreta, imò & Diuinitatis arcana patefiunt, quę occulta maximis ingenio sunt: Quare nullum etiam idiotam spernat. Viros sapientia illustres norit quandoque rusticos ipsos de aliquarum solutione quæstionum interrogasse, ingenuèque professos postea, se ab illis vel eã didicisse, vel multa, quæ viam ad solutionem strauerunt, aut solutionem quam ipsi excogitassent, mirificè exornarunt, percepisse. 16. Præceptores, siue Doctores seligat Viros probos; in scientia illa, in qua proficere, siue excellere cupit, præstantes; profectus discipulorum amantissimos, suique studiosos: debitaq; veneratione, sollicitaque doctrinę, quam tradunt, perceptione eorum amorem sibi conciliet; ex hoc .n. illud quoque reportabit emolumentum, quod Præceptores sibi tradent quædam cæteris non obuia, & quæ sunt veluti scientiarum Cardines. Hinc in Vniuersitatibus celebrioribus scientijs operam det, quales sunt in Italia Patauina, & Bononiensis, in Gallia Parisiensis, in Hispania Salmaticensis, in Belgio Louaniensis, in Germania Pragensis, in Polonia Cracouiensis &c. Solet enim docendi munus primarium demandari (vt plurimum saltem) in his, similibusque Vniuersitatibus tantummodo viris illustribus, nisi priuata pręualeant officia commodaque. Cauendum tamen hìc maximè est, vt iuuenum minus proborum, & qui animum a studijs alienum habent, consuetudinem omninò caueat: Omnes quidem debito prosequatur honore; Vni vel alteri, cum quo in moribus, & in eiusdem scientię studio consentiat, se familiarem dumtaxat exhibeat. Si alio in loco præter Vniuersitates, præstantissimos Præceptores, & in se propensissimos habere potuerit, fieri potest vt eumdẽ, imò & aliquãdo vberiorem fructum reportet, quam si in Vniuersitatibus studeret. Si stipendium Præceptori ab ipso persoluendum necessariò sit, caueat ne ob minus prætium minus docti Præceptoris Scho

lam

lam adeat, nam grauissimè erraret. Quò Magis doctus, & Magis breui tempore, & magis aptè disciplinam tradit: quare præter perfectiorem scientię acquisitionem, quæ pecunia compensari meritò nō potest, omnibus ad vnguem examinatis non raro maius etiam pecuniæ lucrum reportatur. Hinc *Viri*, & maximè *Principes*, qui sumptibus non parcunt in alendis, & ad suam, vel suorum disciplinam alliciendis hominibus in scientia, vel scientijs illustribus, breuì talium impensarum ingentem fructum vident cum maxima animi iucunditate. 17. Cum *Præceptoribus*, alijsque Viris in ea scientia, in qua proficere cupit quisque, peritis agere pro viribus enitatur. Maiorem fructum reportabit fermè se nuper ex congressu per horam v. g. cum viro huiusmodi docto, quam si octo dierum spatio solus & plures horas in studio impenderet. *Tales* viros audiat attentè, interroget submissè, docilemque se illis exhibeat, illosque veneratione prosequens summa se fortunatum putet, dum istiusmodi congressus, & frequentes, habere sibi liceat. Hanc etiam ob causam viri *Principes* facilè, ac breuì multum in multis scientijs progressum faciunt. 18. Non parcat calamo, memor inter acutissimi, & inter *Thomistas Principis* Cardinalis *Caietani* pronunciata numerari; *(irculus*, hoc est disputationes, & colloquia cum sapientibus, & *Calamus me doctū fecerunt*. Quæ insolita didicerit a quouis, quæ e libris etiā, sed nō obuijs, haberi queunt, quæ peculiari animaduersione, & consideratione digna fuerint visa scribat, habeatque ad id libellum ritè dispositum pro materiarū, quæstionumque varietate, in quo ex ordine illa disponantur. Satis erit aliquando libri, vel Auctoris nomen describere, qui de tali re agit, quem possit, cum opus fuerit, præ manibus habere. Scripto quoque consignet illa, quę sibi aliquando meditanti offeruntur, vel a se excogitantur, vel menti occurrunt de tali re haud consultò cogitanti; possunt enim sæpe occurrere valde vtilia, ingeniosa, & quorum memoria valde iuuet ad multa, in quibus deinde operam suam collocabit, ac tædebit talium fuisse oblitum. Describat etiam, quam audit, vel legit, vel ipsemet excogitat, vel allaturus est in medium rationem, vel argumentationem suę fauentem sententię, vel illam oppugnantem; videbit enim tunc non raro illam claudicare, nec plene expositam, calamoque descriptam habere eam vim, quam ipsemet mente solummodo delineauerat. Inter argumenta autem pluris æstimet semper, quæ sunt fundamenta classicarum opinionum, & quæ a sapientibus in tali scientia viris edi, scribi, vel proferri videt, & maximè, si illa intelligat ab ijsdem in pretio haberi. 19. Quæ non intelligit, aut non rectè, vel perfectè intelligere existimat, non erubescat vnquam, licet ætate grauis, & in sapientia celebris habeatur, ab aliis maximè peritioribus, & qui earum rerum cognitionem tradere queunt perfe-

ctio-

tionem, edifcere. 20. Tam amplam ſciat rerum eſſe notitiam, vt vel in vnius tantùm contemplatione acris etiam ingenij virum occupatum habere queat: Hinc integra, amplaq; volumina de vna tantùm re Phiſica, vel Mathematica, vel Morali, &c. eaq; vnica à viris Clariſſimis conſcripta. 21. Qualem Methodum in diſcendo, vel ſtudendo, non ſolùmodo generalem, verum etiam particularem cuiuſcumque ſcientiæ adhibere debeat, perſpectum habere curet; ex huius enim defectu a iuuenibus nominatim ſtudio ceteroqui valde deditis paruus fit profectus. *In* ſcientijs enimuero ediſcendis vna alteri neceſsariò præponenda; in eiuſdem ſcientiæ etiam tractatione aliqua primo loco, alia medio, alia poſtremo loco ediſcenda: & quæcunque ſingillatim ediſcenda, tali ordine ediſcenda eſt, etiam vt firmiorem, ac perfectiorem illius notitiam aſſequatur intellectus. 22. Paucos eoſque ſelectos initio euoluat libros; multorum lectio librorum mentem obruere ſolet, nec ſinit fluctuantem noui auditoris mentem certis inſiſtere ſapientiæ veſtigijs. Vbi in ſcientijs progreſſum fecerit, plurium lectio librorum haud illi erit incommoda, cum ſuum interponere iudicium poſſit. 23. Diſputationibus, *A*cademicis Diſcurſibus, alijſque literarijs exercitationibus, quæ ad ſcientiam, in quam incum bit, maximè ſpectant, intereſſe non omittat; non mediocrem enim fructum ex his omnibus, ſi attenderit, poterit reportare. 24. Non ſine delectu, ac diſcuſſione quædam Prima Principia, a nonnullis maximè proclamata, admittat; imò norit rariſſima eſſe *P*rima verè Principia in ſcientijs, nec plurimas eſſe *D*emonſtrationes, ſed potiùs fermè nullas, ſi hæ conficiantur iuxta leges ad Demonſtrationes perfectiſſimas conficiendas, vel noſcendas ſpectantes: multas autem dici Demonſtrationes ex ſuppoſitione quorumdã principiorum, quæ ad ſummum probabilia, & quandoque, ſunt. Meminerit quidem, dum de aliquo haberi nequit Demonſtratio (quod vt plurimum ſaltem in ſcientijs contingit) optimum eſſe de illo habere cognitionem probabilem: Sic dum perfecta valetudo obtineri nequit, minor ſanitas eſt optimum, quod per artem, et homo õi ſtudio quærit. 25. Significationẽ *V*ocũ in vnaquaq; ſciẽtia pręteris percipere ſtudeat: habet enim quæq; ſciẽtia peculiares Voces, quas in illa ſapientes ad certa indicanda impoſuerunt, ac non rarò eadem Vox apud eiuſdem ſcientiæ Profeſſores, ac Doctores, Scriptoreſque, varios, multipliceſq; ſenſus habet. Nunquam ſatis proficiet, imò nullatenus proficiet, niſi terminorum, qui ſolent vſurpari in tali ſcientia, exactam fuerit aſſecutus notitiam; eumque aptiorem ad docendum Præceptorem putet, qui maiorem, melioremque talium vocum notitiam habuerit, tradideritque. *E*x terminis conſtant propoſitiones: ex propoſitionibus ſyllogiſmi; ſcientiæ ſitæ

sunt in immediatis propositionibus, & conclusionibus syllogismorũ: Si in terminorum acceptionibus dissensio sit; necesse est, vt in *Principijs*, & Conclusionibus sit etiam dissensus. Quam sæpè digladiantur inter se eiusdem scientiæ Doctores, Scriptoresque, tempusque latè consumunt examini, cognitionique rerum maximi ponderis meritò dicandum, eò quod Vocum significationem haud norint, & quæstio tandem resoluenda meritò sit in vocum acceptionem; & Doctores, in hac, non verò in re ipsa, si attentè eorum dicta legantur dissentiant! 26. *Potiùs* ab alijs, & viua voce discat, quam proprio Marte, siue privatim ex libris. *Viua* vox altius animos penetrat, illisque insidet; & non raro euenit, vt quæ *Præceptores* plurium dierũ, vel mensium, & ẽt annorum spatio didicerunt, vnius horæ, vel quadrantis, vel etiã breuiori tempore edisćantur. 27. Quæ didicisse sibi, vel ex priuato studio, vel ex aliorum dictis sibi videbitur, viua voce in cubiculo aliquando deambulans, vel sedens explicet; mirum enim est, quantum id conducat ad illa altius animo infigenda, præterquam facultas acquiritur illa voce explicandi, quæ interiori mentis sensu solummodo percepta sunt; & sæpe accidit, vt ex hac explicatione exteriori innotescat, an re ipsa, & ritè percepta sint illa, quæ homo putat se perfectè percepisse. 28. *Conducit* maximè ad profectum etiam, si coram aliquo, vel aliquibus sibi familiaribus, & præcipuè si hi sint peritiores, explicet quæ ex priuato, vel publico studio se didicisse putat; debetque ostendere re ipsa, sibi pergratum esse, si corrigatur in his, quæ minus Rectè protulerit in medium. Discursus inter *Iuuenes*, qui sint pares in scientia, solum esse vtiles videntur ad memoriam acuẽdam, renouandamque rerum, nisi coram peritioribus fiant; a quibus discatur, quid re ipsa sentiendum sit, cum inter se imperitiores nõ conueniunt. 29. Cum signum scientis sit posse docere; vel scripto, vel voce vtilissimum erit multa consignare, ac si ea quis alijs foret traditurus: eaque proferre coram aliquo, vel illi ostendere, qui sit satis in tali arte tradenda instructus, & sincerè corrigenda corrigat, laudetq; laudanda. 30. Se Docilem præbeat qui vult in scientijs proficere: Nihil potest esse magis profectui noxium, quam in suis sensibus esse pertinacem, & nolle non adherere opinionibus, quas primò quis animo consignauit, vel didicit, vel tradidit etiam alijs, vel edidit, vel excogitauit proprio Marte. 31. *Præ cæteris* Veritatem in opinionibus quærat, nulli Sectæ, vel Auctori ita addictus, vt si splendidior *Veritatis* lux alibi effulserit, eam præeuntem non sequatur. Nõ a quo, sed an vera proferantur, semper attendat. 32. Caueat, ne cum sunt vtrimque opiniones, quæ habeant *Patronos*, vel *Patronum* excellenti, celebrique ingenio, licet vni adhæreat parti, alteram damnet tanquam penitus improbabilem, irrationabilem &c. hæ namque in-

iuriæ

iuriç inferri solent a viris haud ingenuis, doctisque; siue ab iis qui vel ignorant, vel non mentis acie peruadunt aduersantium rationes. *Si* talis opinio esset euidens ac certa, fierine posset, vt alii cætera ingenui, ac ingeniosi contra sentirent; propugnarentq; contrariã, cum aliorum etiam sapientum laude, & plausu? Ille reuera sapientissimus est censendus, qui controuersarum plurium, & celebrium opinionum fundamẽta callens illas omnes propugnare norit, licet vni certæ, quæ vel probabilior visa fuerit, vel propter extrinsecas causas in publico adhereat. 33. *Principia* cuiuscunque Sectæ, ac Scolç, & celebriorum Doctorum inter se aduersantium exactè conetur agnoscere; prætérquam enim haud his cognitis nec suarum opinionum congruam assequetur notitiam, nec eas rite propugnare nouerit, recondita quædam sapientiæ arcana illi patefient, discetq irridẽdos esse meritò illos, qui nonnulla illustrissimorum hominum, qui *Duces* aliorum quondam Sapientissimi fuere existimati, Effata ac *Principia*, quç sæpè inuolucris quarũdã vocũ consultò inuoluerũt, irrident. 34. *Iudiciũ* suspendat, quousque dubitandi rationes, & argumenta vtramque suadentia partem ritè examinarit; est enim iniqui iudicis inauditis litigantibus sententiam ferre; multoq. minus præiudicatum iam ergavnam partem affectum ferat; nam vim aduersantium rationum haud percipiet, saltem vt par esset. 35. Quæstionis sensum, punctumque Difficultatis, & in quo reuera dissentiunt Doctores, intelligere studeat præcæteris, simul cum præcipuis rationibus, quæ impulerunt homines doctos ad variè sentiendum, pluribus omissis, quæ parum, aut nihil ad rem faciunt, & quæ facillimè ex prçhabitis intelligi queunt. 36 Cum omnes fermè eruditi viri, ac præcipuè *Præceptores* ipsius dicunt, ipsum in aliquibus falli sensibus, eorum stet sensui, fidemq; illis habeat; & cum *Prçceptoribus* sint præsupponenda in docendo aliqua, quæ postea enucleatius tradenda sunt, illis tunc credat, nec examinet: tunc enim maximè verum illud est, *oportet addiscentem credere*. 37. Licet maximo in pretio habenda sit auctoritas sui Præceptoris, ac altè pro meritis de illo sẽtire debeat; nunquam tamen propter nudã eius auctoritatem vlli effato assensum præbeat; debent illa, quibus præstandus est assensus ab homine, qui est animal rationale, vel patere ex terminis, vel innotescere ex ratione. Sciat tamen, cum a viro peritissimo aliqua profertur sententia, non solere absque ratione eam afferre, licet illam non declaret, quæ inuestiganda, vel ex eiusdem Principijs alibi colligenda. *Ad hçc* perpendat, cum constituatur quis solum sciens per cognitionem causæ proximæ rei & per hoc quòd norit conclusionem scientificam resoluere in sua Prima Principia, quæ vel pateãt ex terminis, vel experientia &c. hinc fieri, vt nullus possit vnquam satis in naturalibus scientiis

(nam excipiuntur in his supernaturales) proficere, nisi cõsuetudinem contrahat, nulli scientiæ, siue totali, siue partiali assensum prestandi ex sola Professoris, aut quorũcumq; Doctorum, vel scriptorum auctoritate. *Ex quo etiam habètur*, licet aliorum sententias impugnare nouisset, non vt sic esse sciemem; nam alios arguere, haud est causam proximam rei cognoscere: multoque minus solùm aliorum opiniones habere perspectas; nam id potius ad Historiã pertinet. 38. Sibi propositum habeat euadere insignem in aliqua scientia, Cathedram consequi primariam in aliqua Vniuersitate celebri, librum cõscribere in tali scientia, ac materia &c. *Id* enim iucundos reddet studij labores, fortem que magis reddet in sustinendis alacriter difficultatibus, quæ in spinoso sapientiæ calle semet obtrudent; cogitationes omnes ab alijs reuocabit ad hanc vnicam præcipuè rem; illudq saltem assequetur id sibi præfiniens, vt si primas non obtineat in talibus scientijs partes, in secundis saltem consistat. 39. Qui minori ingenio, quam alij, præditus est, amplius insumat tempus in studendo. *Ex* assiduiori studio experientia patet plurimos, qui non adeo acri valebant ingenio, maiores laudes, honoresque in literaria Republica consecutos. 40. Non nisi post diutinam animaduersionem quis censere se debet ineptũ, vel ab alijs censendus est ineptus ad studium, vel ad talem scientiam; nam procedente tempore nonnulli redduntur apti, & aptiores. Visi sunt nonnulli, non semel etiam reprobati in vniuersitatibus etiam a suscipienda laurea Doctoratus in Philosophia, vel vtroque Iure, &c. euasisse viri in ea facultate insignes adeo, vt in vniuersitatibus primas talium scientiarum cathedras cum omnium plausu obtinuerint, fuerintq; habiti Principes in illis facultatibus. Nil difficile volenti, dũ apertè non repugnat natura, siue propẽsio. 41. *In* singulos dies tria saltẽ ediscere nitatur, eaq. in codicem referat, subinde q; legat. *Id* sine multo labore a quouis præstari poterit; eritque cum ingenti equidem fructu, si numerentur illa quæ singulis hebdomadis, singulis mensibus singulisque annis quisque didicerit. Quid si plura? Singulis diebus repetat secum, antequam cænatum eat, quę illis diebus singulis de nouo didicerit; in fine cuiusque hebdomadæ ac mensis, quæ singulis hebdomadis, ac mensibus: & aliquando reuocet ad mentem, quę plurium etiam mensium spatio didicerit; vnusq; vel alter anni mensis supersit ad omnia, quæ eo didicerit anno, repetenda, attentiusq; consideranda. 42. Studendi, discendique opportunitatem non elabi sinat, oriatur illa, siue ex ętate, ac ad studium propensione, siue ex loco ad studium apto, siue ex Pręceptoribus, ac Doctoribus ad docendum idoneis, & sub quorum disciplina, & consuetudine ipse proficere queat. Si hæc occurrant aliquando, detrectabitq; studium ac disciplinã: dolebit, ac

vehe-

vehementer sæpissimè quod in studium non vehementer incubuerit; & a quibusdam non abstinuerit, quę animum a studio reuocabant, ludicra quedam, nulliusq; momenti, ac noxia potius tum animæ tum corpori, quæ ipsum quoque corpus, nedum animam in discrimen apertum adducebant, fuerit amplexus, pecuniarum, corporis virium, famæ interdum, honorisque ingenui iacturam fecerit; nec sibi gloriam, Parentibus, Consanguineis, Affinibusque voluptatem, Familiæ honorem, ac Patriæ vtilitatem, seriò se studijs tradens ac in illis proficiens attulerit, & leues ob causas se priuauerit commodis, ac honoribus quos videt, vel audit ab aliis quandoque deferri iis, qui eiusdem ætatis, & conditionis in eodem loco, iisdemque Doctoribus seriò operam studio dederunt; nec eædem circunstantiæ ætatis, licet studendi cupiditate flagraret, nedum loci, ac Doctorum, adsint. 43. Ita artificialis diei horas distribuere poterit saltem vt plurimum homo scientijs sedulò operam nauans, vt *octo* circiter tribuat somno; *octo* precibus ac studio; horam scilicet impendendo in audiendo Sacro, alijsque priuatis orationibus, quatuor priuato secum studio, tres publico, vel priuato sub alicuius disciplina: *octo* quæ supersunt corporis sustentationi, ac relaxationi, ita vt duas circiter horas impendat in prandio, ac cœna, duas in canendo, pulsando fidibus, alijsque similibus exercitationibus homine ingenuo dignis, vel has artes ediscendo, quæ animum exhilarare solent; duas in deambulatione; duas in inuisendis amicis, in audiendis nouitatibus, quæ in vrbe, vel orbe accidunt &c. *Animaduertendum* tamen cuique: sicuti diligens assiduitas necessaria omninò est profectui in scientijs, sic illi plurimum nimiam obesse mentis, corporisque fatigationem; quæ cum varia possit contingere pro varia cuiusque corporis, animique constitutione, quantum temporis spatium cuique impendendum sit studio, ne mens, corpusque nimis fatigetur, experimento quisque suo discat: Imo si præter solitum quandoque se nimis fatigari aliquis nouerit, necessitasque studendi verè non compellat, tempus studio iam statutum decurtet. 44. Habeat secum fermè semper libellum, qui solet appellari ad *Memoriam*; plura enim vel ambulanti per vrbem, vel animum relaxanti etiam occurrunt non rarò, quorũ memoriã seruare expediens est, & quorũ memoriam haud seruasse tædet deinde vehementer. *Plinius* in ipsis bellorũ venationib. semet exercens huiusmodi pugillares secum habebat. 45. Identidem recognoscat ea, quæ ante didicit, conferatque cum illis, quæ iã didicit, vt cognoscat an benè consentiant. Maxima laus Præceptoris est doctrinam tradere, vt vulgò dicitur, consequentem: ideoq; modo vnum, modò alium habere Præceptorem noxium est auspicantibus scientiarum cognitionem; vtiliusque est ad id habere vnicum

Præce-

Præceptorem, qui totam Philosophiam, Theologiam, totumque Ius Ciuile, vel Canonicum &c. tradat, licet sit minoris scientiæ, quam plures easdem tradentes scientias maioris. Meminerit multa, tanquam absurda, minùsque Philosophicè, Theologicè &c. dicta reputari a multis, quæ tamen vt talia non habentur ab alijs, & rectè, si consequenter loqui velint. 46. Cum ad Vrbem, in qua ipsemet degit, accedit Vir aliquis doctus (nisi circa veram pietatem aliquod re ipsa periculum immineat) illum inuisat, cum illo colloquatur, differatque; celeberrimi enim in scientijs homines aliquando peregrinantur, vel ob infortunium aliquod, cui solent esse expositi viri valdè docti, quibus solent plures esse infensi ex odio, inuidia &c. vel ad recreationem, vel ad mores aliorum ex visu exactius agnoscendos &c. Discet ab his aliquando præclarissima; latent enim in remotissimis regionibus, ac in illis nominatim, quas Itali barbaras vocant, præclarissima ingenia; cuduntur ibi libri valde vtiles, quos impensis etiam multis habere expedit: quędam nonnullarum scientiarum Principia ibi traduntur latè, quorum cognitio potest esse necessaria, & a Viris in tali doctrina peritis expedit ea discere; solutiones argumentorum, quę contra illa a nostratibus fiunt, vel quibus propugnantur asserta communia in nostris regionibus, audiuntur, vel ad eas iterum impugnandas, vel ad illorum doctrinę adhærendum, si veritas reuera magis in illis elucescat. 47. Caueat, ne sit ex eorum numero, qui spatio aliquarū hebdomadarum, vel plurium etiam mensium toti penitus sunt in studio, ita vt parum comedant quoque, parum dormiant, ab animi relaxationibus ferè omninò se abstineant &c. Sed postea spatio plurium hebdomadarum, vel mensium penitus studium omittunt. Hi nunquam proficient; nam obliteratur memoria eorum, quę semel aliquis didicit, iterumque semper exordiendum: & licet aliquando ad profectum in aliqua scientia conducat, breui aliquo dierum curriculo ab eo desistere, maior enim alacritas ad illud prosequendum ex hac intermissione oritur interdum; longius tamen vitandum, nè amor scientię tepescat, subrepatque tędium laboris, cui studium necessario est annexum. Si necessitas vrgeat longiùs intermittendi frequens studiū; aliquo breui tempore in singulos quosq;, vel alternos saltem dies illi vacet, prętérita, vel faciliora recognoscendo, cum aliquo viro docto nonnulla conferendo &c. 48. Ipse potius laborem scribendi subeat quam scriptorem alium adhibeat, tùm quia raro reperiet viros, qui ad ipsius genium exactè scribant, tum quia quæ ipsemet scribit, altiùs menti infiguntur; faciliusque obliterat tunc quæ scribit, si meliora suggerātur. 49. Operā adhibeat, vt alicui in sciētijs illustri viro sit a studijs; a familiari enim illius conuictu plurima, imò & arcana scientiarū plerisq; incognita discet; methodum discendi, docendi, li-

brorum

brorũ notitiam opportunorum, praxim cum alijs, ac nominatim viris doctis agendi &c. experimento ipsomet percipiet. 50. *Si* quæ non videatur posse percipere, haud indignetur, multoque minus desperet. Ad profectum haud indignatio, vel desperatio, imò nec tristitia conducit, sed studium, ac in studio constantia. *Peritissimi* quique in qualibet scientia, nec omnia quæ ad illam spectant, assequuntur. *Præterea*, quod vna die non percipitur, alia sæpenumero percipitur. Non semper eædem ingenij vires, nec quocumque tempore ad eadem percipienda habiles. *Multo minus* tristetur, indignetur, vel desperet, si alios magis, quam se, proficere agnoscit. Illos quidem æmuletur; Animaduertatque, si aliquod vitium laudabile foret, posse censeri *Ambitionem* in hoc, quæ in nobili maximè ortis genere assiduioris studij, maiorisque profectus causa est. *Si* quis tamen velit, contendatque cæteris palmam præripere in scientijs ad Familiæ, Patriæque ornamentum, vel ad alium honestum finem, qui potest etiam supernaturalis esse, actum virtutis eliciet, dignum quoque præmio ante *Deum*: Cui gratias agendę de quacumque ad scientias habilitate, licet longè quibusdam alijs inferiori, quam industria sua perficere studeat; memor *Euangelicos seruos*, qui quinque, & duo talenta acceperant, cùm æquale lucrum reportassent, æquali mercede a Domino fuisse donatos. Huiusmodi gratiarum actio a *Patre luminum* maius quoque lumen ad percipiendas veritates exorabit: Qua de causa etiam sępe *Deo* gratias agat de propensione sibi tributa ad studium; summũ enim hęc beneficium est, cum illius beneficio soleat homo retrahi a vitijs, varia corporis, animęque pericula subterfugere, honoremque tum sibi, tum alijs conciliare &c.

Illustrissimo, atque Excellentissimo

IOANNI GRIMANO

Equiti, ac D. MARCI Procuratori;
Qui in mira Bonorum ferme Omnium
Fœcunditate,
Quibus à NATVRA, & ARTE largiter donatus;
Ac in summa Honorum Amplitudine,
Quibus à SERENISSIMA REPVBLICA
Decoratus est;
Ea cuique Humanitatis Signa exhibet,
Vt omnes quidem,
Sed præcipuè Sapientes Viros,
Ad Principes Patriæ Honores
Sibi exoptandos
Suauissimè alliciat:

Animaduersiones Quinquaginta
PRO ILLO, QVI IAM LAVDEM ALIQVAM
IN SCIENTIIS VIDERETVR ASSECVTVS
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
Comes Placentinus
Illius Sapientiæ Admirator
Venerabundus
D. D. D.

Caput Secundum.

1 SCiat laudes, quæ nonnullis, qui Scientijs operam dederunt, illasque docent, tribuuntur, oriri aliquando ex *Adulatione*, aliquando e *falsa Existimatione*, aliquando ex *mendaci Fama*; aliquando ex *Mendacio*; ac non raro esse exaggerationes meritis, vt pote profectas à valde beneuolis, vel aucupantibus eorum gratiam ad aliquam laudantium vtilitatem, vel ad Rhetoricam, siue Oratoriam Artem in exornatiuo Genere exercendam. Quare non sibi multum plaudat, arrogetque propter aliquorum laudes. Illas æstimet, quæ à Viris Prudentibus, Sinceris, ac exactè Callentibus scientiam, de qua ipse laudatur, & multò magis si ab æmulis, vel hostibus proficiscuntur: Hæ autem sint veluti Calcar ad vehementiorem in Scientiarum semita progressum faciendum. 2. *Quorumdam*, hoc est, *Imperitorum*, qui enimuerò valde Peritis Viris, vt pote sibi dissimilibus, secretisq; eorum inscitiæ redargutoribus, non possunt esse beneuoli; *Æmulorum, Inuidorumq;* Dicteria, & Scommata in nullo habeat pretio. Commune semper Viris fuit Doctis ab huiusmodi hominum generibus iniurias pati. An voce, scriptis, atq; libris maximè, hisce respondendum sit, secum attentè meditetur: expedit enim non raro linguam, calamumq; cohibere; eo etiam nomine, ne sibi suadeant minus Periti Hostes, siue Æmuli, Virum sapientem, dum refellit eorum Scommata, calumnias &c. Eorum dicta multi æstimare; ac inde aliquam nominis famam reportent. *Meminerit*, magnanimi esse pectoris, leuia quædam, leuiumque hominum dicta, factaq; floccifacere. 3. *Ipsemet interdum* secum examinet, an sit re vera tali sapientia exornatus, qua à cæteris censetur; curetque, vt assiduiori studio famæ Scientia respondeat re ipsa, si hanc illi non respondere agnouerit. 4. *Alios Sapientes*, etiam contra ipsius sententiam apertè sentientes, multifaciat, ac se multi illos facere re ipsa declaret, honorificè de illis loquendo; honoribus debitis illos prosequendo; eorum dicta, ac opiniones iuxta illorum sensum, ac in meliorem interpretando sensum, dum ambigua esset loquentis, vel scribentis Mens &c. Præterquam enim liberales *Artes ingenuè* sunt tractandæ, Vir Sapiens maiorem consequitur Honorem, cum suam sustinet sententiam contra Viros de literaria Republica optimè, vel bene meritos. 5. *Licet intellectus* dissentiat in multis ab alijs Sapientibus Viris; Voluntate tamen in eosdem sit propensissimus, eos in consilium adhibendo; in illos beneficia vltro conferendo; vt sui amici eorum etiam amicitiam contrahant, curando &c. In animi sensibus discreparunt, discrepantq; sanctissimi etiam Viri. De Iurisdictione ipsa Episcopos, etiam qui Pietate celebres habebantur, cõtendisse in Concilijs nec semel habetur. 6. *Caueat quam maximè* à Censuris aliorum Sapientum opinio-

nibus inurendis; id enim nō *Superbia* tantum, verum etiam *Ignorantiæ* sæpenumero argumentum est; Nam faciles huiusmodi Censores, qui sæpè quibusdam tantummodo addicti sunt Doctoribus, ac libris, aliorum sententias, eorumq; Principia haud norunt saltem exactè: nec Rationum pondera ritè examinant; vel etiam examinare queunt ob *Inscitiam*, vel *Iram*, *Inuidiamque*, & aliquando *Odium* in Auctorem; nam huiusmodi Passiones rectum mentis iudicium perturbant. 7. *Auctorum iam defunctorum* Famę nominatim consulat, *Non* impias, absonasq; opiniones illis tribuendo; *Non* de industria eorum mores carpendo, aut vitia exaggerando; *Non* integrè illorum mentem explicando, nec vt illam percipiat, operam adhibendo; *Non* ineptiorem sensum æquiuocis illorum verbis tribuendo; *Non* sub illorum vocibus latentia eximiæ sapientiæ arcana manifestando &c. Hæc est in homines mortuos, qui se ipsos tueri nequeunt, veluti sæuitiæ species. 8. *Neminem prorsus contemnat*, sed omnes congruo prosequatur honore, ac illos maximè, quos norit sibi in aliquibus præstare, licet ipse alijs forsan antecellat in scientijs. Attendat; *tum* se multorum opera, cōsilio, patrocinio &c. indigere; *tum* alias etiam Artes, ac Facultates præter Scientias esse Reipublicæ vtilissimas: *tum* in homine sapiente *Modestiam* maximè commendari: *tum* hominem, licet scientijs instructissimum, dum Superbiæ vento inflatur, despici ab alijs omnibus, ac nominatim ab ijs, qui in scientijs, vel alijs artibus excellunt; omnia eius dicta, factaq; diligenter obseruari diligentissimè à cæteris, vt habeant, in quo ipsum accusent. Vir quidem sapiens, sed *modestus*, ab omnibus colitur; si quando erraret, errata dissimulantur; in benigniorem sensum ambigua eius dicta, atque scripta sumuntur; vltrò se homines offerunt ad illum honore prosequendum, dum per Vrbem incedit: Cum e contra *Superbum Sapientem* vltrò declinent e via, ne illi aliquod obseruantiæ argumentum exhibeant &c. 9. *Rarò, & non nisi coactus*, se ipsum, suaq; laudet; multoque minùs semet alijs pręferat doctis in tali scientia Viris. Non tamen se ipsum ita paruifaciat, vt à meritis sibi laudibus, debitisq; honoribus se penitus abhorrere significet; præterquam enim aliqui ex ambitione minores sibi laudes, honoresq; respuere possunt, vel illos se respuere, significare queunt, vt maiores sibi vindicent; id abiecti quandoque animi argumentum esse potest, & non verè ante Deum humilis. *Paruificentia* sui ipsius apud Morales Philosophos vitium est; & à Theologis non expers peccati asseritur. 10. *De æmulis sibi quibuscumque* nunquam minùs honorificè pro eorum meritis loquatur, vel scribat. Non faciles tamen præbeat aures, facilemq; fidem illis, qui aliqua ipsorum dicta, factaq; vitiosa sibi narrarent; ad aucupandam enim ipsius gratiam, maximè si apud Pri-

marios

marios Viros auctoritatem habet, posfunt aliqui interdum falsa prorsus excogitare, ac narrare circa æmulorum dicta, gestaque. 11. *Ne sit ex illorum* numero, qui soli sapientes haberi vellent, siue cuperent ad priuatum suum commodum; alijs sapientibus detraherent, variaq; detractionis genera ad id adhiberent; sollicitè inuestigarent, in quibus illos reprehendere possent, imò & accusare, aliquamque ignominiæ notam illis inurere; Magnatum gratia illos priuare, exososq; illis reddere, occultis, malisq; artibus curarent, vt dimitterentur e loco, vel non admitterentur in loco, in quo ipsi degerent. Indigni essent planè Mores huiusmodi Homine Moralem, ne dum Christianam, ac Religiosam vitam ducente, ab omninus planè reprobandi, licet conspicerentur in Viris Doctis, qui *B.V. Coronam*, vel *Rosarium* sæpissime præ manibus haberent, *pluribus* interessent *Missis*, in quibusdam *pijs operibus* semet exercerent, atque Viri *spirituales* haberentur; qui quandoque sub sanctitatis specie prauissimos animi motus occultare posfent, ac nominatim malignos, inuidos &c. 12. *Declaret re ipsa sibi gratum esse*, æmulos habere, cum quibus de doctrina contendat; sic enim & Veritas, quæ præ omnibus quærenda est à Viro Sapiente, faciliùs elucescit; acuitur ingenium; otium relegatur ab illis, qui iam laudem aliquam in scientijs sunt adepti; maiorq; laus etiam illis comparatur; Quid enim mirum, quod aliquis inter Viros indoctos, ac Idiotas, minusq; sapientes, ipsiq; etiam fauentes, ipse Sapiens habeatur! *In cæcorum Terra vel vnum habere oculum commendabile, ac maximum naturæ beneficium esse*, vulgo fertur. 13. *Ab alijs etiam Minus sapientibus* agnoscat, se discere multa posse: Quare cum audit aliqua proferri dissona ipsius doctrinæ, vel sensui ab hominibus etiam minus peritis, ne statim illa abijciat, sed perpendat; experietur enim, difficillimum esse quandoque, congruam, facilemq; illis responsionem afferre: si quæ consona dicantur, hæc in lucro reponat. Peritis autem in sua Arte, cuius ipse vel expers est, vel parum peritus, maximam habeat fidem; nec peritioribus dissentiat. 14. *Tunc se norit* in aliqua præstare scientia, cum Principia illius Prima, *Proximasq;* Causas, & *Proprias* Conclusionum norit; conclusionesq, in sua Prima Principia, quæ in qualibet scientia pauca sunt, resoluere sciuerit. 15. *Haud se in Scientum*, multòq; minùs *Sapientum* numero reponat, si propter *Auctoritatem Humanam quamcumque* Principijs, conclusionibusque cuiusuis scientiæ adhæreat; aut si propter Rationes quidem conclusionibus scientificis assentiatur, sed non habeat illas in suis Principijs euidentibus, vel immediatis cognitas; vel assensum tandem omnem in alicuius Doctoris auctoritatem resoluat. 16 *Sibi suadeat*, licet centesimum, & amplius annum ageret, & in aliqua excel-

luisset



luiſſet ſcientia, adhuc multa ſibi ſupereſse diſcenda ad eam ſpectantia ſcientiam. Argumentum eſt euidens hominis leuiter periti, arbitrari ſe ita perfectè vel vnius ſcientiæ notitiam aſſecutum, vt diuturniori circa illam ſpeculationi haud locus ſit. 17. *Ne putet*, etiamſi in aliqua verè excellat ſcientia, ſibi ſolummodo limpidiſſimam veritatis lucem affulſiſſe. Vndenam habet, quod alibi ſapientiores ipſo non exiſtant? Perſcrutatus ne eſt Omnes Ciuitates, Academias, Prouinciaſque? Obſcuris etiam in Oppidis, Pagiſque nõ rarò latent, ac interdum extrinſecas ob cauſas, Viri ſcientijs præſtantiores compluribus, qui in Academijs docent, & qui largiſſimis donantur ſtipendijs. Quare nunquam imprudenter ſibi Primas partes in ſcientia vindicet. 18. *Nullius opinionem*, quę ſit etiam vnius tantùm Viri meritò celebris in aliqua ſcientia reijciat, tanquam *Improbabilem*, vel *Irrationabilem*, non illa ritè examinata, ſatiſque diſcuſſa; Afferat *Inductionem*, aut *Demonſtrationem* ad eam falſitatis coarguendam, iuxta id quod ipſemet *Ariſtoteles 8. Phyſ. t.* 15. docere videtur. *Si prudens eſt*, exiſtimare debet, huiuſmodi Virum non ſine aliqua ſaltem probabili ratione in vllam inclinaſſe ſententiam, quam etiam tacitè ſaltem non indicauerit. *Nec facile* eſſe credat, hominum, qui ſcientiarum Principia teneant, maximè ſi in nullius iurarint verba, opiniones tanquam penitus irrationabiles, ac improbabiles reijcere. *Facilius* quidem eſt eas reperire in ijs, qui ſcientiarum intimos nõ adierunt receſſus, & qui, licet in nonnulla periti ſciẽtia, de quibuſdam ad alias, in quibus parum, vel mediocriter verſati ſunt, ſpectantibus ſcribere contendunt, & tanquam ſcientiarum Enciclopediæ poſſeſſores haberi volunt. 19. *Rationes non multas* (harum enim multitudo Doctrinæ infirmitatem non rarò oſtenderet ſolet) ſed paucas, pauciſq; contractas, & quæ euidenter, aut probabiliter, ex Primis proximè, ac propriè deducantur Principijs, ad ſtabiliendas ſuas concluſiones habeat, ſeligat, eaſq; dilucidè explicet. 20. *Cum Viri ingenio*, ac *Doctrina præſtantes* in opinionibus diſſentiunt, ſedulò attendat, *An* illi conciliari queant; *An* ſit ſola in Vocibus, ſiue Vocum acceptione diſcrepantia; *An* hi locuti ſint de eodem obiecto ſecundum vnam formalitatem, ſeu vnum reſpectum, & cum hiſce circunſtantijs, alij ſecundum alias &c. *Curet autem* intelligere, *Quinam Primus* quaſdam tradiderit Doctrinas, maximè celebriores, & quæ habuerunt ſectatores Viros excellentis ingenij: *Quid alij* poſtea addiderint; *Qua ratione* oppugnatę ab alijs ſapiẽtibus, ac propugnatę &c. 21. *Caueat*; ne vbi ſcientiam, vel ſcientias aliquas paulatim, ſucceſſuq; temporis, lectione, auditione, & experientia acquiſiuit, aliarum, quas Deus voluit eſse occultas, ſine labore, adhibitis certis ritibus &c. Compos eſse velit. *Veritatem* enimuerò ipſe quæreret, *non in Veritate*,

ritate,

ritate, sed *ad Vanitatem*; quæsitam inueniret, non ad *Veritatem*, sed ad *Vanitatem*; & (quod miserrimum est) in *Vitæ verbis lucra mortis* negotiaretur. 22. *Prauos animi motus* moderetur Vir, qui sapiens esse & haberi cupit; ideoque Philosophiam Moralem ante cæteras teneat scientias, eiusq; præcepta ad Mores, & Affectus spectantia executioni mandare pro viribus conetur. *Meminerit*, se multos habere inuidos, ac maleuolos, adeoq; etiam exploratores, ac Sindicos à se dictorum, factorumque; interdum seruos, ac eos, apud quos hospitatur, vel quorum familiaritate vtitur, esse amicos suorũ hostium, siue æmulorum, & aliquando pecunia, muneribusque, vel promissis allici ab illis ad indicanda illa, quæ ab ipso vel Domi geruntur &c. Quod facilius præsumere potest, si æmuli sint potentiores, maligni, existiment se aliqua in re grauiter ab ille læsos &c. 23. *Quoniam nullum ingenium*, & maximè *Pracellens*, sine *aliqua dementia*, vt dicitur, fas est reperire; sollicitè videat Vir verè sciens, in quo de illa accusari possit meritò, emendetq; pro viribus. *Intelligat* tamen, se, licet scientissimus foret, ac præclarissimas laudes à laudatis Viris, ac meritò haberet, obnoxium esse *defectui alicui*, ac *non leui*, siue à natura insito, siue à consuetudine, alijsque extrinsecis causis contracto: Nam experientia patet, hunc deprendi nominatim in illis, quibus Primæ Partes in aliqua scientia, vel Arte debentur; licet nonnulli illum occultare conati fuerint, vel conentur: *Quod iusto Dei iudicio fit*; nam hinc illi minùs sibi arrogant, cum præ oculis habeant obiectum, quod eorum superbiam retundere possit, & in hoc ipsis alios pręstare, qui non adeò in scientijs excellunt, vel earum quoque imperiti sunt. 24. *Ne ex eo quod sit in aliqua illustris* scientia, putet se de alijs posse scientijs, aliarumq; scientiarum peritis iudicium ferre. *Ne sutor vltra crepidam.* Suæ existimationi parum consulit ille, qui de scientijs, quas a primo limine vix salutauit, vel quarum Principia haud exactè nouerit, ac de rebus maximè inter illarum scientiarum celebres magistros controuersis disserit, aut scribit, ac si intimos earum scientiarum recessus adijsset; licet enim parum doctis fucum facere possit, Doctorum tamen se irrisioni exponit. Certè illum in multos labi errores necesse est, inter quos non erit *postremus*, Quod aliqua tradi in illa scientia, vel ab illius scientiæ peritis docebit, quæ illis nunquã in mentem venerunt, imò potius illis opposita; hincq; honoris iacturam & propter inscitiam, & propter imprudentiam faciet. 25. *Grauiter errabit contra Iustitiam* quoq; si suo ingenio fingens nonnulla ab illis, qui alias profitentur scientias, docere verè absona, ex hoc illos irrideret, contumeliosa in illos iaceret verba, atque in huiusmodi scientiam inueheret, minùs honesto nomine illam appellaret &c. Nec *vituperandæ simplicitatis* notam effugeret, qui facilè fidem haberet

ret nonnullis, qui nonnullas damnant ſcientias, eò quod eas ignorent omninò, vel earum Principia non calleant; *Temerarius* autem foret, qui haud habens nota, vel ſatis perſpecta alicuius ſcientiæ Axiomata, ac pronunciata, de illa pronunciaret, quaſi ex tripode, ſententiam tanquam de malefica, ac damnoſa Chriſtianæ Reipublicę. *Imprudens* omninò foret, qui quod vitio abutentium aliqua ſcientia eueniret, ipſi tribueret ſcientiæ. *Notum* eſt, alicubi Virum quemdam in Rhetoricis illuſtrem, ac in Sacrarum interpretatione literarum à multis valde commendatum, certè Virum valde erud tum, Theologiam ſolitum fuiſſe *Mateologiam* appellare: licet enim non paucorum cõtrouerſiæ Theologorum ſint ſolum de vocibus, & vanæ, nulliuſq; ferme ponderis, id tamen (pręterquam non eſt, multoq; minus fuit commune omnium Theologorum crimen) non oritur ex ipſa vera Theologica ſcientia. Adulterinæ Theologiæ quæſtiones illæ ſunt partus. Relegandæ ergo forent etiam cæteræ omnes ſcientiæ, quia ſemper multi non eas iuxta earum inſtitutum, imò & interdum contra præſcriptum illis finem exercent. Non animaduertebat iſte, inter Argumentorum fallacias numerari *Cauſam pro non Cauſa?* & tamen ille de Sillogiſmorum Fallacijs non nihil ſcripſerat. Rhetorica Ars nonne aptiori iure verborum luſus, ac lenocinium appellari poſſet, & tanquam pernicioſiſſima releganda eſset e Ciuitatibus, cum non pauci ea vtantur ad prauiſſimis dogmatibus imbuendos auditorum animos, ad multos multis obſtringendos vitijs, ad pacem vtriuſq; Reipublicæ Eccleſiaſticæ, ac Ciuilis perturbandam &c. Excanduiſſet tamen ille ira, ſi de hac Artē, in qua enimuerò pręſtabat, quis ita locutus fuiſſet, vel ſenſiſſet. 26. *Ne ſibi Cenſoris omnium* munus ſibi arroget, *multoque* minus ſe à *Deo* electum ad corrigendos aliorum errores ſiue in Diſciplinis, ſiue in Moribus arbitretur; Si non inſanæ mentis, ſuperbi enimuerò animi id argumentum eſt; Nec ſibi ſuadeat verè à Caritate Chriſtiana vrgeri ad colligenda ex omnibus Hiſtorijs tum Eccleſiaſticis, tum Sæcularibus peccata, quæ ab Hominibus in quouis gradu, & maximè Eccleſiaſtico conſtitutis patrata ſunt, eaq; publicanda ſingulorũ nomine recenſito, quando alij & doctiſſimi, ac pijſſimi Viri id munus non ſuſceperint, aut ſuſcipiant ad Chriſtiani orbis totius correctionem. *Correctio* quidem morum eſt valde laudabilis, & ex illius (quæ non tàntum à ſuperioribus erga inferiores, verum etiam ab inferioribus erga ſuperiores debetur interdum) omiſſione grauia importari queunt in Chriſtianam Rempublicam incommoda; *Circumſtantiæ* tamen ſunt attendendæ, in quibus, & cum quibus illa poſſit, vel debeat fieri; euenit enim aliquando, vt non ſolum quis non teneatur, verum etiam debeat non alios corrigere: *Quod autem quis*, & maximè ſi priuatus ſit, teneri poſſit ad om-

ad omnium statuum, qui sunt in Ecclesia, correctionem, licet p.jssimus, ac sapientissimus foret, & maximè per publicationem criminum, quibus in vnoquoque statu singulares personæ semet obstrinxerunt; quis homini cordato, nisi de Reuelatione Diuina sibi plenè constet, suadeat? Correctione ipsa maximè indigeret ille, qui hanc susciperet prouinciam minus vera pietate, solidaque doctrina præstans. 27. *Cum proprius sensus* à Viro sciente in ea materia, cuius ipse est peritus, exquiritur; *vel* taceat, si circumstantiæ suadeant, illum non esse proferendum, *vel* solùm indicet Auctores, siue Scriptores illustres, e quibus colligi possit, quid sentiendum sit, aut sentiri possit; *vel* si prudentia dictet, proprium esse aperiendum sensum, liberè, quid ex animo sentiat, in medium proferat; nec ab adulatione, pręmij cuiusq; spe, vel pecuniarum, honorumq; cupiditate, vel etiam à timore se impelli sinat ad occultandum verum, falsumq; afferendum contra id quod re vera ipse interius sentit. Quare dum arbitratur, sibi non licere suam liberè proferre sententiam, vel etiam posse ab aliquo minus æquo animi motu cogi ad aliorum sensibus, licet minus veritati consonis, adhærendum; huiusmodi Virorum, qui Doctores quærunt Adulatores, suisq; indulgentes cupiditatibus, illorumque sensibus, ne dum linguis, veritati consentientibus ab illa retrahere *per fas*, ac *nefas* niterentur, familiaritatem vitet omnino; nec horum seruituti etiam largissimis prouocatus stipendijs se ipsum ingenuum, suumq; liberale ingenium addicat. 28. *Non sit praeceps* Vir sciens de aliqua interrogatus quæstione, maximè non obuia, ad suam proferendam sententiam. Meminerit *Baldum*, vt vulgò dicitur, *petitum de mane* solitum fuisse *respondere de sero*. Imperitiores quidem solent ad id esse magis prompti. Vnius vel circumstantiæ mutatio (perrarò eadem omnino quæstio proponitur) attentiorem, ac diuturniorem sæpissimè exigit considerationem. Agitur in hoc non tantummodo de ipsius scientis honore, verum & non raro de aliorum commodis, ac incommodis; ac euenire potest, vt peccet nedum contra Caritatem, verum & contra Iustitiam, dum nimis citò pronunciat &c. 29. *Haud putet sibi indecorum*, si retractet ea, quæ antea dixerit, vel scripserit, si ea minus veritati consona deprehendat. Cum veritatis se studiosum esse profiteatur vir sapiens, à quocumq; hæc afferatur, quocumq; in loco, ac tempore hæc affulgeat, illam amplecti debet. Semet ingenuum, ac non pertinacem in male dictis, aut scriptis, exhibeat: *Declaret*, se non sine fructu in studium semper incumbere, cum in dies singulos *se ipso doctior euadat*. Homines doctrina, ingenioque pręstantissimi id præstiterunt, retractantes ea, quę iam quoq; ediderant. 30. *Non existimet sua detrahi existimationi*, dum apertè profitetur, se aliqua vel nō exactè tenere, *vel* etiā ignorare spectan-

tia quoque ad ſcientiam, in qua peritus cenſetur: In quacumque ſcientia ſunt nonnulla, quorum natura ſatis nō innoteſcit. Legimus, ſapientiſſimos, ac ingenioſiſſimos Viros nonnulla, quorum explicatio ad ſcientiam, quam profitebantur, & in qua excellebant re vera, nedum excellere putabantur, ſe neſcire, vel nullam ſibi occurrere illorum adæquatam rationem, apertè ſcripſiſſe. Sufficit indicare in multis, quidnam vt cumque dici poſſet. ***Hic animi candor*** nō poteſt non eſſe gratiſſimus Viris Cordatis, apud quos etiam maior auctoritas circa alia ab iiſdem dicta conciliatur. 31. ***Ne inter*** illorum velit ſe referri album, quibus omnia à cæteris Doctis Viris dicta, aut ſcripta *ſordent*; omneſq; ingenij vires in impugnandis alijs, ac ſæpiſſimè Cauillis, impendunt. Si aliquorum genium foret, vt non *niſi ſua placerent*; An non meritò cæteri omnes contra illos? Illi in ***Criticorum*** potius numero, quam ***Sapientum*** reponendi forēt. Nō eſt adeò laborioſum alios arguere. Laudabile eſt maximè, *proprio excogitare Marte*, quæ luce publica digna ſint. 32. ***Ne diſputet*** Vir ſapiens ***Cum*** Viris quibuſdam *ſciolis*, & qui ſcientias vix à primo ſalutarint limine; neq; *cum* illis, qui tantum ſibi habent propoſitum animi ſui ſenſus tueri; *vel* qui ſolùm in legendis quibuſdam libris, & Auctoribus detinentur, quibus ſi quid diſſonum audiant, ſtatim tanquam veritati etiam diſſonum cenſent, affirmantque &c. Hi ſolent eſse valde arrogantes, contumelioſi &c. ac ſępe non minùs ingenij, quam iudicij expertes, Magiſtrali ferula quandoque dignisſimi &c. Hinc non contendendum cum illis, qui ſolummodò *Logica* quædam, aut ***Inſtitutionum*** ſiue ***Iuris Canonici***, ſiue ***Ciuilis*** libros euoluerunt, vel ſolùm in ***Nauarro, Toleto &c.*** verſati ſunt &c. 33. ***Ne ſe ſuperbum putet***, dum te pluſquam multos ſapere putat Vir ſciens, idemq; ex occaſione etiam proferat; ſecus à vero aberrarent ipſius ſenſus, dictaque. ***Specimen*** quidē ***ſuperbi animi*** exhiberet, ſi peritis in ſua arte, cuius eſt ipſe expers, vel peritioribus præ ipſo fidem nolit habere. 34. ***Non niſi*** poſt longam diſcuſſionem, accuratamq; cum doctis Viris conſultationem, velit eſſe alicuius nouæ Scholæ, ſiue ſectæ Princeps; Neceſſe eſt omninò, vt qui huiuſmodi Prouinciam ſuſcepit, ſit acerrimo ingenio, iudicioque præditus. Poſsunt nouæ huiuſmodi ſectæ plurimis erroribus, & etiam circa fidem, eſſe obnoxiæ. Vix fieri poteſt, vt noua quædam modò Principia excogitari poſſint, ***quorum*** ſaltem *ſemina ab antiquiſſimis Sapientibus* non ſint iacta. Certè ſi nonnullorum ex antiquioribus effata nonnulla latius explicarentur, multę de nouo exiſtere poſſent ſapientum Scholæ; nec inutile foret, aliquas iam antiquatas reuocare, præciſis tamen illis ſemper, quę veræ fidei obſtarent; ne dum aliquas ad rectum re vera ſenſum pertrahere, & ex ijs nouas eruere concluſiones &c. 35. ***Sollicitè animaduertat***, ne meritò numerari poſſit inter

ter

terillos, qui parum prudentes, minusq; ingeniosi, vel sinceri, suas vel amici alicuius Auctoris Rationes, siue Sillogismos putant passim esse Demonstrationes, ac effata, quibus nefas sit refragari; idq; imperitis nonnullis, vel primò scientiarum studium auspicantibus suadere nituntur, à quibus deinde non rarò eorum arrogantia, versutia, ac falsitas deprehenditur. Quot publicantur tanquam Demonstrationes, dicunturque vt tales habitæ à Viris famæ non vulgaris in scientijs, quæ ad Trutinam Philosophicam, ac nominatim Aristotelicam, examinati, non Topici, sed tanquam Sophistici Sillogismi fuerunt existimati, in quibus etiam singulis sæpe plures ex illis fallacijs deprehensæ fuerunt, quas in *Elenchorum* libris recenset Aristoteles ipse, cuius erãt studiosissimi! Id tantũ cuiuis humano intellectui elargitus est sapientissimus rerum omnium opifex Deus, quod vt plurimum saltem rerum naturalium cognitiones tantummodo probabiles e diuturno etiam studio assequatur. Eritne ingenui sapientis illudere alijs, ne dum mentiri, asserendo esse Demonstrationes Rationes, quę fermè semper ad summum erunt dumtaxat *Probabiles*, & quandoq; etiam *Captiosa*, ac *Sophistica*? Hoc quidem quiuis facilius præsumere potest, ac meritò, dum in gratiam alicuius Auctoris, cuius ipse est studiosissimus, vel alicuius Opinionis, quæ alte suo insederit animo, aliquas rationes excogitauit &c. *Eoq; magis* sibi timeat à *Paralogismis*, quo plures putat se habere Demonstrationes. 36. *Ne sit nimis anxius* in inquirenda natura, ac Veritate rerum nonnullarum, etiam Naturalium; præterquam enim aliquarum nunquam assequetur, Veritatis compotes fiunt illi, qui diligentes enimuerò sunt, at nõ anxij, in eademq; re mentis obtutu ferè semper defixi. *Ad hæc*; ista sollicitudo nimia noxia vehementer est sanitati, cum somnum impediat, rectæ ciborum concoctioni obstet, tempus animi relaxationibus necessarium adimat &c. 37 *Habeat saltem Virum vnum fidelem*, qui sit probitate, ac doctrina pręstans, cui peculiares animi sui sensus in ijs, quę ad scientias spectant, explicet, & à quo sincerè intelligere queat, in quo erret, veritatem minus attingat &c. cum quo aliqua discutere possit &c. Nihil gratius ostendat sibi futurum, quam si fideliter, ac plane amicissime iste etiam animi sui sensus indicet; Locoq; beneficij maximi à Deo collati habeat, si huiusmodi Vir sibi occurrerit. 38. *Vsitatas voces*, ac loquendi modos apud Viros in tali scientia versatos adhibeat Vir sapiens, licet minùs Grammaticorum legibus, Rhetorumq; genio accõmodos. Cum Voces ad placitum sint, & quæcumq; scientia, imò & Ars ad exprimendos animi sensus circa propria obiecta habeat à Viris in tali scientia versatis impositas, iudicij expertem se declararet, qui alias adhiberet Voces; præterquam talis immutatio haud ingenij argumentum foret. Cum

in Vocibus discrepant periti in aliqua scientia. *Cũ pluribus loquendum.* Præferenda tamen semper acceptio Vocum imposita à Principe talis Scholæ, Sectæ &c. 39. *Ne in innouandis vocibus*, siue synonimis quibusdam vocibus excogitandis tantùm, tempus impendat, quibus imperitis velit suadere se aliqua de nouo in literarię Reipublicę commodum afferre, cum tamen huiusmodi circa Voces lusibus potius incommoda illi importet, eo quod nonnulli se multum profecisse in scientijs existimare possint, cum multas ex huiusmodi recentioribus acceptionibus, siue synonimis vocibus memoriæ commendarint &c. 40. *Cum non sibi soli*, sed *alijs* quoque *natum* se existimare debeat Vir sapiens, si quando illius opera Reipublicę administrationi, publicisq; negotijs, ac nominatim Patriæ, vel Ciuitati, in qua degit, & in qua multo habetur pretio, necessaria sit; priuatæ voluptati, quam in studendo, ac in scientijs semper proficiendo percipit, publicum præponat commodum. Interdum quidem Ciuitatum Honori, ac Famæ (quæ inter pręcipua Ciuitatum bona sunt numeranda) conducit magis, si homo re ipsa sciens ad Reipublicę gubernacula non admoueatur, licet illorum tractandorum cęteroqui peritus foret, dum alij ad id apti supersunt, & Volens in *suo Agello*, vt dicitur, *cum Libello* relinquatur; etenim dum Famam in scientijs immortalem, maximè in librorum editione, acquirere potest, hinc Patria, vel Ciuitas, in qua vitam ducit, longe illustris, siue illustrior, quam antea euadere potest, quam si ipsius Reipublicæ clauum moderaretur. *Accedit ad hæc*; non raro fieri, vt Viri scientijs, maximè speculatiuis, dediti, parùm ad aliorum regimen apti sint, & in praxi ipsa frequenter deficiant; errentq; in factis qui cæteroqui sapientissima præbent consilia, variaq; media excogitare norunt propter ingenij solertiam ad aliqua executioni mandanda, eo quod quorumdam contemplatione præpediti manus ad quædam admouere omittant &c. Hinc Sapientes etiam Politicos quosdam ad Consilia, non verò ad populorum regimen euehendos esse nonnulli sentiunt. 41. *Sibi debitos, siue congruos honores, ac gradus* quærere, à sapientia non semper alienum putet, & maximè, cum illi conferendi forent in homines, qui illis indigni forent, aut minùs digni quam ipse foret, teste experientia, vel communi Ciuium peritorum suffragio; aut ex illorum adeptione magis honorificè suam ipse sustinere dignitatem posset &c. A sapientiæ quidem semita deflecteret, si honores, etiam literarios, quibus norit se re ipsa indignum, aut suæ impares conditioni, siue ingenio, non à se repelleret; vel ad consequendos sibi debitos quoque encomia ab alijs valde exaggerata, vel falsa quæreret, similiaq; media non sincera, nec suæ congrua dignitati adhiberet. 42. *Scientiæ*, cuius ipse amplam, vberemque obtinet possessionem, alios hæredes constituat;

pecu-

peculiariter nonnulla tradendo, quæ *assiduo studendi labore, longo annorum vsu, experientiaq;* cæteris haud nota didicit. Id enimuerò exigit *Humanum Genus,* cuius ipse est *Pars*; *Patria,* cuius ipse est *Ciuis*; *Ecclesiæ,* cuius ipse est *Filius*. Si Moralis Philosophia naturali lumine dictante suadet homini pecunioso, vt sit in alios liberalis; an non multò magis docet, vt homo, qui scientiæ, vel scientiarum amplo potitur patrimonio, in illius partem alios deuocet, ac nominatim illos, qui eosdem fines eo defuncto sint seruaturi, & multò magis, si illos propagaturi sint? Dum quis bonū, quo largè potitur, alijs sine suo dispendio haud communicat, auarum se, aut inuidum exhibet. Hinc fit, vt viri verè sapientis, publicumq; amantis bonum sit alios instruere. Et in hoc quidem Doctrina præstantissimos homines vltimos etiam Vitæ suæ dies impendisse ex historijs habemus. Labor ipse docendi pręter *Iucunditatem,* quam adiunctam habet, dum ex iactis in aliorum intelligentia doctrinæ seminibus nobiles sapientiæ fœtus existere videt, quos tanquam ingenij sui filios non potest non summo prosequi amore; *Vtilis est* ipsimet docenti, cum doctior hinc sępe euadat; *A suis* enim auditoribus, qui altiùs, quam alij, suam perceperunt doctrinam, eamq; scrutati fuerunt, longè maiores sæpè audiet excitari difficultates, quam ab alijs licet ingenio, ac doctrina illustrioribus, quæ sibi interdum facessent negotium, & quarum solutionem solertiùs indagare cogetur: *Explicationes* quasdam, siue confirmationes suæ doctrinę, quę in mentem haud sibi venerant, cum summa voluptate audiet; *Sicuti & quædam* innui, quę profundius ipse meditans altiores Sapientię fontes adibit: *Intelliget*, an consequenter iuxta Principia, atq; in omnibus suis conclusionibus procedat &c. *Hac docendi varietate* studium priuatum *intermittitur*, quod alacrius deinde suscipitur; *Acquiritur docendo* facilitas quędā internos animi sui sensus explicādi; *Solertiùs quiuis* prudens *meditatur*, quę propositurus est alijs ea discussuris; pręterquam illa Vocis emissio salutaris quoque est ad *sanitatem &c.* Selecti tamen ingenij, ac propensi ad scientiam, quam ipse profitetur, ideoq; paucos potius, quam multos numero, habeat auditores. 43. *Aliquem habeat*, & si fieri potest, domi; qui *sibi sit à studijs*; cuius pręcipuum munus sit à se scripta diligenter recognita rescribere; indagare auctoritates, *tum* quas afferre cupit, siue intendit, aut voce, aut scriptis, aut libris, *tum* quas alij afferunt, vt cognoscatur, an talis re vera Auctoris, an tales omninò prout afferuntur &c. Secus si vir verè sapiens, ac sciens solus vacet studio, ingenti erit obnoxius dispendio temporis, quod in alijs momenti grauioris, & quorum consideratio, ac perscrutatio ad ipsum re vera pertinet, vel pertinere potest, impendendum foret. 44. *Nulli prorsus* salubria præbere consilia, quæ spectent ad illam scientiam, quam profitetur, detrectet:

trectet: Imò omnibus, qui ipsum alloqui velint (dummodo *non sint homines quidam otiosi*, qui *cum nihil habeant negotij, confabulandi occasiones vltro quærunt*) facilem det aditum, ac nominatim *Exteris Hominibus*; E longinquis enim Ciuitatibus, ac Regionibus discedunt non rarò homines tum nobilitate, tum pietate, tum doctrina præstantes virum in scientia, siue in scientijs illustrem inuisuri, & cum illo collocuturi, quibus suum negare aspectum, & alloquium esset verè inhumanissimum: In hos enimuerò magis, quam in alios, Humanitatis, ac Vrbanitatis argumenta à Viro sapiente exhibenda sunt, illiq; si commoda supersunt, ad frugale etiam conuiuium aliquod inuitandi. A pluribus ex hisce hominibus externis plurima discere poterit ad scientias quoque spectantia, si maximè illos vltrò interroget &c. *Opportunum foret*, vt Vir sapiens certas in singulos ferme dies statueret horas, quibus cuiq; ipsum adire liceret; fieret enim, vt & multi liberiùs ad ipsum accederent, nec ipse studium ad horas præscriptum intermitteret; Quod tamen intermittendum est illi, dum vel necessitas amicorum, Ciuiumque vel sola etiam *Vrbanitas* erga accedentes, ac exteros præcipuè, id videretur exigere. 45. *In Corporis habitu* haud singularitatem amet: Sunt scioli nonnulli, qui promissa barba, insolitoque vestitu sibi auctoritatem aucupari maiorem nituntur. *Vestitus* sit suæ Dignitati, ac ætati congruus, exemplum aliorum similis conditionis hominum sequens. *Victus* sit quidem frugalis, sed homini ingenuo non indecorus: *Munditiemq*; in Vestibus, & ijs quę ad mensam apponuntur omnibus peculiariter amet. *A Stoicorum quorumdam*, vt vulgo fertur, vescendi, vestiendiq; genere valde sordido abhorreat quam maximè. 46. *Prodigus* potius sit, quam *Auarus* in illis, quę ad Alimenta propria spectant, Vir sapiens; *Memor*, tum *ab Auaritiæ crimine* se inter cæteros præcipuè remotum esse debere, qui norit perfectius præ alijs, quam fluxa sint, & caduca fortunæ bona; *tum, dum sibi, suæq; Vitæ consulit*, publico etiam Ciuitatis, vel Prouinciæ, ac etiam totius sępè Christiani orbis commodo consulere. 47. *Sicuti nimia Adolescentum, Iuuenumque* familiaritas Viro scienti, maximè ætatem iam assecuto maturam, est vitanda vt pote suę professioni, ac ętati minùs congrua, multorumq; dicterijs, ac famę minùs bonę exposita; *Ita ne* instar aliquorum ab illorum consuetudine abhorreat; *Tum* quia solet esse ad sanitatem tuendam opportuna, vt pote hilaritatem quandam animi, iucunditatemq; afferens; *Tum* vt illos Voce instruat; *Tum* vt suomet exemplo doceat, non esse adeò tristem, ac mœrori expositam, vt multi arbitrantur, hominum in scientias incumbentium Vitam, imò honestas quasdam animi relaxationes cum quouis honesto hominum genere vltro admittere. Quæ cognitio, ac praxis non potest non esse

esse vtilis Iuuenibus, qui à falsis quibusdam de hominum sapientum viuendi more opinionibus ducuntur sæpissimè, ne seriò literarum studio se tradant. 48. *Attendat* pro viribus, ne sit *Ex illo Sciolorum Genere*, qui in aliquem propensissimi Auctorem quęcumque ab illo scripta, tanquam Diuinitatis oracula habent, nec audent illum erroris cōdemnare, licet manifesti; imò ad illum tuendum cauillos complures excogitant, cum tamen si quem in alijs, licet quandoque legitimè excusabilem, deprehendant, statim eum promulgent, exaggerent &c. indeque etiam Auctores, licet valde illustres, damnant ignorantię, in nullo se habere pretio significant, ab eorum lectione alios reuocant &c. Nec *ex illo*, Qui *Vitiligatores* à quibusdam appellat, litigandi Vitio, veluti morbo, laborant: Quorum scilicet opera ponitur tantum in alijs oppugnandis, in aliorum erratis animaduertendis, in insultando alijs, si quid minus consequenter videatur ab illis dictum & vndiq; adlatrandi, reprehendendi, pungendi, prouocandi &c. occasionem arripiunt. Nec *ex illo*, *Qui* mutuis assentationibus aures sibi permulcent, ac suis contenti speculationibus, quę non rarò futiles sunt, aliorum doctrinas, quæ tamen Soli, Pulueri, ac Luctæ fuerunt expositæ, despiciunt, detrectantque scire, quid celebres in scientijs Viri sentiant, scribantue: Nec *ex illo*, *Quibus* sapientiorum Famam, Doctrinamq; mordere, lacerare, ac dilaniare videtur esse propositum, laudesque sibi comparare satagunt ex Doctissimorum hominum vituperatione. Vir equidem verè *Sapiens*, sicut nullius fouet errores; sic ab omnibus, & maximè ab illis, qui in Sapientum numero recensentur, & *in omni* loco, ac *omni tempore* discere cupit; imò in longinquas quandoque regiones concedit, vt Sapientes viros videat, audiatque; omnes debito horore prosequitur, & se peccare etiam contra dignitatem suam (ne dum contra Christianam pietatem, ac Generis Nobilitatem) putat, si sua dicta, vel scripta agrestibus, improbis, petulantibus, felleis, iniuriosis contra alios verbis aspergat. Est illi maximè in Votis, vt in Scientiarum possessionem multi deueniant; legitimi possessores non ex illa deturbentur; earum fines porrigantur &c. 49. *Vir sapiens* ne in quibusdam leuibus, ac nullius fermè ponderis operam collocet suam. *Iniuriam suo* intellectui faciunt nonnulli, de hoc etiam coram Deo rationem reddituri, qui ingenium suum ad sublimia natum, & quod detineri posset in rebus maximi ponderis, & vniuersæ Reipublicæ, literatorum maximè, vtilissimis, in ludicris impendunt, vel etiam in nonnullis de nomine quæstionibus, & quandoque *Solæcismis*, vel *Barbarismis* nonnullorum scientificorum animaduertendis atterunt. *Famæ etiam* suæ, quæ celebris est quandoque, inferunt præiudicium nec leue, dum ex diuturnis eorum in studijs laboribus exiles ingenij, iudicijq; fructus existere

hominės

homines cordati vident. 50. *Vt sine erroris* periculo pro humana conditione, ac fragilitate possit,& sentire,& consilia alijs præbere, & scribere,atq; typis mandare,exactam acquirat notitiam *Locorum*, e quibus eruuntur Argumenta, *Tum omninò Certa*, quibus refragari nullus verè Catholicus potest; *Tum Euidentia*, siue *Physicè*, siue *Metaphysicè*, vel *Mathematicè*, siue *Moraliter*; *Tum Probabilia*, vel *Probabiliora* tantummodò: *Tum Apparenter Certa, Euidentia, Probabilia, ac Probabiliora.* Huiusmodi cognitione si destitutus sit, nunquam euadet *Sciens*, multoq; minus *Sapiens*; ac iure merito poterit, imò & debebit metuere, ne in illis, quæ sentit, docet, scribit, ac edere cupit, erret, falsasque pro Veris opiniones amplectatur, vel non suum pondus vnicuique Opinioni tribuat. *Intelligat autem*, sinè *Supernaturalis* ope *Luminis* in multos Circa *Naturali* etiam *Lumini* peruia obiecta errores se lapsurum.



Illustrissimo, ac Excellentissimo

ANDREÆ CONTARENO

Equiti, ac D. MARCI Procuratori;

Quem ob eximiam Morum Probitatem,

Scientiarumq; Peritiam,

Ac Senilem in Florenti Ætate Prudentiam

VENETA CIVITAS

Amore, & Honore prosequitur summo:

Qui SERENISS. VENETÆ REPVBLICÆ Orator

Ad Serenissimum Poloniæ, ac Sueciæ Regem

CASIMIRVM

Regiæ Maiestatis, ac Magnificentiæ

Præclara Superiori Anno dedit Argumenta:

Animaduersiones Quinquaginta

PRO TVENDA IN SCIENTIAS INCVMBENTIVM

SANITATE

Quorum se exhibet studiosissimum,

IVLIVS CLEMENS SCOTVS

Comes Placentinus

Singularium illius

In Maiores, Consanguineosq; Suos

Memor Beneficiorum

D. D. D.

Caput Tertium.

E

1 DEo in singulos dies gratias agat quam maximas de sibi inter cætera beneficia liberaliter concessa *Sanitate*, ac enixè ab eo petat, vt illam custodire dignetur, corporis viribus nunquam contra Diuinum viurus plac tum. Sapientis cuiusdam effatum fuit, *Ad Hominis Perfectionem Tria* ex gi, quæ à litera S. incipiebant, *Sanctitatem*, siue Probitatem; *Sapientiam*, siue Scientiam; *Sanitatem*. At si nomine *Sapientiæ* intelligantur Scientiæ communiter acceptæ, præponenda est *Sapientiæ Sanitas*. Non est sibi, nec alijs homo morbo correptus vtilis. Si hic *Patientia*, siue *Tolerantia*, & ad Diuina placita *Conformitatis* specimen exhibeat, iam hoc ad *Santictatem*, siue *Probitatem* spectat. Quare si eam Corporis constitutionem quis in scientias incumbens sort tus fuerit, quæ Morbis non sit obnoxia, ac idonea ad studij labores tolerandos, illam seruare integram enitatur, neque hoc singulare Dei donum se paruo habere in pretio re ipsa significet. 2. *Caueat pro viribus* Tum *Animi Molestias*; Nam hæ Vegetantis animæ functiones valetudini tuendæ necessarias impedire solent, haud sinunt cibum ipsum, qui sumitur, perfectè concoqui, ac distribui, somnum adimunt &c. Tum *In Cibo*, ac *Potu Intemperantiam*; ex hac enim vt plurimum oriri Morbos, quibus Humanum premitur Genus, peritiores Medici tradunt; cum tamen per se nulli à moderata abstinentia, ac sobrietate proueniant. Tum *Luxuriam*: Vel Vnica seminis emissio vltro prouocata haud inclinante prorsus natura plerumque corporis vires magis debilitare solet, quam duarum, vel trium sanguinis librarum emissio, vt aliqui docent, quibus nec ratio ad id probandum deest. 3. *Perpendat*, Vitium esse *Intemperantiam in studendo*, ac peccari posse etiam grauiter in illa. Quis enim non reprehendat illum, reumque peccati nec leuis faciat, qui ita studio se tradit, vt Corporis vires valde atterat, longe breuiores sibi vitæ dies reddat, morbos graues contrahat, & licet aperte videat v.g. oculorum aciem sibi debilitari quam maxime, adhuc tamen priorem in studendo constantiam, siue potiùs pertinaciam prosequi velit? & aliquos quidem compertum est ex hac in studendo intemperantia videndi facultate (qua nulla inter sensitiuas facultates est scientijs opportunior) penitus fuisse destitutos, cum ingenti amicorum luctu, ac reipublicæ etiam literariæ incommodo: Qui si magis fuissent continentes, certisque horis à studio abstinuissent, plurimos in studijs annos impendissent cum maiori sua voluptate, amicorum lætitia, ac literatorum emolumento. Verissimum est illud, *Qui minus quandoque studet, plus studet*, sicuti & *Qui minus comedit, plus comedit*. Non est temporis dispendium illud, quod recuperandæ, vel custodiendæ sanitati tribuitur. Hinc vbi quis dolore Capitis, Stomachi, vel alio quocumque morbo, vel symptomate

tomate pręter solitũ, se aliquãdo laborare experitur, studiũ intermittat &c. 4. *Intelligat* esse *Virtutem*, tum à *Philosophis*, tum à *Theologis* commendatam, quæ circa honestas, congruasque animi relaxationes versatur; *easque* nominatim in Viris contemplationi, studioque deditis approbari. Certè cum nostræ mentis, quæ corpori iuncta est, vires finitæ virtutis sint, adeoque non possit, *aggrauante animam corpore*, in obiecta maximè insensibilia obtutum semper habere defixum; *Vitales, Animalesque spiritus* mentis speculationi omninò necessarios, qui in Corporeis resident facultatibus, reparare opus est, ac vegetiores reddere. Nec deneganda est ab anima rationabiliter operãte corpori, in quod *despoticum* quidem haud obtinet *dominatum*, congrua relaxatio rationis limites non excedens; *imò* potius illi vltro concedenda, vt aptius, alacriusque menti in suis inseruire functionibus possit. Non tamen quæuis, licet per se honestæ, cuique hominum generi, & ætati cuique, sunt concedendæ. Erit Rationis rectæ illas præscribere. 5. *Horas tribuat* studio magis opportunas, corporiq; minùs incommodas, quales sunt in quauis anni ætate *matutina*, ac præterea hyemalibus mensibus *nocturna* ante cænam, æstiuis *pomeridiana*, cum vespertinę preces decantari cęperũt; autumnalibus, ac Vernis aliqua *nocturna*, ac etiam *diurna*. Inter prandium, ac studium saltem *duarum horarum* interponatur spatium; præterquam enim mens nõ adeo exactè tunc in obiectorum contemplationem ferri potest, recta cibi concoctio impeditur; e qua Capitis, ac Stomachi nominatim grauedines. *Sit* prandium breuius, siue prandiolum potius, si nequeat à cibo penitus abstinere, dum post horam prandio decretam alicuius scientiæ studio vacandum sit. *Nihil verè* solet esse magis noxium, quam post cænam in studium incumbere; pręterquam enim iam decretum somno tempus adimitur, somnus postea, qui subsequitur solet esse grauis, ac interruptus spiritus, quorum partes sunt; Ciborum concoctioni inseruire, consumuntur, debilitatur caput, oculique nominatim læduntur &c. Si quis longiori indigeat studio propter occurrentem maximè necessitatem aliquam, matutino tempore potius surgat citius præter morem, minori cibo in cæna sumpto; vel cænam differat, vel saltem leue quid comedat, studeatq; deinde. Libri alicuius lectio, quæ tamen mentis attentionem non exigat, permittenda tantummodo nonnullis propter inueteratam consuetudinem. *Minus quidem sapienter* faciunt illi, qui horas corporis quieti, ac labori à natura præscriptas peruertunt, dum multas e nocturnis horis in studio impendunt; somno autem detinentur, vbi Solis radij horarum etiam spatio terras collustrarint. Sub Auroram, vel exoriente Sole studium esset auspicandum; viuaciores etiam spiritus à cęlestibus influxibus tunc deriuare videntur. 6. *Somnus non*

sit sex horis breuior, nec *nouem* circiter longior ; Commendabile est septem, aut octo somno dicare, potiusque exuperet tempus Somno tribuendum, quam deficiat. Nihil magis noxium sanitati, quam Vigiliæ, siue congrui detractio somni; subtrahatur potius opportunus cibus, quam somnus: Nec surgendum, nisi spiritus, Corporisq; vires reparatas, vegetioresque redditas, ac nominatim Caput fumidis vaporibus denudatū, cibumq; præcipuè concoctum quis præsentiat. Vtile ad hæc erit incumbenti in scientias *Paginam* penes se habere, in qua denotantur *Hora cum minutis*, quibus in singulos menses, mensiumq; singulos dies *Sol exoritur*, decantatur *Tertia*, datur signum, tum *Meridiei*, tum *Vespertinarum precum*; Iuxta enim illam horas studij ante cœnam, maximè ab Octobri mense vsq; ad Martium, statuere poterit octo circiter horis somno decretis. 7. *Licet somnus post prandium*, siue Meridianus, a nonnullis vituperetur, illi tamen indulgendum, cum non satis quis nocturnis horis dormierit, aut dormire potest, vel cum ex eo experientia patuerit vires Animæ, Corporisque coadiuuari: Sit tamen plerumq; modicus, & in Anaclinterio, siue in sedibus ad hunc diurnum somnum consultò factis; Nam in lectum concedere In maximis solum caloribus permitti solet, & præcipuè cum nocturnis horis, quæ sunt tunc breues, quis diu vigilauerit. Non pauci quocumque anni tempore aliquantulum post prandium somno se vrgeri permittunt; secus non liberam homnino habituri mentem, nec caput vaporibus denudatum: Quod si ipsis non permittatur, periclitantur nonnulli, se nocturnis ante cœnam horis studio dicatis somno se premi. *Addendum est hìc*; Quacumq; hora irrepat somnus, si illum natura petat, haud illi denegandum. Nequit vllus ea, quæ par est, diligentia, studio vacare, cum somno vrgetur; cui se quis horæ v. g. quadrante dederit, statim alacrior ad prosequendum studium redditur. 8. *Lectus* sit omninò *Mollis*, non ita tamen vt corpus quasi sepulcrali lapide vndiq; tegat, ac validè corpus calefaciat; ideoque laudabiliores sunt culcitræ ex lana ouina, siue potius veruccina, quam ex pluma, & maximè quarumdam auium, in quibus calor valde prædominatur. Renibus nominatim exuperans calor noxius est maximè. *Hac de causa* etiam non laudantur ad calefaciendum lectum hyemali etiam tempore instrumenta quædam in modum Capsulæ efformata, quæ immota longiori aliquo tempore calorem impertiunt vehementem, atq; consistentem Culcitris nominatim; satis est, vt humiditas, ac frigus repellatur e lecto, et linteaminibus communicetur calor, qui à consueto ad calefaciendum lectum instrumento impertitur. *Omnis* quidem aeris frigiditas e *Cubiculo* pro viribus repellatur. 9. *Cum in lectum* concedit, omnem à se repellat pro viribus cogitationem, ac nominatim molestam, vel ad studium spectantem:

Quod

Quod idem omninò præstet, si quãdoque expergiscatur intra horas somno iam dicatas *Recumbat* autem cruribus & brachijs modicè cõtractis, capite non nihil erecto, non supinus, nec in faciem cubans, sed super alterum latus; & priùs quidem iuxta nonnullos super dextrum, vt ventriculi coctio ab hepate adiuuetur. *Corporis tegumenta* hyemali tempore adhibeat nec multa, nec grauia, sed pauca, ac leuia, calorem tamen congruum afferentia: *Exuat* se subucula, alijsq; interioribus vestibus, & si decorum siue honestas patitur, etiam lineo indusio; corporis enim expirationi aditus tunc maximè liber esse debet. *Æstiuis* etiam mensibus non dormiat expositus nocturno aeri, licet in summis caloribus posset cubiculi porta, vel etiam fenestra esse non clausa; Cum corporis pori tunc maximè pateant, nocturnis vaporibus Caput nominatim opplebitur. 10. *Vbi quis* hora præstituta euigilauerit, *Deoq;* gratias reddiderit, quod ad illam diem vitæ suæ dies prorogarit, ac noctem quietam, iuucundumque somnum elargitus fuerit; erit vtilissimum, si ipse nudis palmis, vel aliquo tenui lineo coopertis totum corpus suum leuiter perfricet, incipiendo à brachijs, pedibusq; & cruribus, ac in illas desinendo partes; nam hinc expelluntur pigri quidam vapores, excrementitiæ quædam partes præcipuis humani corporis partibus noxiæ ad inferiora propelluntur, ad motum agilius redditur corpus, ad speculationem promptior euadit mens &c. Quod vt facilius quoque obtineri possit, aliquantulum caput digitis, vel vnguibus ante cæteras corporis partes perfricare opportunum erit. 11. *Non omninò laudandus* aliquorum mos, qui expergefacti in lecto adhuc se detinent, ibique speculationi, studijsq; vacant; preterquam enim lecti situs quędam opportuna studio non suppeditat, iterumq; somno se tradendi ansam illius commoda offerunt, mens non solet esse adeò libera, ac expedita ad functiones in lecto decumbentis, vel propter stationem illã, situmue corporis, vel propter non perfectè purgatum corpus, caput, &c. *Accedit*, quo quis diutius se detinet, hyemali nominatim tempore, in lecto; in eo diutius semper cupere in illo morari: Si autem expergefactus decumbentis reliquerit situm, vestimentaq; illico arripuerit, desidia quędam ablegatur, lecti quietem dimittere non redditur illi adeo laboriosum, illaq; corporis alacritate alacrior etiam redditur animus ad suas functiones. Situs in lecto est similis cadaueris situi; & hinc merito quoque *Somnus mortis imago* dici potest; qua de causa forsan nonnulli Medici suadent, vt ægroti pro viribus in lecto non iaceant, sed sicut erecti non solùm secundum Caput, verum etiam secundum mediam corporis partem, hoc est à capite vsq; ad vmbilicum, siue ad coxas. Homo Sanus à morte, adeoque à sepulchro, quàm maximè remotus est: Ægrotus parum à morte, sepulchroque distat.

distat. Nisi ergo somni necessitas vrgeat, homo præcipuè studiosus, ac sciens, cuius vita est valde publico oportuna bono, mortis, sepulchriq; speciem etiam deuitet sollicitè, situmq; iacentis in lecto, tanquam minùs sanitati tuendæ idoneum deuitet; sed vel *stet*, vel *sedeat*, vel *aliquem corporis motum* exerceat &c. 12. *Vbi quis* e lecto surrexit, vestibusque se induerit, & paululum ambulauerit 1. Corpus *purget*, tum à fluidis, tum à consistentibus excrementis 2. Caput *pectat* ab occipite in sinciput, & postea à sincipite in occiput pectine eburneo, & prius rarioribus quidem radijs; non sit autem nimius in capillis pectendis, *tum* ad temporis dispendium vitandum, *tum* ad muliebres vitandos mores, *tum* ad vitanda inde capitis damna &c. 3. abluat *manus*, ac *faciem* aqua recenter extracta hyemalibus etiam mensibus, in quibus illa solet esse tepida; aqua enim simpliciter calida, si admoueatur, affert potius frigus paulò post, ac præterea manibus tumores quosdam &c. Illa manuum, ac faciei fricatio præter munditiem, quasdam excrementitias partes repellit, magisq; vegetū caput, vegetamq; manum (hæ sunt pręcipuæ partes, quæ necessariæ sunt homini studioso) reddere solet. 4. Dentes *abstergat*, & siue cartam, siue lineum quid crassius per dentes deducat leuiter; quo si fiat, vt sanguinis quid parum e gengiuis effluat, erit id vtile Capiti quoque ipsi, ac cerebro, cum sit instar cuiusdam purgationis, siue purgatiui medicamenti. 5. Hyemali tempore *vbi quis* surrexit, aperiat saltem cubiculi, in quo somno se dedit, portam, vt detur nouo aeri aditus, ibique occlusus aliquantum saltem expiret; cum enim aer nocturno tempore fuerit multis horis occlusus quasi putrescit, vnde & fœtorem quemdam concipit aer, qui non expirat: Æstate verò, cum facilius aer prauas etiam qualitates concipere possit, statim fenestra recludenda, & si expositum matutino Soli sit cubiculum, antequam solis radij illud percutiat, frigidiusculo aeri, qui solet sub solis ortum apparere, exhibeatur ingressus vltro in cubiculum; Solis autem radiorum percussio ita amoueatur à fenestris, vt tamen aeri nouo non omnis penitus intercludatur aditus, tum ne putrescat aer, tum ne maiorem etiam concipiat calorem &c. Vernis quoque, ac Autumnalibus mensibus idem proportionaliter pręstandum circa fenestrę aperitionem &c. Cauendū tamen, ne quis se exponat e lecto surgens aeri vaporibus oppleto, aut ventis exposito; nam in Capite nominatim, cum pori sint tunc maximè aperti, grauedinem contrahet &c. 6. Antequam *studio se quis tradat*, hyemali tempore etiam vtile est, vbi quis surrexit e lecto, atque ab excrementis se purgauit &c. aliquantulū ambulare in cubiculo, eo etiam nomine, vt calor qui e lecto deriuauit in pedes nominatim, cōseruari diutius possit; Æstiuo extra domum etiam concedendum ad aerem frigidiusculum attra-

hen-

hendum &c. quo attracto æstiuis mensibus minori cum labore possit matutino tempore studio indulgere. 13. *Inter corporeas exercitationes* amet maximè *Ambulationem*: Vt autem hæc pro viribus vtilis fit. 1. non fiat *excrementis* non reiectis, nec stomacho immodicè *ieiuno*, vel *saturo*. 2. fiat *ascendendo*, ac *descendendo*; adeoque potius in vijs *inequalibus*, quam æqualiter *stratis*. 3. fiat *aperto aere*; & sub dio, non in *porticu*, nisi ingruentibus pluuijs, tempestatibus, aut validioribus ventis; potius *extra*, quam *intra* ciuitatē; ac potius in *montibus*, locisq; erectis, quam *vallibus*, locisque inferiorib. 4. non fiat in *crepusculis matutinis*, aut *vespertinis*, cum immixti vapores aeri possunt esse capiti nocumento; & *æstate* quidem; matutino Orto Sole statim; *vere* paulò post, aere temperatiori reddito; *autumno*, & *hyeme* circa meridiem 5. Ad *vmbram* potius fiat, quam ad Solem, nisi ad summum hyemalibus mensibus. Vitanda ambulatio, sed maximè statio, ad Solem vernis, ac autumnalibus mensibus, & vbi pluuia irrigata est terra, propter vapores quos attrahit sol, nec habet vires eos resoluendi, sicuti in æstate &c. Qua de causa etiam fiat, dum Cælum est serenum, non verò dum est nubilum &c. 6. In vmbra *potius fiat*, quam *parietes*, aut *viridaria* efficiunt, quam *quæ tecto* subest; & sub *vmbris* arborum *myrti*, aut *lauri*, vel inter *acres*, ac benè *olentes* herbas &c. 7. Prosequenda ambulatio *vsque ad sudorem* exclusiuè; qui si emittatur, abstergendus ille; aliudque indusium humiditate penitus vacuum, calidumq; si fieri potest, aliquantulum, est assumendum. Si autem contingat istud non posse haberi, ne sudor noceat, maximè si vsus sit alio semet induendi indusio; tunc nonnulli docent, vini generosi largius quid sumendum, vel vrinam emittendam &c. Certè tunc *cauendum* est maximè, ne *frigido*, aut *ventis percito aeri* se quis exponat, aut valde frigidum vinum, siue etiam aquam maximè frigidā, etiamsi calores summi sint, potet; nam facilè in morbos etiam lethales, & qui breui in mortis discrimen adducent, incidere poterit. 8. Motus iste *ambulationis* non sit nimis *remissus* instar muliebrium passuum, neq; nimis *concitatus*, ac *velox* instar tabellariorum, sed moderatus; & initio quidem concitatior, matutino nominatim tempore, ad excutiendos quosdam quasi desides spiritus, vel ad eos excitandos, vel alacriores redendos &c. Iuuat quiescere interdum, ac repetere ambulationem *Æstate* autem moderatior, ac lentior sit. *Stationis* motus diuturnus, vitandus; solet enim in corpus e fallaci illa quiete languor potius in memba, quam alacritas deriuare, nominatimq; extremæ partes valde debilitantur &c. Statio breuis, sicuti & lenta Ambulatio nonnullis est opportuna. Laudatur inter corporis exercitationes maximè *Parua* lusus *Pila*; qui tamen dextram manu chirotheca cooperta, vel tabella lignea, non verò reticulis, quibus solet

agitari

agitari nimis corpus,& calefieri (quod etiam euenit cum lusorius follis adhibetur,ad quem vires Corporis ingentes exiguntur) exerceatur vsque ad sudorem exclusiuè. Venatio quoque piscium, auium, & placidorũ quoque terrestrium animalium est satis quoque studioso opportuna. Multa ad huiusmodi exercitationes studioso congruas suppeditabunt *sex* de *Arte Gymnastica libri* ab eruditissimo *Hieronymo Mercuriali* conscripti. Illud generatim nouerit studiosus, post ambulationem, & quamcumque corporis exercitationem cibum haud esse statim sumendum,sed aliquantulum quieti indulgendum;ac motu corpus exercendum, vbi in ventriculo,& hepate concoctio fuerit absoluta. 14. *Licet multorum sit consuetudo*, vbi e lecto surrexerunt, ad prandium vsque *sex*, aut *quinque* horarum, & à prandio vsque ad cænam *octo*, vel *nouem* circiter spatium intermittere; Illud tamen vniuersim est animaduertendum, *nunquam sumendum cibum recentem, nisi praecedentis perfecta fuerit concoctio*, & *nisi quis sentiat se fame vrgeri.* Est quidem verum, quod possit aliquis cibo egere aliquando, & tamen fame non experiatur se premi imò & cibum fastidiat:sed id corporis malè tunc affecti argumentum est; & tunc non expectanda fames, sed iuxta id quod prudentia suaserit sumendus cibus. Si autem legitima fame se quis premi percipit, ne cibi sumptionem differat; molestum est id animo, & corpori noxium. *Bibat* quoque, cum vera molestatur siti, etiamsi consueta prandij e cænę hora non aduenerit; satis autem est vt plurimum aliquid leue comedere, aut parumper bibere, ad sedandam nonnihil famem, ac sitim &c. ac postea ad solitam accedere comestionem. Princeps nonnullus,qui longæuam duxit vitam, in culina paratos quacumq; artificialis diei hora cibos esse iubebat,quos comederet,quando fame vrgebatur,nullã ad comedendum horam, siue die, siue nocte quoq; habens pręsignatam. Illud certè, tanquam valde noxium, vitandum est omni opera à studioso, *ne nouum superaddat* cibum, cum *stomacum adhuc alio grauari* animaduertit. 15. *Licet possit esse controuersum*, an expediat magis pluribus, quam binis comestionibus indulgere, vel etiam semel in singulos dies comedere;retineat tamen studiosus morem iam consuetum bis in dies comedendi, potiusq; tribus, aut quatuor etiam vicibus vescatur, quam vnica tantum; adeo enim exacta non solet fieri concoctio, si vnica tantum vice sumatur cibus, qui binis vicibus sumi posset; si autem moderatior sit, solet corpus debilitari &c. *Æstiuis quidem Mensibus* per se opportunius foret pluribus etiam, quam binis vicibus, cibum sumere, ita tamen vt cibus qui binis sumendus foret, in tres, aut quatuor distribueretur, ad refocillandas vires à calore maximè debilitatas. Nec *vituperabile est*, vt quis quocumq; anni tempore aliquid per modum ientaculi sumat: Quod certè pręstandum,

F dum

dum quis cogitur vltra præstitutam horam prandium differre. Vbi quidem studiosus animaduertit vires valde debilitari tempore studij, quod intermitti commodè non possit, aliquid comedat, studiumque prosequatur adeoq; aliquod dulciarij genus, siuequid simile habeat; apud se, qui huiusmodi virium infirmitatem non semel expertus est. Extirpandus omninò mos à nobili studioso vini generosi poculum non semel exorbendi, ac panibus quibusdam dulciarijs vescendi opiparè, ac postea ad studium accedendi matutino tempore; præterquam enim gulæ vitium à viro ex illustri orto prosapia, ac etiam studijs dedito, quam maximè alienum esse debet; vt pote ad altiora natis, quam vt fiant quasi sui corporis mancipia, & quorum animus in nobiliora defixus est obiecta, & hæc matutina, multaq; comestio est corpori noxia, maximè si prandium adhuc pingue sumendum sit; menti tenebræ offunduntur, quibus fit, ne obiectorum veritatem, aut falsitatē intueri possit, vel adeo vehementer saltem in illa ferri possit &c. Non minùs autem *inedia*, quacumque accidat hora, illi vitanda. 16. *Per se largiori vtatur* cibo in cæna, quam in prandio; *tum quia*, & plures intercedunt horæ à cæna ad prandium, quam à prandio ad cænam, & quies lecti, somnus, aer nocturnus quoque maximè ad concoctionem conferunt; *tum quia* cum spiritus ipsi vitales nutritioni inseruientes, tot saltem non debeant in animales immutari post cænam, sicuti post prandium, facilius, ac perfectius hinc absumptæ partes reparari queunt. Ad summum excipiantur summi calores, qui persæpe nocturnis etiam horis vigent, hominesque vigilare coguntur, adeoq; calorem ciborum hisce caloribus nocturno hoc tempore addere non videtur esse par. Expediret quidem manè ientaculum quoddam, siue leuius quoddam prandium adhibere; aliter cum multis anni mensibus immediatè quasi post prandium opus sit vt quis extra domum concedat, negotietur, legat, studeat &c. hæc quidem commodè nequeunt præstari repleto ventre; estq; necesse cenā differre vsque ad dimidiam fere noctem, ne incoctus remaneat cibus: quod valde studioso est incommodum; nam cogitur post Solis ortum adhuc diu se in lecto detinere &c. Et antiquiores quidem Romani post vesperas cœnare, vbi quid leue matutino tempore sumpsissent, cōsueuisse dicuntur; Qui etiam feruntur præ nobis diuturniorem protraxisse vitam. 17. *Dum quis comedit*, ne in aliquod obiectum triste, vel quod *speculationem, mentisq; attentionem*, & maximè non *leuem* requirat, aut etiā in *domestica negotia* feratur; de iucundis agat, modestis tamen semper, & quæ eruditionem etiam aliquam afferant; ideoque habeat, si facultates ferunt, ad mensam aliquem literatum virum genio hilarem, cum quo de nonnullis voluptatem, vtilitatemq; simul aliquam afferentibus disserat; est autem

satis

ſatis opportunum intermittere identidem comeſtionem, & vbi aliquantiſper quis cum alijs confabulatus fuerit, illam repetere &c. Sapientes priſcos, etiam *Stoicos*, vltro quædam adamaſse cõuiuia, ac nonnullas etiam in menſa expoſuiſſe, ac examinaſſe quæſtiones periti norunt. Haud *imitandi* illi, *Qui* quo tempore cibum ori admouent, *oculos* in librum aliquem defixos habent; neque enim experientia teſte hi euadunt cæteris doctiores, ſed valetudinarij quidem; aut *Qui* Viros doctos ad conuiuium, ſiue prandium, cænamue inuitant, vt hoc tempore de nonnullis, quæ in ſubtilium etiam Philoſophorum, Theologorum &c. Scholis, cathedriſque agitantur quæſtionibus, cum illis agant, diſſerant &c. Omnia tempus habent. *Sicuti etiam haud eſt eorum inſiſtendum* veſtigijs populorum, qui multas horas in prandio, cænaq; impendunt; ita nec adeò breue tempus inſtar aliorum, quibus videtur iactura eſse temporis, quod prandio, ac cenæ tribuitur, ſtatuat comeſtioni, vt illi incidenter, & quaſi per tranſennam vacet. Vegetantis animæ functiones attendat ſibi eſſe maximè neceſsarias ad functiones ſentientis, intelligentiſque animæ, & ab intellectiuis, ſenſitiuiſque facultatibus præſupponi neceſſariò vegetatiuas, ac nominatim nutritiuam, cuius actio omni vitæ tempore perdurat: Quare tempus comeſtioni congruum ſtatuat; recordeturque, primam cibi concoctionem dentibus fieri, diuerſoſq; dentes Deum tribuiſse homini ad cibum ſcindendum, molendũ &c. *Hinc* ne ſit pręceps in comedendo; ſecus incocti erũt cibi, vel calor naturalis magis abſumetur in eorum cõcoctione, diuturnioriq; tempore illi in ſtomacho remanebunt, antequam abſumptas reparent partes &c. 18. *Poſt prandium*, ac cænam vnius horę circiter ſpatio aut cantet, aut alicui iucundo luſui, qui nec mentis attentionem, nec corporis fatigationem petat, indulgeat, aut cum amico de rebus iucundis colloquatur; Iucundior erit confabulatio ſemper, ſi nõ ſemper de eadem re erit collocutio, ſed de diuerſis; illa enim varietas mirè animos relaxat. Cauendum tamen, ne poſt cænam longius protrahantur luſus, confabulationes &c. Somnus enim non tam faciiè irrepet. 19. *Si vitandi ab omnibus cibi craſſi, viſcidi, tenaces, frigidi, duri, prępingues, & acres*; eo quod non ſoleant bene coqui, nec ſalutare alimentum ſuppeditare, multò magis à ſtudioſo: Qui tamen meminiſse debet, *Quemcumq;* ferme cibum, ſi moderatè ſumatur natura in illum inclinante, haud eſſe *inſalubrem*; ac paulò *peiorem*, ſed *ſuauiorem cibũ* (quod idem de potu) *meliori, & ingrato præferendum*; ac prætered, *Eum*, qui *Medicè viuit*, *Peſſimè viuere*. Patet quidẽ, etiam cibos qui nominatim ſtudioſis interdicuntur, multis ex eorum numero eſſe opportuniſſimos. Haud exactè illa, quæ Medici ad conſeruandam etiam literatorum ſanitatem pręſcribunt, ſunt ſeruanda: Ea nec ipſimet ſeruant Medici, quos ſuam prę cæteris

curate sanitatem prorsus existimandum. Sit sibi quisque Medicus: Eam quantitatem, qualitatemque ciborum quiuis prosequatur, quam expertus fuerit sibi esse salutarem, & ad reparandas animi, corporisque vires necessariam siue opportunam; Varietas autem aliqua in quantitate, & qualitate oriri potest, non tantùm pro diuersa studiosorum complexione, verum etiam pro ętate eiusdem studiosi varia. Vitet ante cętera per se cibos, qui flegmaticum, ac melancholicum humorem nutriunt, siue augent, suntq; difficillimæ digestionis, fumosisq; vaporibus cerebrum replent; nam Stomachi, & Capitis præcipua studioso debet esse cura: Et cum studiosorum spiritus debeant esse copiosi, puri, ac nitidi, eos adhibeat cibos, qui materiam ad illos idoneam subministrare queant. Multa Medici solent tradere circa qualitates vniuscuiusq; cibi tum e plantis, tum ex animalibus, siue Terrestribus, siue Volatilibus, siue Aquatilibus, e quibus aliqua desumuntur ad cibum, licet eorum partes non dicantur; de quibus Medici latè agunt: ac inter cęteros erudite satis eas proponit *Baptistæ Fiera* Mantuani Cœna *Caroli Auantij* Rhodigini notis illustrata *Patauij* impressa 1649. Typis *Sebastiani Sardi* Viri admodum Pij, ac Sinceri. Peculiariter autem *Marsilius Ficinus* in Libro de Studiosorum Sanitate tuenda, quē in cap. 25. diuidit, recenset cibos maximè studiosorū proprios, & ab illis alienos; quorum ex eo facilè notitia haberi poterit. 20. *Vinum*, quod adhibet, non sit nec *planè dulce, nec planè austerum*, & potius ad dulcedinem, quam ad austeritatem vergat; sit *fragrantis odoris*; *sit tenue*; sit *fuluum* potius, aut *heluolum*, quam *nigrum*, aut *album*; & *album* potius, quam *rubrum*; & *rubrū*, siue *rufum* potius, quam *nigrum*; non nouum omninò, nec vetustum, sed *ætate medium*: non sit valde *generosum*, cum hoc soleat caput obtundere; nec *debile*, cum hoc ad vires subministrandas, spiritusque suggerendos haud idoneum sit: potiusque adhibeatur, à maturam, vel senilem ætate assecuto *generosum*, quam debile; expedit autem, vt parcius illud potetur, quam istud frequentius. *Aqua vino* non admisceatur (excipitur si vinum generosissimum, & aqua habeatur *Fontana*, vel *fluuialis* purgata, vel etiam *putealis*, quę tamen sit *leuis*, *pura*, *lucida*, omnis *saporis*, *odorisq; expers*) nisi ad summum vindemiarum tempore, dum aqua simul cum vino concoqui potest: nam cruditates in stomaco facilè gignit; Potiusque bis, aut ter vinum sine aqua bibatur, quam quinquies admixtum aquæ. Non est tamen vituperandus mos in summis caloribus potandi largius aquam, quæ cocta fuerit simul cum hordeo, & vuis passis dulcibus, maximè præcedente quorundam dulciariorum generis comestione &c. Reijciendæ tamen partes terrestres, quæ euanescente calore in inferiori vasis parte subsident. *Cauendum*, ne nimis frigidus reddatur potus, siue ex vino, siue

ex

ex aqua; ideoque ęstiuis mensibus paulò ante mensan vinum in vase aqua recenter extracta apponatur, si illud refrigerandum sit, quæ aqua identidem immutetur. *Salubrius quidem foret*, si vinaria cella ea gauderet frigiditate, vt extractum inde vinum alio aduentitio frigore non egeret; quod frigus si oriatur ex *glaciali*, vel *niuali* aqua (dum natura haud huiusmodi est assueta potui) graues morbos procreare potest in neruis, articulis &c. *Vasis*, in quo vinum reponitur, os occludendum; secus enim subtiliores, viuacioresque vini spiritus exhalabunt; qui etiam e vitro expirant, licet os occludatur, dum aliquamdiu illo detinetur vinum; Cuius postremæ, ac fœculentę partes nunquam gustandæ. *Potius* delectum habeat vini, quam cibi, quia illud facilius penetrat, viuaciores spiritus affert &c. 21. *Haud sit ex illis*, qui piaculum & grande putant extra consuetas comestiones quid etiam leuissimum manducare, vel bibere, habentq; certam semper cibi, ac potus mensuram, cuius fines prætergredi inexpiabile crimen arbitrantur. Haud naturæ talis inducenda consuetudo, vt incommodum, & maximè illi graue inferatur, nisi certis semper in victu, ac potu cancellis circumscribatur. Non solum varię anni tempestates; verùm etiam eiusdem hominis diuersæ ætates, occupationesq; imò & amicorum confabulationes, animi relaxationes &c. haud certæ in victu regulæ perfectam cõformitatem exigunt: Ex industria quandoque extra consueta tempora, & largius quandoque edendum, ac bibendum. Et noxium quidem foret, si quis æstiuis mensibus eamdem in bibendo, quam hyemalibus, vel hisce in edendo, quam in illis, sobrietatem prosequi vellet. Haud insalubre est vnquam extra consueta tempora edere, ac bibere, cum quis vera fame, ac siti vrgetur. 22. *Ante prandium, & cænam* æstiuis, illisque proximis mensibus est salutaris ambulatio horę circiter spatio per vrbem ad nouum excipiendum aerem: hyemalibus verò mensibus ante cænam in domo propria quis deambulare poterit; quod etiam præstet quocumq; tempore à pluuia, vel alio simili impedimento vetatur, ne pedem e domo referat. Caueat verò, ne hyeme in exremis corporis partibus laborans frigore prandium, cænamue aggrediatur: prętorquam enim minùs comestio iucunda erit, magis adhuc frigus illas aggredietur partes, dum nouus superueniet cibus, ac potus; qui enim in illis resident spiritus ad concoquendum cibum ad stomacum delatum concurrunt; qua de causa etiam post prandium, cænamq; frigidis temporibus ad ignem accedendum, vel illę corporis partes calefaciendæ; experientia enim patet illas præter solitum frigore vrgeri. Ambulatio verò post prandium, ac cænam vel nulla, vel leuissima sit; cibi enim concoctionem impediet, cum a stomaco auocentur spiritus &c. 23. *Nimiam ciborum*, multoque magis *Vinorum*

norum varietatem declinet. Duo, aut tria fercula, quę maximè sint similis concoctionis, sint illi plerumque saltem pro cibo. Paucis contenta est natura, quæ similibus maximè, gaudet. Sint hæc quidē bene cocta, sed non aromatibus quibusdam redundantia. Vinum generosius initio mensę bibendum, & maximè, dum quidam cibi valde frigidi in prima apponuntur mensa; vel etiam adhibendum, cum comeduntur legumina, pisces &c. ad eorum frigiditatem retundendam, concoctionemq; iuuandam &c. 24. *Herbarum,* siue *olerum quorumdam* sit amicus. Meminerit; *tum* ante diluuium homines ex solis vitam duxisse herbis, ac fructibus iuxta communiorem sententiam; *tum* illa valde ad corporis fœces facilè amandandas multum conferre &c. Curandū autem studioso est maximè, vt aluum ad id promptum habeat; non solùm quia fœtida huiusmodi excrementa prauis vaporibus caput replent; verum etiam quia studiosus contrahere habitum facilè potest, ne nisi quorundam ope medicamentorum illa propellat; quod non potest non esse noxium simul, ac molestum. Iuuat quandoque prouocare aluum, & maximè vbi quis e lecto surrexit, vel ambulauit, licet minùs natura videatur id tunc exigere. 25. *Cum quis* lautiùs, vel plus consueto comedit, differat longiùs alteram comistionem, sinatque famem iterum se aggredi. Cum satis opiparo prandio consueta cæna non aptè conuenit: vel nihil, vel leuissimum quid edendum. 26. *Norit, Abstinentiam esse multorum curatricem morborum, ac ab illis præseruatricem*: Qui à cibo, ac potu etiam consueto abstinet, vbi quis minus se bene valere deprehendit, præsentibus, futurisue morbis in primis salutare affert medicamentum, ac antidotum. Huic Medicorum opera haud erit valde necessaria; nec multi sumptus, in Medicis, vel Medicinis erunt faciendi. *Multorum est consilium*; vt quiuis in singulas hebdomadas semel ieiunet ad ciborum cruditates quasdam, ac superfluitates absumendas. Verum qui moderationem semper in cibo amat, haud tali ieiunio indiget; quod solummodo, & tunc præstandum (excipiuntur ieiunia ab Ecclesia præscripta) cum quis cibo se grauari percipit &c. Nec quędam abstinentiæ salutares studiosis, qui ad restaurandas vires, quas valdè absumit in studia intentio, eorumq; intensio, cibo indigent nō exiguo: imò experientia patet in pluribus, minus se esse promptos ad studia, cum vesperi ieiunant, caputq; magis obtenebrari, quia calor naturalis agere in cibi reliqui fœces coactus, eo quod sibi congruum alimentum fuerit subtractum, fumosos, tetrosque vapores excitat. 27. *Quamuis videantur* in mensa prius sumenda, quæ *aluum emolliunt, lubricumq; reddunt,* quæque *succi* non *adeo boni sunt,* faciliusq; *corrumpuntur,* & *concoquuntur*; non ita tamen huic regulæ se obsequentem reddat, vt cōmunem respuat consuetudinem fructus nonnullos

nullos

nullos in vltima comodendi mensa; imò prudenter faciet, si morem contrahat haud certum quemdam ordinem in ciborum comestione seruandi. Laudabile est, maximè cum stomacus est exinanitus, initio pulmento calido vesci; & identidem iuscula e carnibus optimis extracta adhibere, cum hæc præcipuè & cibi, & potus sæpissimè vices obtineant, & vna cum ijs condimenta quędam carnibus apponere. 28. *Si natura biliosus sit*, ouis nō frequenter vescatur; inter hæc commendantur magis, quæ recenter nata, tremula, & sorbilia, in aqua feruenti cocta &c. Inter *Pisces* eos prosequatur, qui in puris, decurrentibusque aquis oriuntur, & qui grandiusculi sunt; e quibus si nonnullos in sartagine frictos adhiberi velit ad mensam, eos aceto, vel simili alio acri liquore aspergat &c. Carnibus potius *Volatilium*, quam *Terrestrium* Animalium, & horum potius, quam *Aquatilium* vescatur; inter *Terrestria* verò illorum, quæ duobus suffulta pedibus sunt alicuius capacia volatus &c. Norit, cum cibus ille optimus dicatur, qui facile concoquitur, plurimum nutrit, bonum alimentum suppeditat, non facilè corrumpitur, nec prauas qualitate inducit, ac pauca relinquit excrementa; *Quo* aliquis cibus plures, vel maiores ex his habet dotes, eo præstantiorem esse per se quidem; *Verumtamen* respectu talis studiosi complexionis, in tali etiam constitutione præsenti corporis &c. posse minus salutarem, ac meritò censeri, ac esse. A nulla autem sibi iucunditate se ita allici permittat, vt omnis penitus famis expers, siue omnino satur e mensa surgat, vel impiger non possit ad labores aliquamd u post cibum subeundos esse. 29. *Haud in medicamenta sit propensus*; nec consuetudinem contrahat in singulos annos bis, aut semel etiam Medicinas purgantes; multoq; minùs in singulas hebdomadas, vel singulos dies pharmaca quędam adhibendi. *Sit sibi Medicus*; quæ saluoria sibi esse, & in Qualitate, & in Quantitate experientia docuit, amplectens; insalubria, siue noxia reijciens. Si medicamentis quandoq; vti cogatur; animaduertat esse simpliciorum laudabiliorem vsum, ac in simplicibus, obuijsque etiam herbis plura esse reposita morbos curantia, & ab illis præseruantia. Si tamen morbo prematur non vulgari, peritiorum, amicorumque Medicorum præceptis se obsequentem pro viribus reddat. 30. *Calorem in pedibus* hyemali tempore custodire satagat; frigus enim illud Valetudini maximè incommodum est, faciliusq; homo studiosus, quam alij, huiusmodi expositus est frigori; *tum quia* magis in certo consistit loco; *tum quia* ad Caput feruentiores deuocantur spiritus &c. Ideoq; tegumentis quibusdam ad id arte factis vtatur: Non laudantur tamen nonnulla tibias vndequaque cooperientia, nisi studiosus iam senilis sit ætatis, cum experientia pateat ea propter caliditatem nimiam morbos extremis partibus illis procreare. Iuuabit

etiam

etiam pedes e terra aliquantulum elatos habere, cubiculique solum stramineis quibusdam culcitris, vel quo simili cooperire. *Licet autem* sit quoque souendus illi *Capitis* calor contra ingruens frigus, ac nominatim vbi tonsi sunt capilli; pileolis tamen non vtatur saltem nimis grauibus, & qui videntur exitum impedire fumosis vaporibus, siue exhalationibus e stomaco nominatim, dum cibus concoquitur, sursum prodeuntibus; quæ dum non omninò in auras expirant inferunt Capiti nominatim grauedinem; præterquam canitiem in capillos ante ætatem inducunt, aliaque in cæteras corporis partes incommoda vehunt. 31 *Capillorum prolixitatem*, ac præcipuè in anteriori Capitis parte vitet; præterquam enim fœmineum genium ea indicat, impedit ne caput euaporare possit, indeq; noxij vapores in capite subsideant, vel ad alias inferiores deflectant partes; ex quo capitis grauedines, stomachi cruditates &c. *Nec* instar vilium mancipiorum attonsos habeat capillos; nam facilè in capitis poros, qui propter calorem illius patent maximè, situmque præ cæteris externis ambientibus obuij sunt, noxij vapores permeabunt. 32. *Cubiculum habeat* in superiori potius, quam inferiori domus parte situm; careat saltem humiditate; pespiretur ab optimis ventis, hoc est Septentrionalibus, & Orientalibus, non Occidentalibus, vel Meridionalibus; sit lucidum; expositure Soli matutino, aut meridiano; a strepitu remotum; ex quo prospectus sit in aliquam plateam, vel similem amplum locum, vel in Viridarium aliquod, siue hortum &c. In eo lectum ita disponat, vt aer, qui ab ipso dormiente egreditur, libere expirare possit, nec cogatur ferè propter angustias lecti, ac parietum, in quos ille incideret, iterum in os ipsius reflectere; qua de causa vitandum est etiam, ne os dormientis sub linteaminibus lateat. *Scamnum* verò, in quo studet ita sit situm, vt ipsius dum actu studet, nullam partem aer, qui e fenestra etiam occlusa, licet e carta, aut vitris, ingreditur, immediatè aggrediatur. Quod si habere non possit, potius studeat e regione fenestræ, caput ad illam conuersum habens, quam brachium, genamque illi habeat expositam: nam hinc experientia teste multi in illis partibus morbos nec leues contraxerunt. 33. *Accedere ad Ignem*, e carbonibus præsertim, omni ope detrectet; præterquam enim, si maximè ibi adsint alij, tempus studio dicandum sæpè frustra consumitur, ignis Caput præcipuè lædit; & hinc variæ capitis distillationes, quæ oriuntur præsertim, si hinc ad aerem frigidum concedendum sit &c. Si in summis frigoribus ad ignem accedendum sit, hic sit moderatus; non e regione, sed ad latus camini studiosus se constituat, vt minus reuerberationi sit expositus, sudariumque vel instrumentum ad id artificiosè confectum inter caput ignemque interponat; caueatq; nomi-

natim,

natim, ne oculos in ignis flammam multum defigat. Furnulorum quorumdam vsus in cubiculis non omninò vituperandus, dum in summis frigoribus ex illis non esset recedendum, nec extra domum concedendum &c. Ne tamen illi nocerent, identidem nouo aeri esset aditus aperiendus. 34. *Oculorum potissimam* habeat curam: Ideò nec in valde luminosa, nec in alba illos diu defixos habeat; similiter nec in nigra. Viridi colore præ cæteris delectetur; iuuabitque maximè, dum scribit, aut legit, habere proximum sibi vitrum viride, & si facultates ferunt, etiam cubiculi ornamenta similis coloris. Identidem in virentes arbores, herbasque oculos conuertat; ambulationemque in locis, in quibus prospectus ad illas sit, vel in quibus illę suos habent natales, prosequatur. Hac de causa etiam Lucerna sit potius ex oleo, quam e cera, vel sæuo, & inter Lucernam accensam, & ipsius oculos sit interpositum quoddam instrumētum in modum Lunæ confectum, in quod lucernæ lumem repercutiens splendorem auget; si autem illi instrumento vitrum viride inseratur, multò magis erit opportunum. Vbi suis aliquando oculis tenebras quasdam (quod ex multiplici capite oriri potest) animaduertit, a librorū lectione, vel scriptione desistat; ad hilarem colorem illos conuertat, confabuletur, dormiat &c. Breui tenebræ illæ repellentur; secus periculo si non proximæ, certè non diu differendæ cæcitatis semet exponit. Nullo autem perspiciliorum genere vtatur, dum oculorum acie non laborat, aut non percipit visum debilitari 35. *Horas studio tribuat opportunas*, hoc est matutinas, sub *Auroræ*, vel *saltem Solis ortum*, & nocturnas ante cænam, vel pomeridianas, siue circa vesperas æstiuis mensibus, in quorum summis caloribus aliquid studij detrahat, vel mitioribus, minusue laboriosis vacet studijs: Non verò protrahat vltra vnam, vel ad summum horas duas studium, quin aliquantisper illud intermittat cum aliquo colloquens, vel e fenestra transeuntes per viam prospiciens, vel oculos conuertens in viridarium, hortum &c. 36. *In singulas hebdomadas* vnum saltem diem, & in singulos annos vnum saltem mensem, vernum, vel autumnalem à studio quieti omnimodæ dicet, aut leuius, breuiusque studeat, aut suauioribus indulgeat studijs; vires enim corporis animiq; vegetiores inde reddentur, & maiori cum alacritate consuetum prosequetur studium. Imò si ex aliqua occasione studium longius solito protrahere cogitur nonnullis diebus, detrahat consueto insequentibus; si vna nocte diutius vigilauerit, altera diutiùs dormiat. 37. *Non multis, nec grauibus* vtatur vestibus in summa etiam hyeme; paucæ sint frigoris expulsiuæ, caloremq; inducentes. In ijs quidem, ac maximè in interioribus, *munditiem amet*. Et hæc quidem mundities, præterquam ingenuum decet animum, generisq; nobilitatem indicat,

cum ſit ſanitati valde ſalutaris in omnibus planè,quę ad ſtudioſi *Victum, Veſtitum, Lectum, Cubiculum &c.* Summo ſtudio eſt illi amplectenda,pot uſq; mundis vtatur veſtibus,cibis &c. quam pretioſis &c. 38. *Quoniam homo Aerem* continuò attrahit, in eoque Corporis valetudo maximè repoſita eſt, cum aer optimus cenſeatur ille, qui in qualitatibus primis temperatus eſt, purus, ſerenus,ſpirantium,ſalubrimque ventorum flatibus agitatus, nullis affectus inquinamentis &c. Cuiuş indicium eſt,ſi in tali aeris regione adſit Soli fœcunditas, homines decoro corporis habitu, facie bene colorata, moribus ſedatis, ingenioſi, ac ſani ibi oriantur, degantue; oppidum, vel Ciuitatem huiuſmodi aere, vel illi quam ſimillimo fruentem incolat; Si autem cogitur aliqua in Ciuitate, vel oppido vitam ducere aere non valde ſalubri gaudente, eam oppidi,vel Ciuitatis partem eligat incolendam, in qua ille ſalubrior,aut minus inſalubris. Hinc nominatim propè ſtagnantes aquas, vel fluuios quoque ſordidas vehentes aquas, vel in locis, in quibus fœtidi, tetrique odores quidam ſiue ratione ſitus,ſiue ratione artium, quæ ibi exercētur,ſiue alia extrinſeca de cauſa ſpirant, haud habitet. 39. *Cum quacumque Corpora* proportionatos ſpiritus à ſe emittant, qui facilè ſibi conſentaneis iunguntur, eorumq; ſocietatem amplectuntur; viuat potius inter illa corpora, quæ aliquando fuerunt vegetabilia, ac ſenſitiua, quam inter illa, quæ inanima omninò ſunt, & inter illa potiùs,quæ actu animata ſunt, quam inter illa, quæ potentia ſunt animata, vel aliquando vitam participarunt. Qua de cauſa, ſi redditus ſuppetunt, parietes ſui cubiculi non nudos habeat, vas aliquod cum floribus, ſiue aliquo florenti, Viridique virgulto in eodem repoſitum habeat &c. Qui ex arboribus, herbis, floribus &c. expirant halitus,affinitatem cum ſpiritibus, qui animæ hominis vegetatiuæ proprij ſunt, habent enimuerò aliquam, ideoque ad illius operationes perfectius exercendas idonei ſunt, ſi illis aſſocientur; & hinc quoque illa animi iucunditas ex horum viſu, attrectatione &c. 40. *Quoniam calculi morbo homo ſtudioſus* eſt facilè expoſitus, non ſolùm nunquam contra naturæ exigentiam diurnis,aut nocturnis horis vrinam retineat; vel diuturno tempore à motu ceſſet: verum etiam Oſtrearum, ac ſimilium animalium,quæ in arenoſis locis oriuntur,deguntque,ac piſcium, quorum ſedes ſunt paludes, frequentem, vel multam declinet comeſtionem; iubeatq; diligenter ablui herbas,quas comedit, & à terra mundari fructus, qui in menſa apponi ſolent. 41. *Vbi attentè* aliquam diu ſtuduit, ne ſtatim vento, vel aeri valde frigido, aut vaporibus affecto ſemet exponat; cum enim capitis pori ex calore tunc maximè pateant, grauedinem in illo facillimè contrahet. 42. *Haud inducat conſuetudinem* ad ſtomacum ſiue ex panno, ſiue ex ſimili


mili materiâ *operculum*, quo illus calor foueatur, augeatur &c. appensum habendi, vel *aquam Vitis* in singulos dies libendi, *Tabacum* naribus admouendi & frequenter *sternutamenta* prouocandi, *medicamenta* ad *purgandum corpus* assumendi &c. Nam prçterquam consuetudines huiusmodi naturales euadunt, ita vt si vel semel omittantur, graue nocumentum patiatur corpus; plura solent afferre incommoda, quam commoda, indeq; Naturales vires debilitantur maximè, licet videantur in præsentia aliquantulum corroborari. 43 *Eas animi relaxationes* euitet, quæ maximum corporis, animiq; laborem exigunt, vt sunt *nonnullorum venationes* animalium, ad quas valida corporis contentio exigitur, ac *nonnulla ludorum genera*, quibus si quis indulgeat, non minùs defatigatur caput, quam si per horas studio operam daret. Illos magis amplectatur ludos, in quibus *Fortuna* potiores obtinet partes. 44. *Singulos in dies* certas designet horas, ac nominatim à prandio, vernis atque æstiuis mensibus maximè, in quibus, nisi vrgente necessitate, nullos de negotijs, vel literis agentes, aut differentes audiat, quietiq; vacet. Si post prandium illico aliqui accedant de his acturi, eorum audientiam in aliam reijciat horam; iubeatque famulum nec de aduentantibus ea hora se certiorem facere, nisi personarũ qualitas aliud exigeret. *Vtinam* pecuniarum, vel amplificandorum redditũum cupiditas multorum vitæ dies studiosorum nõ breuiores reddat, aut eos multis nõ exponat morborum generibus. 45. *Ab illis*, quæ *mærorem* afferunt, animum reuocet pro viribus, illumq; ad cor lætificantia conuertat. Hinc *musicis concentibus, Auiculis cantantibus &c.* delectetur. *Hominum melancolico* humore, maximè si hic terreus sit, consuetudinem vitet; Cum enim studium per se melancolicum augeat humorem, imò & illos reddat melancolicos, qui e corporis constitutione haud tales sunt, ex huiusmodi consuetudine melancolicus humor mirificè augeretur: Quod omni opera præcauendum est; nam in hyppondriacos morbos facilè posset incidere, aliaq; grauia subiret incommoda: *Iuuenum*, modestam tamen semper, amet familiaritatem. *Ludricos* quandoque libellos legat; & ad *Comædias*, *Scenicasque Actiones*, dummodò honestç sint, siue non obscenæ, animumque exhilarantes, interdum etiam accedat. 46. *Si natura* aliquam sibi aperuit viam ad prauos eluendos humores, vel ad corporis repellenda vitia, haud illam obstruat; agatq; potius de hoc summas Deo gratias: Nam huiusmodi habere exitus valde sanitati est opportunum; vnde nonnulli in studia incumbentes ex industria sibi similes aperiunt vias. Semper autem quamlibet corporis partem a sordibus, quantum fieri possit, mundam habere satagat; ideoq; peculiariter non pedes tantum sæpè tepida aqua, verum etiam corpus totum aliquando eadem abluat, dili-

ligenterque ab*s*tergat. 47 *Cum librum legit*, aut *scribit*, pectus habeat potius *rectum*, quam *inclinatum*, nec valde eminens supra scamnum, in quo legit, aut scribit. Hinc præter incommoda alia aliqui euadunt gibbi, nec erecto ore ambulare queunt: *Cum autem* in cubiculo speculatur, siue meditatur aliquid, modo deambulet, modo sedeat, modo stet; hęc enim varietas, præterquam sæpissimè ad rem profundius penetrandam conducit, per se corpori vtilior, ne dum iucundior est. Sessio quidem in molliori scamno videtur per se opportunior tum maiori mentis attentioni, tum minori corporis defatigationi. 48. *Animi motus* moderari nouerit, ac peculiariter *Iram*; cum enim ex his subitæ, ac variæ Corporis alterationes oriantur, improuisorum, multipliciumq; morborum materia subministratur. 49. *Cum Hominis vita* in Vitali Calore, Humidoq; Radicali sita sit, ea quæ hæc fouere, ac custodire queunt, prosequatur omni studio, ac à se repellat, quæ his maximè aduersantur. Quorumdam complexio animalium valde congenea est humanæ. Quæ maturæ, aut senilis ætatis calorem custodire possint maximè, hic haud calamo describenda. *Multa consultiùs voce*, quam *scripto*, *docentur*; præsertim cum *nonnullorum* sit genium contra Caritatis, ac Iustitię leges in deteriorem ea, quæ nominatim eduntur, accipere partem. 50. *Hyemalibus Mensibus*, vt Nouembri, Decembri, Ianuario, ac Februario ferme toto à *Prima* circiter Noctis hora vsque ad *Quartam* commodè quis in studium incumbere potest; Quinta cenare; post Sextam Cubitum ire; Circa decimamquartam surgere; aliquantulum orare; trium circiter horarum spatio studio siue priuato, siue publico vacare; postea interesse sacro, colloqui aliquantulum cum amicis, siue potius ambulare: Ad meridiem prandere: reliquum tempus vsque ad noctem honestis aliquibus indulgere relaxationibus, siue corporis, siue animi; inter quas numerari potest interesse breui alicui literariæ exercitationi, quæ validam mentis attentionem, siue defatigationem non exigat. *Mensibus* Maio, Iunio, Iulio, & Augusto Nocturnarum loco Horarum sint illæ, quæ à Vespertinis Precibus ad Vigesimam secundam decurrunt: Horas autem prandium (quod multo ante meridiem inire saluberrimum est, imò sæpe necessariũ, cum vir studiosus satis matutino tempore surrexerit) subsequentes impendat in honestis similiter corporis, animique relaxationibus. Reliquis mensibus hæ studij nocturnæ, ac pomeridianæ horæ proportionaliter eo tempore, quod inter prandium, cęnamq; interponitur, compensentur.

Hęc dicta sint satis; ita tamen, vt nullus piaculum existimet, si aliqua, vel etiam multa ex his violet; Cum enim diuersæ sint hominum complexiones, varięque ad studia applicationes, regula omnibus

gene-

generalis statui nequit; imò lex edendi, bibendi, dormiendi &c. quæ huic est salubris, alteri potest esse insalubris, noxia &c. Non potest præterea non esse sanitati valde incommodum, si homo studiosus non possit sine sanitatis præiudicio extra Aritmeticam sibi præscriptam Quantitatem vnquam comedere, vel bibere; nequeat domo exire, cum ventus aliquis flat, aer est caliginosus, siue nubilus, ante Solis occasum cogatur domum reuerti &c neque enim huiusmodi leges ab illo seruari semper poterunt; adeoque interruptis actibus curandum, ne consuetudo, quæ altera fiat natura, præscriptionem inducat. Ista Quinque generatim ad valetudinem custodiendam maximè opportuna nouerit; *Ciborum Coctionem*; *Tristitiæ Carentiam*; *Ambulationem Moderatam*; *Oblectationem*; & *Alui solutionem Facilem*: Hæc autem Tria ad Producendam Vitam; *Temperantiam in Affectibus*; *Temperantiam in Victu*; *Aerisq; Temperiem*.



Illustrissimis Comitibus

POMPEO, ANTONIO,
IO: BAPTISTÆ, AC PETRO
BENZONIS

PATRICIIS VENETIS;
Non minùs ob MAIORVM SVORVM Nobilitatem,
Ac Imperium,
Conspicuamque illorum nominatim
In Armis Præstantiam;
Quam ob PROPRIAS Virtutes
Notissimis;
Virorum, qui in Scientijs, ac Artibus
Quibusque excellunt,
Amantissimis;
FAMILIÆ SCOTÆ PLACENTINÆ
Non tam Sanguinis Affinitate,
Quam Animi Propensione
Coniunctissimis:

Animaduersiones Quinquaginta
PRO FOVENDIS SCIENTIARVM STVDIIS
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
Comes Placentinus
Obsequiosi, Gratique Animi
Monumentum
D. D. D.

Caput Quartum.

1 SIbi quisque sanæ mentis vir, tanquam omninò indubitatum suadeat, commodis tum *Spiritualibus* Christianæ,& Ecclesiasticæ, tum *Temporalibus* Ciuilis Reipublicæ esse opportunum valde, scientiarum, ac literarum studia fouere, ac promouere; nec vllum, nisi plane indoctum, publicarum inscium rerum, mentisque inopem posse huic dicto refragari. Si nonnulla ab illis, qui in Scientias incumbunt, Christianæ, Ecclesiasticæ, ac Ciuili Reipublicæ, allata fuerunt, afferunturq; incommoda, eaque grauia; sunt tamen longe plura commoda ab illis allata, eaq; illustriora: Prȩterquam Incommoda Scientijs, ac literis abutentium vitio euenerunt. Sapienter *Quintil. lib. 2. Instit. c.* 17. enumerantibus exempla Romanorum, ac Grȩcorum, qui perniciosa non singulis tantùm, sed rebus etiam publicis, vsi eloquentia, Ciuitatum status turbauerunt, vel euerterunt, respondet. *Cibos aspernemur; attulerunt* sæpe valetudinis Causas: *numquam tecta subeamus*; super habitantes aliquando procúmbunt: *Non fabricetur militi gladius*; potest vti eodem ferro latro. *Quis nescit, ignes, aquas,* sine *quibus nulla sit Vita, &* (ne terrenis immorer) *Solem,* L*unamque* prȩcipua Siderum, *aliquando etiam nocere?* 2. *Exploratum quoque habeat* quicumq; cordatus Vir, cuilibet priuato etiam viro esse Honestum, Iucundum, ac Vtile, Literatos homines amplecti, ac in illos beneficia conferre: Nam post *Pietatis studia,* Quid *Honestius*, quam intellectum, per quem homo à belluis secernitur, Deoque,ac Intelligentijs assimilatur,exornare scientijs, ac in istos, qui Diuinam æmulantur Sapientiam, studiosum re ipsa semet exhibere. Quid *Iucundius*,quam homines literatos sibi amore, obsequioque habere deuinctos, eorum vti consuetudine &c.? Quid *Vtilius* quoque ad Famam sibi comparandam,quam in Sapientum hominum Voce,calamo; libris,nominis Immortalitatem adipisci? Et in laudabilioribus quidem sȩculis Primarij *tum* Auctoritate, *tum* Dignitate, *tum* Prudentia Viri ferme semper literarum studia fouerunt, Existimarunt id illi ad publicum,ne dum priuatum, bonum spectare; eo etiam nomine, quod nisi multorum ingenia literarum studio detinerentur,perniciosa sæpè publicæ tranquillitati consilia moliri possent: Imò literatos Viros alere, redditibus etiam copiosis ditare, omnique humanitatis officio prosequi voluerunt, in hoc suam, suæq; Familiæ Famam, Gloriamq; esse maximè repositam arbitrantes. Viuunt adhuc in laudabili posterorum memoria, ac viuent semper, Nobilissimorum quorumdam Virorum Palatia, Principum nonnullorum Aulæ, in quibus tranquillam ducebant vitam Homines Scientijs,liberalibusque Artibus exculti: Nec vnquam Viri omni Humana, Diuinaq; ornati sapientia deerunt, si Mœcenates non desint. *Vtinam* nullibi horum loco alantur Para-

H siti,

ſtici, Hiſtriones, Mimi, Adulatores, Bibaces, Lenones &c. Hiſque, ac alijs huiuſmodi hominum generibus copioſa tribuātur ſtipendia, eorumq; res familiaris redditibus amplificetur; Sapientes autem Viri non hoſpitium in huiuſmodi Domorum, ſiue Palatiorum angulo, ſed nec obolum ad ſe ſuſtentandum vtcumque obtinere poſſint.

3. *Cum Eccleſiaſtica Reſpublica*, prout à *Christo* inſtituta, vnum e præcipuis ad ſuos propagandos fines, ac ſemet ab Hæreticis, Ethnicisq; tuendam præſidijs habeat literarum ſtudium; Quis non videt, ad Eccleſiarum Præſules ſpectare præcipuè illud fouere, ac nominatim inter cætera Sacrarum literarum, ac Veræ Theologiæ ſtudium? Nonne hoc peculiare, ac primarium eſt Eccleſiaſticorum ſtudium? Quid ſi ſolummodò, vel vt plurimum ſaltem Eccleſiaſticis Beneficijs, ac Redditibus ditarentur, ad Eccleſiaſticas Dignitates etiam Maiores eueherentur illi, qui in Ciuili, aut Canonico, & ad forum, ſiue ad Iudiciales cauſas ſpectante periti forent; *Ac* Prouerbium vulgare, *Pouera, e nuda te ne vai Philoſophia*, de Theologia, Sacrarumque literarum ſtudio comprobaretur! Hęretici enimuero hinc ſibi plauſum facerent; eorumque Magiſtri, & Concionatores (ſi hoc vnquam accideret) ſuis publicarent, non vt pareſſet, Eccleſiaſticas Dignitates, Eccleſiaſticos prouentus diſtribui; minorem quarumdam legum rationem habendam, vt pote ab ijs, aut eorum conſilio latarum, qui Eccleſiaſticæ Poteſtatis fines à Chriſto pręſcriptos ignorant, multaque pronunciant, tanquam Diuina effata, voluntque haberi vt talia, quæ nec ex Sacra Scriptura, nec ex Patrum conſenſu, nec ex Conciliorum auctoritate huiuſmodi eſse probare queunt, vt pote qui Canonici Iuris vt ſic tantummodo ſint periti; hinc Viros Eccleſiaſticos allici ad dicandos ſe magis earum ſcientiarum ſtudijs, quę minus illorum ſtatui ſunt conſona, quam alia; ad implicandos ſe forenſibus cauſis, quæ pro viribus ab illis eſſent declinandæ, maximè cum hinc fieret, vt ſpiritualium rerum cura, quæ per ſe ad illos ſpectat, ſiue animarum ad æternam ſalutem directio per ſpiritualia maximè media à Chriſto inſtituta, omittęretur, aut leuiſſimè, ſiue per tranſennam, ac incidenter hęc tractaretur. Omnis enimuerò adhibenda opera, vt nunquam verè affirmari poſſit, in Vrbibus illis, in quibus magis, quam in alijs abundare deberet ſapientum, ac nominatim verorũ Theologorum numerus, minus abundet; vel de Theologia vera, quæ pręcipue in *Cognitione Scripturarum Patrum*, *Conciliorumque* repoſita eſt, parum laboretur; ſed deſudetur potiſſimum in humanarum adeptione ſcientiarum, in notitia illorum, quæ ad Forenſes Controuerſias attinent, in deducendis concluſionibus, quæ apparenter vt plurimum, & aliquando vix probabiliter deducuntur ex fidei Principijs, vel ſolum innituntur

qui-

quibusdam Principijs naturalibus, vt ipsi dicunt, cum tamen ritè examinata rarò Probabilitatis metam attingant. An non dedecus ingens Catholicæ, & primariæ alicuius Vrbis foret, si e Primarijs ibi degentibus viris vix vnum, aut alterum fas esset reperire, qui in vera, ac primaria Theologia esset versatus, & qui cum laude Catholicæ Religionis hostibus se opponere posset; & si aliquis verus Theologus ibi adsit, in Dignitatibus, Honoribusque postponatur alijs, qui Forenses Causas, Humanasq; scientias nouerunt tantummodo, vel Politicis Artibus, Prudentiaque verè non Diuina pollent? O quam fortunata, Deo grata, amicis Venerabilis, hostibus teribilis foret Ciuitas illa, in qua decem, vel duodecim Viri ex omnibus Catholici Orbis Prouincijs selecti Humana, Diuinaq; informati scientia, ac nominatim in *Vera Pictute*, ac *Vera Theologia* præstantissimi vitam ducerent, redditibusque publicis eorum Dignitati, ac Scientiæ congruis ad id perpetuò dicatis alerentur; ex quorum consilio leges quędam promulgarentur, negotia quædam tractarentur &c.! Nunquam apud posteros talis facti memoria aboleretur. *Quam multi sæpè ignorant*, vel *non attendunt* media, quibus (præter ingentia coram Deo merita) in hominum memoria euaderent immortales! Huiusmodi consilia essent quidem præbenda ab illis, qui se aliquos in oculis ferre dictitant, eorumq; Honoris, ac Famæ studiosissimos se imperitulis venditant. *Faxit Deus*, vt nunquam tam ingenti, quod in Christianam Rempublicam vniuersam importaretur, cõmodo pręponderent priuata aliquorum commoda, vel Politicorum minùs sapientum, publiciq; re ipsa, & priuati etiam nonnullorum boni minùs amantium, consilia. 4. *Cum à religiosis cœtibus* otium quam maximè relegandum sit, tanquam omnium origo malorum, exceptaque in choro Psalmodia, quam non pauci quoque e priuatis omittunt, vt plurimum saltem Regulares occupationes non habeant Instituti Regularis proprias, in studijs quidẽ hi detinendi. Quando Regulares, maximè redditibus destituti, instar Apostolorum victum, vestitumq; sibi cõgruum manuum suarum operibus non compararent, aut eorum Ordinum, qui cõtemplationi sunt addicti, homines parum de contemplatione solliciti forent, ignauamq; ac desidem ducerent vitam, & magis adhuc si Iuuenes, Adolescentesque non pauci in hisce Regularibus Domibus degerent; haud temerè censeret ille, qui arbitraretur, eorum professioni dissonos penitus mores apud huiusmodi Religiosos vigere. Quare sunt à Pręlatis maximè Regularibus fouendi illi, qui in Scientiarum studia incumbunt, siue sint Magistri, siue Discipuli; *Et Reprehensibile quidem foret* valdè, si fouerentur magis Oeconomicæ artes, quam Scientiæ liberales, plures tribuerentur exemptiones illis, qui in Oeconomia, quam qui in studijs laborant,

plura subsidia ad laudem in Oeconomia, quam in scientijs comparandam tribuerentur; ad Dignitates eueherentur magis, qui in œconomia, quam qui in sapientia præstant; in Conuentibus priuatis, vel publicis ageretur sedulò de rebus ad œconomiam, vel ad Rem familiarem augendam spectantibus, vix, aut ne vix quidem de ijs, quæ spectant ad literarum studia, ageretur &c. *Multoque magis reprehensibile foret*, si superiores, alijq; primarij Viri haud *se beneuolos*, vel *infensos* se exhiberent illis, qui studijs vacant, vel in illis excellunt, aut excellere niterentur; *eorum animos* omni opera ab illis reuocare conarentur; *eos apud* se habere nollent; *eorum omnia dicta, factaque* sedulò obseruarent, ac obseruanda curarent, vt haberent, in quo illos accusare possent; *illis speciosa quadam* deferrent munera, vt ijs detenti ipsis sapientiores non euaderent &c. Quare Religiosis familijs (haud sermo est de Religionibus Militantibus, & vitam purè actiuam sectātibus) præficiantur Viri literati, vel saltem literatorum amici: Superiores autem, quæ præscripta fuerint, vel etiam, quæ ipsi opportuna iudicauerint ad literarum studia fouēda, eaq; amplificanda vltrò amplectantur; Exemptiones nonnullas, Animi relaxationes quasdam, donaria quoque aliqua præter etiam Religionis morem (nisi sit lex aliqua in contrarium, in qua ipsi nequeant dispensare) Professoribus, ac illis, qui magis assidue, vel cum maiori profectu studijs vacant, concedant; sæpis interogent de Discipulorum profectu Professores; laudent magis præstantes, magis studio deditos; eorum literarijs exercitationibus intersint sæpè, & ex improuiso interdum; cōsuetas, aut statutas lectionum, repetitionum, actuum &c. Leges violari nunquam permittant; Professorum præcipuè auctoritatem apud suos, & maximè discipulos, tueantur; nec faciles prębeant aures illis, qui nonnulla prauè ab illis dicta, aut gesta sibi narrarent, & præcipuè si huiusmodi delatores essent viri idiotæ &c. Illisq; omnia ad Victum, Vestitum, Cubiculiq; suppellectilem, ac libros coemendos, si non adsint, abundè suppeditent &c. *Neque ex eo* quod Professores aliqui plus sibi vindicant auctoritatis, ac Potestatis, quam illis competat, literarum studium à Regulari Præsule ablegandum, vel minori in pretio habendum. *Primò* Quia hæc euulgari possunt à Superioribus imperitis, vel minùs peritis, & qui nollent, vt in Domibus, quibus ipsi præsunt, degerent viri literati, vel magis literati, quam ipsi, maximè si horum dicta apud alios auctoritatem haberent, vellentq; pro libito omnia regere, nec vllos habere, qui Canonicè eorum errata deprehendere possent, eoq; magis, si Scientiarum Professores, eorumq; sensus ab alijs Maioribus Pręsulibus in multo haberi pretio cognoscerent. *Secundò* Superiores etiam ipsi plus sibi quandoque auctoritatis, ac potestatis arrogant,

gant, quam re vera iure posideant: Ergo ne Superiorum munus ablegandum? Intra fines suos contineantur Professores; si id non præstent non semel moniti, substituantur alij; *Qui* nunquam deerunt, *si congrua, certaque exemptiones*, ac *honoraria munera* Regularibus Professoribus, ac *quædam Dignitates*, vbi aliquot annorum spatio cum laude munere suo functi fuerint, concedantur. Curandum quidem; *Tum* vt Discipuli non minus in pietate, ac virtutibus Religioso homine dignis proficiant, quam in scientijs; *Tum vt* Professores incorruptis sint moribus, & non minùs ad magnos in doctrina, quam in virtutibus processus habendos rectis, & exemplis, & monitis iuuēt auditores suos: *Adeoq;* à studijs remouendi Scholastici illi, quorum spiritui obfuturas scientias certæ, siue indubitatæ sunt præsumptiones; atq; à docendi munere submouendi, Qui corruptis, siue non religiosis præditi sunt moribus; ac nominatim, Qui omnia sibi deberi arbitrantur; vitæ commoditates impense sectantur omnes; Familiaritates quasdam peculiares cum Iunioribus quibusdam, & non spiritualioribus amant; discordias serunt inter Superiores, ac subditos, Auditorumq; suorum animos nominatim à Superioribus alienant; patrocinium suscipiunt nonnullorum, qui minùs eo digni sunt &c. Horum loco, quando alij haberi non possent, subrogandi externi, siue ex alijs Religiosis ordinibus, siue etiam Sæculares. Munus scientias tradendi à Regularibus Prelatis demandetur semper illis, qui magis pietate, quam doctrina excellunt. 5. *Cum duobus maximè Præsidijs* Ciuilis Respublica indigeat, *Literis, Armisque*; haud congruum videri potest, vt illis, qui vel leuiter arma tractare nouissent, ne dum ijs, qui laudem aliquam in armis consecuti forent, larga tribuerentur stipendia; Viris autem, qui in scientijs prestarent, nulla, vel exigua decernerentur. Non negatur quidem, quin amplior pre literatis hominibus per se statuenda sit merces hominibus, qui bellica Virtute insignes militibus preficiuntur, & maximè cum vitam pro Communi salute morti obijciunt, vel ad id parati sunt. At memoria est quoq; recolendum e studio breuiores vite reddi dies compluribus, à non paucis graues, perpetuosque contrahi morbos; ac precellentes in scientijs Viros pluribus indigere, quam nonnulli existiment. *Quot nummi* in construenda Bibliotheca, ac libris, qui in singulos annos ab illustribus Viris eduntur, coemendis, impendendi sunt? At non minùs Literato libris, quam Militi armis opus est: Sumptus suppeditandi sępè pro rescribendis nec semel, quę sapiens scribit: *Alendi sunt* non tantùm qui illi inseruiant, verum etiam, qui auxiliares manus ad studia, in quibus semet exercent, porrigant: Et quia hisce, sicuti & Rescriptoribus docti plures Viri destituti fuerunt, ac destituuntur, grauia patitur, ac passa iam est detrimenta literaria Respu-

Respublica. E sapientissimis Viris non pauci multa volumina valde vtilia conscripsissent, typisque mandassent, si aliquos ad illa conficienda opitulantes habuissent: & experientia quidem patet quotidiana, Multarum spatium horarum sæpè, & integros quandoque dies in certis Auctorum locis reperiendis insumi, quod tempus homo doctus in doctrinæ alicuius, reique maximi ponderis scriptione, vel meditatione impendisset. Quot volumina quidem in nobilissimis iacent sepulta Bibliothecis, licet publica luce dignissima, eo quod præ paupertate, aut rei familiaris angustia non potuerint ab eorum Auctoribus euulgari! *Ad hæc*; Non minori in prætio, adeoq; etiam præmio, videtur habenda præ Armis Toga. *Nec Temporalibus etiam Ciuilis Reipublicæ commodis* satis prospiciunt, qui Homines sublimioribus exornatos scientijs omnibus humanitatis officijs non prosequuntur: Nam illorum opera non rarò potest esse adeò necessaria, vt nullis parcerent sumptibus, si ea vti possent: Iusto autem Dei iudicio voti compotes non sint, eò quod minori in pretio illos habuerint eo tempore, quo minùs necessariam sibi illorum operam existimauerint, indeq; illam in aliorum commodum collocare fuerint coacti. 6. *Illi, qui studijs* prę̨sunt, aut circa illa nonnullam habent auctoritatem, sint Viri scientijs exculti, vel qui de sciẽtijs literatisq; Hominibus aliquod iudicium saltem ferre possint, simulque publici amantes boni; nam hi non poterunt media ad literarum studia prouehenda vtilia, quæ sibi proponentur, nõ arripere, ac etiam indagare vltro; Scholasticis præficient Professores Sapientum, sincerorũque hominum iudicio alijs illustriores (dum ipsi id non habeant exploratũ) in scientijs, & aptiores, neque enim omnes docti ad docendi munus idonei sunt, cum tamen Magister necessariò Ordinem ad Discipulos importet: neq; in hoc suis propensionibus, vel aliorum commendationibus, ac laudibus, quæ vanę possunt esse, vel extortæ, vel ab amicis tantùm vulgatæ, locum tribuent, sed optimos re ipsa eligent; *Ampliorem curabunt tribuendam mercedem* Professoribus illis, sub quorum disciplina ampliores fecisse progressus auditores deprehendent: *Reprehendent* Professores illos, qui munere suo nõ funguntur, vel non solliciti sunt de Auditorum progressu, sed tantum de stipendio; & si opus fuerit, huiusmodi Professores à docendi munere remouebunt &c. *Inuigilabunt* diligenter (& hanc notitiam facile habere poterunt prouidi, prudentesq; Viri) vt illi, qui dicuntur Scholastici, partes suas expleant; Priuabunt actu illos, qui nihil minùs agunt, quam vacare studijs, & multò magis, si alios vel exemplo, vel voce à studijs retrahunt, Priuilegijs, Immunitatibus, ac Facultatibus, quibus Scholastici gaudent, amplioresque etiam consuetis exemptiones, ac Facultates elargientur illis, quos certò nouerint .e-

duto

dulò in ſtudia incumbere, ac in illis proficere; & pœna, nec leui afficient illos, qui Studiorum, ac Ciuitatum trãquillitatem perturbant, librorumque loco potius Arma tractant; qui aliorum Vitæ, aut Crumenæ insidiantur; laudemq; vnicam, vel primariam reponunt in quorundam etiam Armorum vetiti generis vſu, quibus alios perterrefaciant, minùs publicos æſtimēt magiſtratus, aut miniſtros &c. Norunt enim ſtudiorum Præſides, quo magis in officio continentur ſcholaſtici (his tamen leuia nonnulla ſunt condonanda, imò & quędam diſſimulanda, dum id ſine graui incommodo poteſt) eo maiorem in ſcientijs futurum progreſsum, amplificandumq; magis Auditorum ad pacifica huiuſmodi ſtudia confluentium numerum; quod & Ciuitatibus, in quibus vigent illa, ſummæ eſt vtilitati, præter honorem, quem Ciues, ac eorum Principes inde referunt ſummum, Quibus tamen curandum eſt, vt Ciuitas Annona abundet; charitas enim huius Academias, licet celebres, Auditorum numero priuat. 7. *Solum verè digni ad literarios euehantur gradus*; ſi deprehendantur aliqui pro non idoneo ſuffragium tuliſſe, iure illud in poſterum ferendi priuentur; nec in hoc vllius habeatur ratio: Nec ijdem cõferantur *In illos*, qui vno vel altero menſe in ſingulos annos morantur in Vniuerſitatibus, cum tamen ibi trium, vel quatuor ſpatio annorum adeſſe deberent; *vel in illos*, qui vno vel altero menſe ſtudijs vacãt, ac reliquũ tempus in rebus ludicris, vel etiã minus honeſtis, nobilibuſq; Adoleſcentibus dignis terunt, licet in examine reſponderent aptè; *Vel in illos*, qui ſuæ conſcij tenuitatis, aut ineptitudinis ſuffragia prenſant &c. Sed *In illos* tantum, qui cum laude pręſcriptis temporibus ſtuduerint, progreſſuſq; non leues fecerint, licet minùs apte examen ſubeuntes reſponderent, cum laude Doctoris gradum, perſonamq; ſuſtinere poſſint 8. *Proponantur* præmia congrua Scholaſticis, qui in ſingulos annos Profeſsorum iudicio magis in literarum ſtudijs profecerint. Alicubi Theologiæ, aliarumq; ſcientiarum ſtudia florent, quoniam pinguia etiam Beneficia Eccleſiaſtica, imò & primarij Epiſcopatus vltro decernuntur illis, qui deprehenduntur; vel ex publicis actibus, vel communi ſuffragio excellere, aut primas inter cæteros auditores laudes occupaſse in ſtudio Theologię &c. Qualis Scholaſticorum profectus foret, ſi in qualibet Academia identidem, ſi non in ſingulos annos, proponeretur premium, ſiue Magiſtratus in Republica Ciuili, ſiue Beneficij in Eccleſiaſtica Republica, aut quid ſimile vni, vel alteri, qui in qualibet primaria Facultate ſecretis illius Facultatis Profeſsorum ſuffragijs inter cæteros præſtaret, taliſq; præſtantiæ aliquod publicum ſpecimen exhiberet! Sunt Præmia quandoque ſingulis etiam annis decreta illis, qui in quibuſdam ludis, alijſq; corporis exercitationibus palmam ferunt;

Quam

Quam ingentes sæpissimè fiunt sumptus pro Scenicis Actionibus, alijsq; ludicris, Futilibusq; rebus; *At* Rarissima, vel nulla sunt, vt plurimum saltem, præmia illorum, qui multa cum laude cursum Theologicum, vel Philosophicum, vel Vtriusq; Iuris confecerunt. Doctoratus haud hisce idoneum est præmium, cum illo minus etiam periti, & quandoq; etiam imperiti decorentur, & non rarò pecuniæ, non verò meriti ratio haberi possit; In quo grauissimè, & contra Iustitiam quoque peccaretur &c. 9. *Magnates, Principesque Viri, tum Ecclesiastici, tum Sæculares* penes se habeant Viros omni exceptione in Scientijs maiores. Retardaret, nec omninò irrationabiliter, multos à præstantia in literis, scientijsq; curanda, si viderent ab illis ali Viros nullius in scientijs famæ, vel paruæ æstimationis, repelliq; Viros in doctrina primarios, eo quod eorum consilijs, quæ detrectari meritò nō possent, regi nollent suamq; magis detegi inscitiam putarent; cum tamen ad muneris sui partes explendas, tum coram Deo, tum coram hominibus peritiorū auxilio re ipsa illis foret opus; aut ampliores sumptus essent in ipsis alendis faciendi, quorum tamen rationem non haberent in alijs personarum generibus inferioris longè conditionis alendis; *Eosque animaduerterent*, arbitrari suæ conscientiæ, suoque honori, ac Dignitati consultum, si vltroneos quosdam Theologos, Canonistas &c. & qui vix Prima Theologiæ &c. Elementa nouerunt, aut in quibusdam solùm minoris ponderis, aut leuis momenti quæstionibus versati sunt, aut etiam adulatores sunt, & ad genium illorū, quorum seruitio addicti sunt, loquuntur, in famulorum, vel aulicorū numero reponant. 10. *Publicis*, aut *Principis alicuius sumptibus* alantur Iuuenes nonnulli ad literas, scientiasq; apti, licet alere se proprijs sumptibus, ac honorificè possint; & ex illis seligantur postea Doctiores, qui ad Reipublicæ, vel Ecclesiasticæ, vel Sæcularis honorificentiora euehantur munera. Hinc nobiles etiam Iuuenes ad literarum studia allicientur. 11. *Viri Ciuitatum Primarij* Scholasticis, litterarijsq; exercitationibus, licet minùs periti sint, adsint; Etenim honos ille, præterquā Virtutibus deberi videtur, tum illis, qui eas habent, tum alijs ad similes habendas animos addit. Retardarentur quidem à studijs, vel à profectu in scientijs multi, *si Scirent*, Viros Principes vel nobilitate, vel Dignitate inter se conuenisse, vt ad *literarias huiusmodi exercitationes vel non conuenirent, vel in certo tantum numeno adessent*; & maximè, si hi forent ex illis, ad quos literarum studia fouere primariò spectaret. *Vituperandi* enimuero forent, si frustra se horæ spatium in literariæ palestræ loco insumere arbitrarentur, cum tamen integros quandoque dies in lusibus, minusque eorum conditioni congruis exercitationibus, siue relaxationibus impenderent. 12. *Cum multi pauperum*, ac *rusticorum etiam filij*

in scien-

in scienijs præstantissimi euaderent, si possent ab eorum parentibus in Scholis sustentari, Magnates, Diuitesque Viri nonnullis ex his, quos natura aut experientia idoneos docuerit, alimenta suppeditent; ac Episcopi, Ordinarijq; locorum, cum Diœceses suas inuisunt, aliquos seligant, alendos in Seminarijs, quæ præcipuè sunt pro huiusmodi pueris, ac adolescentibus educandis instituta. 13. *Identidem* à Viris Primarijs, qui inter cæteros ad id munus sint cõmuni Ciuium suffragio electi, Scholas omnes, *Puerorum etiam* qui Grammaticam docentur, inuisantur; *de vniuscuiusq;* progressu Professores ab illis diligenter interrogentur; Si qui *inepti*; & multò magis si alios à studijs reuocant, prauisque moribus inficiunt, quos emendare sit valde laboriosum, e scholis remoueantur. *Premijs* quandoque decorentur, qui palmam inter cæteros obtinent; *laudentur* saltem pro merito, qui proficiunt, & qui in aliqua Scholastica exercitatione benè, siue præclare se gesserunt, vel gerunt. *Adeò pretium omnia spectant*, vt scientiæ omnes, ac literæ, *quamquam plurimum* in se *habeant voluptatis* (vt habet *Quintil. lib.* 10. *c.* 6.) maximè *tamen præsenti fructu laudis, opinionisq;* ducantur. 14. *Illis, qui multorum spatio annorum*, & cum laude, discipulorumq; profectu quamlibet Artem, vel Scientiam docuerunt, cessatio à laboribus omnimoda concedatur vltro, vt reliquum vitæ tempus in summa traducant quiete, & publicis etiam sumptibus extraordinarijs alantur; sic enim multi ad magisterij munus diligentissimè obeundum allicientur. 15. *Parentes, Consanguinei, Affines, Amici* adeant Professores, deq; suorum progressu certiores fieri curent; Mutuus hic Professorum, Parentum &c. consensus addolescentes magis in studio sollicitos reddit. Mirandum esset, quod aliqui nobiles præcipuè, licet equos certo custodi nutriendos commiserint, in singulos tamen dies eos inuiserent, & hæc prima foret, vbi e lecto surrexissent, illorum occupatio: *At rarissimè*, & interdum nunquam, vbi certi Professoris curæ filios, vel nepotes &c. commisissent, illorum circa studia omnem fermè sollicitudinem dimittentes, à Professore exigerent, aut peterent, qualis sit illorum profectus &c. 16. *Si quando parentes &c.* intelligant a Professore, vel ab alio, qui sit fidelis, ac peritus, filios, nepotes &c. in literis, scientijsq; progressum facere nec mediocrem; ostendant coram illis id sibi gratissimum esse, ac nihil sibi accidere, aut narrari posse iucundius; in nullo se expensas quaslibet habere pretio; nunquam fore, vt quibuscumq; parcant sumptibus, vt illi literarios omnes gradus adipiscantur; se omnem adhibituros operam, vt post exantlatos in studijs labores Dignitates, Honorificaq; munera cõsequantur &c. Interim aliquo præmio, vel donario eorum munerentur progressum, quod haud tribuant alteri fratri, nepoti &c. qui in literis

teris eum non facit progressum, quem re ipsa facere posset, si serio animum in studia intenderet. 17. *Extraordinaria quædam munera* ad Professores mittantur interdum a Parentibus &c. hęc enim illos ad magis suorum profectui inuigilandum allicient; *Ea verò* nominatim mittantur, vbi deprehenderint suos non mediocriter in literis, vel scientijs profecisse. 18. *Parentes &c.* vel alij eorum nomine intelligant à suis, quid in singulos dies, quibus ad scholas accesserunt, didicerint, & ab illis describi iubeant; si verò longiùs absint à suis, in singulas hebdomadas, aut in singulos saltem menses ad se scribi iubeant, quæ didicerint, alijs ostendenda, maximè si ipsi minùs periti sint, vt de illorum profectu cognoscant; in patriamque reuersos aliquorum examini subijciant. 19. *In hoc præcipuè desudent* Parentes &c. vt filij, nepotes &c. cum Viris literatis, atque Adolescentibus in studia propensis consuetudinem habeant; Imperitorum, illorumq; omnium, qui animum à studijs alienum habent, & multò magis, si quibusdam contaminati sint vitijs, familiaritates vitent. 20. *Commendentur à Parentibus, alijq; omnibus* coram Pueris, Adolescentibusq; *Viri* literati; illos, si adsint, multò prosequantur honore; narrent Dignitates, Honores, Diuitias etiam, quas hi adepti sunt, Famam, quam consecuti sunt, & consequuntur immortalem &c. 21. *Si Parentes, vel alij* habeant certam patrimonij, vel rei familiaris partem, quam liberè relinquere cuique possint, eam asserant se relicturos filio, nepoti &c. qui ampliores in scientijs progressus fecerit; idq; re ipsa præstent, ac in testamento profiteantur, se ex hac causa id peragere. 23. *Professores* iuxta *Quintil. lib. 2. c. 2.* monitum *sumant ante omnia Parentis erga discipulos suos animum, ac succedere se in eorumdem locum, a quibus liberi sibi traduntur, existiment.* Si Parentes filijs solent thesaurizare, ne dum quotidiana illis suppeditare alimenta, redditusq; familiæ in dies amplificare conantur, vt minùs pauperes, vel magis opulentos illos reddant: etiam Professorum opera in hoc maximè videtur collocanda, vt non solum discipulos debitis, siue ex consuetudine, siue ex legibus præscriptis doctrinæ alimentis non priuent, sed etiam vt in dies singulos discipuli maiorem doctrinæ prouentum acquirant. Ea igitur Professores in discipulos amoris argumenta exhibeant, vt *præceptores ipsos non minùs, quam studia ipsa ament, & parentes esse non quidem corporum, sed mentium credant: Multum hanc pietatem conferre studio* habet Quintil. lib 2. c. 10. *Nam & libenter audient*, inquit, *& dictis credent, & esse similes concupiscent; in ipsos denique cœtus scholarum læti, & alacres conuenient, emendati non irascentur, laudati gaudebunt, vt sint charissimi Studio, merebuntur.* 23. *Professores* non se venditent tanquam aptos ad vllos illis imbuendos scientijs, quarum ipsi imperiti, aut parum periti

sunt;

ſunt; & vbi ſe impares ad aliqua vlterius tradenda agnouerint, moneant Parentes &c. vt aliorum Profeſsorum diſciplinæ tradant filios, nepotes &c. 24 *Non ſe onerent* Profeſsores maiori auditorum turba, quam vt ſuſtinere eam poſſint. Ad Profeſsoris cuiuſq; honorem magis confert paucos habere diſcipulos, eoſq; ingenio ſelectos, ac ſedulam ſtudijs operam nauantes, quam plures ingenio mediocres, parumq; ſtudijs deditos. *Si Auaritiæ ſordes* a ſe relegauerint Profeſsores, nō multum in hoc peccabunt; ſicuti neque in *detinendis plus æquo Auditoribus* in quibuſdam ſtudijs, ſiue in nonnullis, quę breuiori tempore tradi poſsunt, edocendis. 25. *Non minùs triſtem* deuitent Profeſsores *ſeueritatem*, quam *diſſolutam comitatem*. Eos quidem tantummodo peculiari amore ſe proſequi re ipſa ſignificent, qui magis in literis proficiunt; & ab ijs quidem nullam interdum accipiant laboris mercedem, multo eorum progreſsu, tanquam congrua ſibi mercede, contenti: *Debita tamen Modeſtia* vbique, & cum quocumque auditore ſuo, ſint memores, quę ſibi quoq; maiorem conciliat apud diſcipulos auctoritatem, ac venerationem. 26 *Nunquam* in Auditores ſuos contumelias iaciant Profeſsores, ſiue quid proferant, quod eorum Honorem, Famamque lædat; multi enim facile, ac præſertim ingenuis orti parentibus, a frequentandis Scholis abſtinebunt. 27. *Addant* Profeſsores *animos non ſolùm cum fructu ſcientiarum iter calcantibus*, verū etiam illis, *qui animo quandoque caderent*. Sapienter *Quintil lib. 2. c. 4.* inquit; nullo magis ſtudia *quàm ſpe gaudent*; ſubdit verò. *Aſpera remedia, niſi molliantur, deſperant Iuuenes, & dolent, & nouiſſime oderunt, & quod maximè omnium ſtudijs nocet, dum ſtudioſi omnia timent, nihil conantur.* Quare in nonnullis corrigendis haud ſint nimis ſeueri; *laudentur*, ſi fieri poteſt, *aliqua ferantur quædam, mutentur etiam, reddita cur ita fiat ratione; illuminentur*, interponant aliquid ſui. *Quod ſi fieri non poſſit* de integro iterum ſcribere, vel dicere, vel argumentationem repetere, vel doctrinam explicare &c. iubeant, *eò quòd ipſi ad huc meliùs poſſint.* 28. *Secundum cuiuſque Ingenij exploratam* naturam diſciplinis Adoleſcentum, Iuuenumque animi imbuantur; ſunt enim nonnulli apti ad Metaphyſicas ſubtilitates: *Aliqui* ad Phyſicorum effectuum cauſas proximas inueſtigandas aptiores; *aliqui* ad Mathematicas diſciplinas aptiſſimi: *Aliqui* magis idonei ad Ius Ciuile, vel Canonicum, quam ad Philoſophiam: *Aliqui* poſsunt excellere in Oratoria facultate, qui in Poeſi nullam conſequentur laudem &c. Et hoc quidem ſolertiſſimè attendendum eſt tum à Profeſsoribus, tum à Parentibus &c. 29 *Vbi Viri* Principes, tum *Eccleſiaſtici*, tum *Sæculares* in aliquam Ciuitatem, vel oppidum iter facientes conceſſerint, indagent; *Quinam eo in loco ſcientijs illuſtres habeantur*; ad eos accedant, vel ad ſe acceſſiri pro dignitate

ſua iubeant; familiariſſimè cum illis colloquantur, honore multo, publicè etiam, & coram populo, eos proſequantur, dono etiam aliquo afficiant &c. Explorent illi quoque, in quibuſnam locis homines ſcientijs illuſtres degant; eorumque amicitia per literas ſaltem, ſi non nuncios, curetur &c. 30. *Viri in literis primarij* cogantur quandoque honorifica ſuſcipere munera Reipublicæ, tum *Eccleſiaſticæ*, tum *Ciuilis*, quibus adminiſtrandis idonei ſint, licet illa detrectarent, ne dum non ambirent. *Qui alijs præſunt*, interdum ad id teneri queunt; ac nominatim, dum ea munera, ex hominum idoneorum penuria, maximè ſi forent e præcipuis, publicoque annexis bono, minus dignis, aut indignis demandanda forent. Et quaſdam quidem Dignitates in renuentes potiùs, quam ambientes conferendas eſſe in confeſſo eſt apud ſapientes. Ex Hiſtorijs ſatis patet, illa ætate, ac ſub illis Principibus literas, ſcientiaſque floruiſſe, hominumq; doctiſſimorum multitudinem propagatam fuiſſe, quibus imperantibus honores ampliſſimi, muneraque honorificentiſſima Viris ſapientia claris deferebantur. Nolit vnquam Deus, vt Chriſtiani Principes e Mauhemetanis placitis hauriant, haud fouenda eſſe literarum ſtudia, Viros ſciẽtia ſublimes deprimendos eſſe, idq; ſibi Politicis, ſed apparentibus, ducti rationibus ſuadeant; ac præſertim, ne vnquam Eccleſiaſtici Præſules in animum id inducant ſuum, factiſue declarent, licet aliter ſe ſentire aſſererent; Quid enim Eccleſiæ hoſtibus accidere poſſet iucundius, eorumque Conſilijs opportunius? 31. *Remoueantur e ſcholis* omninò illi, qui ad literas, ſcientiaſque nõ ſunt habiles, vel nullam ad illas propenſionem præferunt; hi enim ſolent eſſe alijs impedimento, ne proficiant, Profeſſoreſque tempus, quod inutiliter in his inſtruendis impendunt, in alijs erudiendis maiori cum fructu impenderent. 32. *Ne eiuſdem facultatis Profeſſores* ſe inuicem verbis mordeant, vel factis laceſſant; nec Profeſſores vnius inuehant in Profeſſores alterius, multoque minus in Facultatem ipſam, quam ipſi non tradunt; ſed potius omnes ad promouenda ſtudia conſpirent. Non ſine reprehenſione, ac pœna quandoque etiam remotionis à Magiſterio, qui in huiuſmodi detractiones, ſiue vituperationes eſſent procliues, dimittendi forent ab illis, qui ſtudijs præſunt. *Cauendum nominatim*: ne Grammaticæ, vel Humaniorum literarum Magiſtri vituperent Superiores facultates, & ne harum Profeſſores Rhetoricæ, multoque minùs Grammaticæ ipſi infenſos ſemet exhibeant. 33. *Bibliotheca inſtituatur publica*, ad quam cuique ſtudioſo liceat certis in ſingulos dies accedere horis: certique redditus conſtituantur, e quibus ſelectiores libri, qui in vnaquaq; facultate ſingulis eduntur annis, emantur: &, ſi fieri poteſt, quorundam librorum plura adſint exemplaria, quæ *Scholaſticis Pauperibus* diſtribuan-

buantur, Bibliothecæ reddendi, vbi illis fuerint vsi. 34. *Si delictum patrauit* vir aliqua in Facultate illustris, dummodo non sit ex atrocioribus, & cui pœnam remittere esset re vera contra publicum bonum, ei illud condonetur, aut leuiori pœna iste afficiatur; *Imò mitior pœna* inter cæteras, quæ irrogari possent, in atrocioribus etiam illi irrogetur. 35. *Cum quilibet etiam doctissimus* Vir errare possit aliquando in ijs, quæ ad scientiam quoque, quam profitetur, spectant, retundantur eorum voces, qui ex hoc vniuersam illius doctrinam, ac sapientiam cæteroqui notam vituperarent, aut in crimen vocarent; Multoque magis id præstetur, si incolsultò, ac in illis, quorum peritiam haud profitetur, labatur. *Grammaticorum*, ac *illorum*, qui *ex Instituto Grammaticam pueros docendi munus habet*, linguæ nominatim cohibendæ. 36 *Breuiùs in Scholis aliquæ tractentur* Facultates, vt Grammatica, ac Logica, in qua tum docenda, tum ediscenda cum auditorum tedio, temporisque dispendio non pauci annos, ne dum menses, insumunt. De aliquibus etiam quæstionibus, parum quidem vtilibus non agatur in scholis; aliquæ breuiùs tractentur, aliæ verò, quæ sunt veluti scientiarum cardines, longiùs: Et experientia quidem patet in Scholis nonnulla latè tradi, nonnullas quæstiones latè agitari, quæ ad præsentem praxim, vel Theoricam nihil, aut leuissimè conferunt; omitti verò, quæ nostris temporibus essent congruæ, imò sępenumero necessariæ. Quod solum fieri posset propter consuetudinem quamdam modò non laudabilem, imò potius vituperabilem &c. 37. *Nobiles quidem Viri se Scientiarum* studio tradant; At maximè *Principes*, ac *Magnates* alijs pręstare conentur in scientijs illis, quæ suæ sunt pares conditioni; sibi gratissimum esse ostendant, quod subditi in scientijs clari euadant; interrogent aliquando aulicos suos de nonnullis ad scientias spectantibus; eorum adhibeant operam potissimè, qui in illis excellunt; coram se haberi discursus de rebus ad scientias spectantibus iubeant sæpe &c. Hæc, & similia à Principibus maximè Viris præstita quoscumque inferioris notę homines ad literarum studia amplectenda, alacriterque prosequenda mirificè alliciunt. 38. *Si quis homo Scientia* illustris minùs Fortunarum habeat, adeoq; personę dignitatem, vt par foret, & præcipuè si nobili ortus genere, sustinere non posset, à Magnatibus, ac Diuitibus illius egestas leuetur; Quod opus *erit etiam summæ* Pietatis. Indignares planè esset, & coram Deo, & coram omnibus, qui rectè sapiunt, valde vituperabilis; si pateret, quod homines in nullo habendi pretio, *vel* qui solum, ac leuiter arma tractare norint, *vel* qui sunt sępe vitijs, nec leuibus imbuti, *vel* qui vana solùm, ac ludrica, & interdum etiam publico perniciosa bono docere queunt, possuntque scelerum dumtaxat esse ministri, suntue Ciuius perturbatores tran-

quilli-

quillitatis &c. statim ac in aliquam, & primariam Vrbem pedem inferrent, hospitium, stipendiumque ferme statim inuenirent; *Viri autem* literis satis instructi vel emendicare, vel semet tenuibus suis facultatibus vtcumque sustentare, vel etiam in rebus, quæ eorum haud decerent conditionem, operam impendere suam cogerentur &c. 39. *Cum facilè sint multorum calumnijs ex odio*, inuidiaq; ac similibus de causis, Viri scientijs illustres expositi; si quid de his minùs honestum, decorumque referatur, aut euulgetur, Viri Prudentes haud facilem huiusmodi dictis fidem habeant; *inquirant* potius, à quibusnam primò fama emanarit; & si falsum, vel non probatum rumorem deprehendant, illorum honori publicè etiam consulant: Possetque teneri quandoque Publicus magistratus, multoque magis teneri possent illi, qui studijs præsunt, adhibitis testibus, publicisque tabulis horum innocentiam declarare, declarare æmulos tanquam falsarios, mendacesque. Nullatenus quidem permittendum, vt propter calumnias à quocumque vlla illis inferantur incommoda, debitisq; honoribus, & gradibus priuentur &c. Multi à studio primas in scientijs partes assequendi remoueri queunt, si videant celebres sapientia Viros frequenter calumnias pati; quas cum repellere propter aliquorum auctoritatem non possint, nullum e potentioribus suæ fauentem innocentię, morumque, ac doctrinæ integritati habent. 40. *Cum nonnulli* Sapientes Soli haberi vellent, vt hinc cæteros omnes suo regerent arbitratu, horum artes sedulò præcauendæ; nam *suam* vsq; ad Cælum efferent sapientiam; *se ipsos* cæteris omnibus, qui etiam scientiarum Principes habiti sunt, pręferent; *Libros complures*, quorum non pauci sint ex alijs transcripti, proferent &c. *aliorum sapientum* errata sedulò obseruabunt, & vel leuissima vulgabunt; *se* in paruo nullo habere pretio eorum doctrinam, quæ maior quandoque esset, quam ipsorum, & quam suis infirmare argumētationibus nequirent, ostendent; *omnesque* ingenij, etiam mendacis, ac malitiosi, neruos intenderent, vt tales Viri existimationis doctrinæ, quam & meritò haberent, iacturam facerent. Hi ergo à Magnatibus, Principibusq; Viris maximè protegendi, acutique huiusmodi linguarum gladij retundendi, ac retorquendi, venenumque aspidum sub labijs eorum latens in eosdem eiaculandum, ne lędantur innoxij. 41. *Cum quandoque* Sapientes conscribant libros valde vtiles Christianæ Reipublicę futuros, si imprimerentur; nec ęquum existiment laborum suorum fructus omnes impressoribus, siue Bibliopolis tribuere, siue donare: Magnates, ac Diuites pecuniam ad huiusmodi librorum impressionem necessariam, vel donent, vel saltem mutuam dent; eoq; libentius, si homines docti hinc se honorificentius sustentare possent, vel in Ciuium commoda quædam molirentur, & multò adhuc libentius,

tius,

tius, ac vltro etiam, si huiusmod lucro re ipsa indigerent. 42. *Non expedit publico Ciuitatum, oppidorumque bono*, vt redditus, qui pluribus Professoribus e quolibet hominum genere idoneis alendis certa iam Lege tribuebantur, impendantur in sustentandis Professoribus ex vnico tantum hominum genere, translato in eos huiusmodi redditúum dominio; si exploratum haberetur, egregios quidem Professores in Scholis hisce recens institutis detineri; breui autem fieri, vt imperiti quidam ibidem doceant, & ex Scholarum multitudine, minusq; literarum studio in huiusmodi hominibus vigente oriri, vt non nisi parum peritis docendi munus tradi possit. Expediret magis, vt quotannis sumptus suppeditarentur pro sustentandis Professoribus &c. Primariorumq; Ciuium suffragijs decerneretur, an illi in posterum in docendi prouincia detinendi, an satis muneri suo fecerint &c. Sic enim sollicitiores in erudiendis auditoribus redderentur. 43. *Larga Professoribus constituantur stipendia*, eaque etiam pro personarum, doctrinæ, ac annorum, quibus docuerunt, ratione amplificenur. Regia in hoc Magnificentia eluceat; sicuti & in Gymnasijs amplissimis, ornatisque ædificandis, ac identidem restaurandis. 44. *Ab illis qui studijs Præsunt*, nisi experientia teste, vel fama à Viris probatis, aut Libris quoque editis orta sibi constet de habilitate illorum, quibus docendi munus demandandum est, periculum doctrinę, habilitatisq; huiusmodi Virorum, qui sibi proponuntur fiat, vel saltem ab alijs ipsorum nomine; plures enim vel inepti, vel parum periti à petendo tali munere abstinebunt; plures etiam pro ijsdem deprecatores cessabunt; non pauci eos commendandi, ne dum illorum promotionem vrgendi prouinciam detrectabunt, si explorandum sit à sinceris, peritisque Iudicibus, an idonei sint ad tale Magisterium. *Illi quoque animaduertant*, ne in eligendis Professoribus decipiantur; Posset enim fieri *Primò*, vt nonnulli priuata solum respicientes commoda, siue propter consanguinitatem, vel affinitatem, siue amicitiam, siue genij, naturæq; consensionem, siue Patriæ, aut Prouinciæ communionem &c. omni contenderent opera, vt certi Professores, licet minùs idonei, quam alij, eligerentur: & horum quidem dictis eo minor habenda fides, horumque conatus eo facilius repellendi, quò indicaret experientia, minùs fuisse interdum fideles in aliquorum laudibus recensendis. *Secundo* vt alij siue *auaritia*, siue *inuidia*, siue alijs præpediti passionibus obstarent, etiam calumnijs, ac ementitis vocibus, ineptisque ratiunculis, quas etiam consultò per alios quoque publicarent, ne aliqui Professorum munus assequerentur in locis, in quibus ipsi degunt, talium Virorum sapientiam, vel in docendo peritiam, etiam quandoque notam, eneruando &c. Ad quod faciliùs hi possent impelli; *si timerent* sibi

aliquam

aliquam famę iacturam eo quod illi forent Doctiores, adeoque arbitrarentur, se minori in pretio habendos; *aut existimarent* illos forę, quasi Censores eorum, quæ ab ipsis dicerentur, aut docerentur.

45. *Diligentissimè caueatur*, ne veluti *Monopolium* quoddam apud aliquos instituatur literarum, ac scientiarum, ita vt qui quorumdam disciplinis non fuerint imbuti, vel non tradunt scientias, Artesque iuxa illorum præscriptum, licet sint Viri valde periti, & quandoque illis peritiores, propter talium hominum auctoritatem in minori habeantur pretio, eorũ docendi ratio vituperetur, persecutiones etiam acerrimas patiantur, à locis illis, in quibus multi eorum scientia æstimabatur, recedere cogantur &c. Quot enimuerò à literarum, scientiarumque ineundo, prosequendoque retardarentur studio, si penes solum quoddam hominum genus esset docendi munus! *Vtinam* nulli in id cõspirent. Vtile est etiam Oppidis, ac Ciuitatibus plures habere scholas, quibus diuersi Pręceptores, dummodo periti sint, præficiantur; *tum quia* penes vnum, aut alterum esset nimia discipulorum frequentia sæpissimè, quorum profectui non satis illi consulere possent; *tum quia* sic magis & docentium, & discentium alacritas fouetur; quisque enim Præceptor diligentiorem adhibet operam, vt sui auditores magis, quam alterius, proficiant, Discipuliq; ipsi sunt etiam magis de hoc solliciti; *tum quia* non in eumdem plane hominem, vel eiusdem conditionis viros animi propensionem habere queunt auditores; *tum quia* sic nonnullorum ambitio retunditur; necesse est enim, vt nimium tribuant sibi, qui se nemini comparant; *tum quia* id ad Ciuitatis, oppidiq; decus spectare videtur, sicuti etiam plures habere Ecclesias, plures Regulares Ordines &c. Præcauendum tamen à scandalis, quæ hinc importari queunt, cum dissensiones inter ipsos Professores, eorumque Auditores grauissimæ non rarò exoriantur: quæ vt euitentur, nec cæterorum etiam Ciuium tranquillitas perturbetur, expedit, imò necesse est sæpenumero, vt certis solum Professoribus docendi munus demandetur. Et per se quidem illi, qui in tali Prouincia, aut Ciuitate consueuerunt docere, in sua retinendi possessione, nec alij tamquam competitores, vt dicitur, multoq; minus eorum loco subrogandi, si illi munere suo cum laude fungantur, licet alij etiam melius illud exercere possent. *Neque facultates, quas nonnulli haberent*, omnes, & vbilibet docendi, semper suffragari possent: Nam *Primò* explorandum foret, An tales facultates fuissent obreptitię, vel subreptitię, aut concessę ab habentibus potestatem illas elargiendi pro talibus locis, Prouincijs &c. *Secundò* perpendendum, an illæ intelligendæ vniuersaliter, & pro omnibus planè locis &c. aliqua enim speciali, ac indiuidua indigent mentione. *Tertiò* indagandum, an illæ essent contra Ius aliquod

Tertij,

Tertij, cui nullus Principes derogare intelligitur, nisi id clarissimè exponat; *Quartò* per se nulla facultas, nullumq; Priuilegium intelligitur concessum contra publicum bonum, publicamq; Tranquillitatem &c. 46. *Ne ex præiudicato quodam affectu* erga aliquos, *vel sensu de illorum doctrina* foueantur solum ex certo personarum genere Studiosi, aut Professores, vel illi, qui sub horum fuerint disciplina; sed cuiuslibet cõditionis homines literati, ac scientifici debitis laudibus, premijs, ac honoribus efferantur. 47. *Ne multiplicentur nimis Scholæ, ac Preceptores*; fieret enim, vt inepti, vel parum idonei Scholis præficerentur; & hinc in illis, qui huiusmodi Professores audirent, imperitia: nec mirandum foret, si subsequentibus temporibus minùs prę-stantium siue in politioribus, siue in sublimioribus scientijs numerus reperiretur. *Pauca sint potiùs* Scholæ; eas moderentur Viri egregij. Imò magis expedit, vt vni, vel alteri Professori præcellenti statuta pluribus stipendia decernantur, quam plures parum periti illas regant. *Valde idonei Professoris* commodum præualere potest incommodis, quæ ex maiori auditorum numero, quàm ille sustinere posset, orirentur. 48. *Non sine diuturna, attentaque discussione* opinionum, librorumq; Censuræ ferantur; nec à priuatis quibusdam, & maximè illis, qui sua nimis amant, aut aliorum doctrinis sunt infensi, aut principatum in scientijs cupiunt &c. latæ à Viris prudentibus admittantur. Talium censurarum, licet immeritarum, timor, maximè si laboriosum postea foret eas abolere censuras, siue efficere, vt illæ retractarentur, retardare potest multos à multas in publicam proferendi lucem, quæ re vera scitu dignissima forent. 49. *Omni præcauendum opera*, ne aliqui eam sibi vindicent auctoritatem, vt Bibliopolæ, Impressoresq; librorum non audeant imprimere libros, in quibus reponantur nonnulla minùs *illorum voluntati consona, vel doctrinæ congrua*(supponitur in his haud tractari aduersãtia Catholicæ fidei, vel Christianis moribus &c.) eò quod priuent illos consultò lucris nonnullis; vel etiam pœna aliqua afficiendos curent, ficto etiam aliquo prætextu, vel aliquo nimis exagerato, ab illis, quorum animos possident; reddant illis consultò plures infensos; quæcumque ab illis gesta, dictaue sedulò obseruent, vt aliquod illis, illorumq; Familijs, vel consanguineis, vel etiam amicis incommodum afferant &c. Quid si fieret, vt alicubi à nonnullis ex hoc hominũ genere prauę omninò doctrinæ, imò & hæreticę spargerentur semina; & tamen quidquam typis euulgare detrectarent Impressores, ne irritarent hoc hominum genus, periculo proprio, vel alieno docti, multis, grauibusq; obnoxios esse calamitatibus illos, qui imprimunt eorum genio haud conformia! Hisce malis, si præcognoscerentur futura, præseruans foret adhibenda medicina à Catholicis Viris, profectusque in literis

aliquam famę iacturam eo quod illi forent Doctiores, adeoque arbitrarentur, se minori in pretio habendos; *aut existimarent* illos fore, quasi Censores eorum, quæ ab ipsis dicerentur, aut docerentur.
45. *Diligentissimè caueatur*, ne veluti *Monopolium* quoddam apud aliquos instituatur literarum, ac scientiarum, ita vt qui quorumdam disciplinis non fuerint imbuti, vel non tradunt scientias, Artesque iuxta illorum præscriptum, licet sint Viri valde periti, & quandoque illis peritiores, propter talium hominum auctoritatem in minori habeantur pretio, eorũ docendi ratio vituperetur, persecutiones etiam acerrimas patiantur, à locis illis, in quibus multi eorum scientia æstimabatur, recedere cogantur &c. Quot enimuerò à literarum, scientiarumque ineundo, prosequendoque retardarentur studio, si penes solum quoddam hominum genus esset docendi munus! *Vtinam* nulli in id cõspirent. Vtile est etiam Oppidis, ac Ciuitatibus plures habere scholas, quibus diuersi Pręceptores, dummodo periti sint, præficiantur; *tum quia* penes vnum, aut alterum esset nimia discipulorum frequentia sæpissimè, quorum profectui non satis illi consulere possent; *tum quia* sic magis & docentium, & discentium alacritas fouetur; quisque enim Præceptor diligentiorem adhibet operam, vt sui auditores magis, quam alterius, proficiant, Discipuliq; ipsi sunt etiam magis de hoc solliciti; *tum quia* non in eumdem plane hominem, vel eiusdem conditionis viros animi propensionem habere queunt auditores; *tum quia* sic nonnullorum ambitio retunditur; necesse est enim, vt nimium tribuant sibi, qui se nemini comparant; *tum quia* id ad Ciuitatis, oppidiq; decus spectare videtur, sicuti etiam plures habere Ecclesias, plures Regulares Ordines &c. Præcauendum tamen à scandalis, quæ hinc importari queunt, cum dissensiones inter ipsos Professores, eorumque Auditores grauissimæ non rarò exoriantur: quæ vt euitentur, nec cæterorum etiam Ciuium tranquillitas perturbetur, expedit, imò necesse est sæpenumero, vt certis solum Professoribus docendi munus demandetur. Et per se quidem illi, qui in tali Prouincia, aut Ciuitate consueuerunt docere, in sua retinendi possessione, nec alij tamquam competitores, vt dicitur, multoq; minus eorum loco subrogandi, si illi munere suo cum laude fungantur, licet alij etiam melius illud exercere possent. *Neque facultates, quas nonnulli haberent*, omnes, & vbilibet docendi, semper suffragari possent: Nam *Primò* explorandum foret, An tales facultates fuissent obreptitię, vel subreptitię, aut concessę ab habentibus potestatem illas elargiendi pro talibus locis, Prouincijs &c. *Secundò* perpendendum, an illæ intelligendæ vniuersaliter, & pro omnibus planè locis &c. aliqua enim speciali, ac indiuidua indigent mentione. *Tertiò* indagandum, an illæ essent contra Ius aliquod

Tertij,

Tertij, cui nullus Principes derogare intelligitur, nisi id clarissimè exponat; *Quartò* per se nulla facultas, nullumq; Priuilegium intelligitur concessum contra publicum bonum, publicamq; Tranquillitatem &c. 46. *Ne ex præiudicato quodam affectu* erga aliquos, *vel sensu de illorum doctrina* foueantur solum ex certo personarum genere Studiosi, aut Professores, vel illi, qui sub horum fuerint disciplina; sed cuiuslibet cōditionis homines literati, ac scientifici debitis laudibus, premijs, ac honoribus efferantur. 47. *Ne multiplicentur nimis Scholæ, ac Preceptores*; fieret enim, vt inepti, vel parum idonei Scholis præficerentur; & hinc in illis, qui huiusmodi Professores audirent, imperitia: nec mirandum foret, si subsequentibus temporibus minùs præstantium siue in politioribus, siue in sublimioribus scientijs numerus reperiretur. *Pauca sint potiùs* Scholæ; eas moderentur Viri egregij. Imò magis expedit, vt vni, vel alteri Professori præcellenti statuta pluribus stipendia decernantur, quam plures parum periti illas regant. *Valde idonei Professoris* commodum præualere potest incommodis, quæ ex maiori auditorum numero, quàm ille sustinere posset, orirentur. 48. *Non sine diuturna, attentaque discussione* opinionum, librorumq; Censuræ ferantur; nec à priuatis quibusdam, & maximè illis, qui sua nimis amant, aut aliorum doctrinis sunt infensi, aut principatum in scientijs cupiunt &c. latæ à Viris prudentibus admittantur. Talium censurarum, licet immeritarum, timor, maximè si laboriosum postea foret eas abolere censuras, siue efficere, vt illæ retractarentur, retardare potest multos à multas in publicam proferendi lucem, quæ re vera scitu dignissima forent. 49. *Omni præcauendum opera*, ne aliqui eam sibi vindicent auctoritatem, vt Bibliopolæ, Impressoresq; librorum non audeant imprimere libros, in quibus reponantur nonnulla minùs *illorum voluntati consona*, *vel doctrinæ congrua*(supponitur in his haud tractari aduersātia Catholicæ fidei, vel Christianis moribus &c.) eò quod priuent illos consultò lucris nonnullis; vel etiam pœna aliqua afficiendos curent, ficto etiam alio prætextu, vel aliquo nimis exagerato, ab illis, quorum animos possident; reddant illis consultò plures infensos; quæcumque ab illis gesta, dictaue sedulò obseruent, vt aliquod illis, illorumq; Familijs, vel consanguineis, vel etiam amicis incommodum afferant &c. Quid si fieret, vt alicubi à nonnullis ex hoc hominū genere prauę omnino doctrinæ, imò & hæreticę spargerentur semina; & tamen quidquam typis euulgare detrectarent Impressores, ne irritarent hoc hominum genus, periculo proprio, vel alieno docti, multis, grauibusq; obnoxios esse calamitatibus illos, qui imprimunt eorum genio haud conformia! Hisce malis, si præcognoscerentur futura, præseruans foret adhibenda medicina à Catholicis Viris, profectusque in literis

amantibus. Legatur ad id *doctissimus P. D. Romanus Hay* in fine *Præfat. Aula Ecclesiastica &c.* ac *Horti Crusiani* anno 1648. impressi *Francofurti.* Vtinam nunquam fiat, vt Catholici Viri, & de Catholica Religione optimè meriti ex aliquorum inuidia, vel æmulatione, vel odio &c. cogantur mittere libros in Hæreticis Ciuitatibus imprimendos, eo quod in illis nonnulla habeantur effata nonnullorum sensibus aduersantia, adeoque Impressores in Catholicis Vrbibus degentes nolint illorum contra se excitare odium &c. Huiusmodi homines, si vnquam existerent, nonne potiùs, tanquam scientiarum osores à Viris, qui scientiarum fines propagare, vel saltem ab aliorum iniurijs eos tueri vellent, haberi possent? Certè, si ad hoc euitandum malum sedula non adhiberetur opera; præter alia, eaque grauia incommoda, quæ prudens quilibet secum reputare potest, minor Sapientum numerus existeret. 50. *Dignitates quædam*, nominatim *Ecclesiastica*, ac *ex Primarijs*; Munera quædam in *Ciuili Republica* honorificentissima nullatenus tribuantur nisi Viris, qui in aliqua illustres fuerint scientia; idque omninò inconcussum sit, nec in tali lege vnquam dispensetur; & qui præstantiores, cæteris præferantur, nulla per se maioris nobilitatis, aut vehementissimæ cuiuspiam commendationis, multoque minus cuiuslibet lucri ratione habita. Sint autem hi verè sapientes, ac scientifici; possunt enim *non pauci* esse nothi, adulterique, ac sophistæ; *plures* etiam scientiarum Principia non tenentes &c. Semper autem ita Viri sapientes, ac scientifici foueantur, vt semper tamen foueantur magis inter hos, qui verè pij sunt, hoc est, *homines Catholici, honestis imbuti moribus, Diuina nominatim seruantes mandata; modesti, sinceri, publici reuera amantes boni &c.* non detractores, non maligni, non inuidi, non superbi, non priuata appetentes commoda, non adulatores, non æquiuocationum amici, non falsarij, ac mendaces, non eos, quos semel odisse cæperunt, immortali prosequentes odio, non se cæteris præferentes, eo quod quędam in ipsis non appareant publicè tot carnalia vitia, licet spiritualibus redundent &c. Vt enim Reuerendissimus P. *Claudius Aquauiua* Præpositus Illustrissimæ *Societatis Iesu* Quintus in lib. Instruct. 10. Instruct. in fine nu. 4. habet: *Doctrina à Spiritu seiuncta & societati* (quod idem respectu cuiuslibet Religiosi Ordinis, ac Reipublicæ Ecclesiasticæ, ac Ciuilis, de quolibet priuato cuiusque conditionis sapiente asseri meritò potest) *proximisque magis obesse, quam prodesse; & Ecclesia Sancta nulli, aut perexiguo adiumento esse potest.*

Reuerendissimo Patri Magistro

IO: BAPTISTÆ MARINO

E Sacro Prædicatorum Ordine;

EMINENTISSIMORVM PRINCIPVM

Congregationis.

Librorum INDICI Præpositæ

A Secretis;

Viro Pietate, Scientia,

Nobilitate, Prudentiaque

Præstantissimo;

Animaduersiones Quinquaginta

PRO ILLO QVI LIBROS SCRIBIT

AC EVVLGAT

IVLIVS CLEMENS SCOTVS

Comes Placentinus

Suæ in illum Beneuolentiæ,

Et Obseruantiæ

Argumentum

D. D. D.

Caput Quintum.

1 PErpendat attentè, an sibi *bonorum omnium largitor Deus* talentum ad Librorum scriptionem concesserit; *Aliqui* enim eximiam obtinuere facultatem ad explicandos voce animi sui sensus, quos mutis caracteribus vix indicare queunt, vel adeò obscurè indicant, vt Viri etiam in ea disciplina, in qua aliqui scribunt, versatissimi, post repetitam lectionem asserant ingenuè, haud posse haberi exploratum, quid illi in scriptis sentiant: *Alij* è contra lenti sunt lingua, ac in theatro, siue publicè nec quatuor verba (vt vulgo fertur) proferre norunt, siue queunt, qui tamen in scribendo valde excellunt, paucissimosque sibi habent pares. Cum vnusquisque iuxta *talentum* sibi à Deo *datum operari* debeat, *aliaque eodem lucrari*; si quis ad conscribendos libros talentum habeat, illo vtatur, atq; maximi à Deo beneficij loco reponat, cum hinc summos honores, immortalemq; sui nominis memoriam consequi possit; adeo que gratias ingentes, ac sæpissimè illi de huiusmodi beneficio agat; coramq; illo profiteatur quotidie, se illo abusurum nunquam, eò quod statuerit, nihil vnquam scribere, quod Diuinis placitis aduersari cognouerit. A Peritis verò, seque amantibus *intelligat*, an illud obtinuerit, scriptis à se illis fideliter traditis; cum de hoc dubitaret &c. 2. *Animaduertat sedulò*, cum quis libros publici facit iuris, æternæ famæ, vel infamiæ semet exponere; caueatque, ne illos imitetur, qui ad hoc, vt nomen suum cęteroqui obliuionis tegendum tenebris in posteritatis luce vigeret, scelera patrarunt atrocissima. Multi sunt enimuerò qui post librorum editionem in minori sunt habiti pretio. *Paucis ab hinc mensibus* editus est in Vrbe quadam primaria liber à Viro, qui Secularis inter Iuuenes ingeniosissimos (dabatur multum ætati, nobilitati, & aspectui) habebatur, & Regulari postea militiæ adscriptus, eo quod spem summæ cuiusdam Dignitatis consequendæ abiecerat, à Principe quodam supremo e sua relegatus curia, quia in consiliorum partem venisset minùs huic Principi, à quo mirificè amabatur, gratorum; suffragantibus potissimum Familiæ dotibus ad Superiores Facultates pręlegendas euectus; & ex hoc munere remotus, quod alijs ætate, meritis, ac forsan ingenio anterioribus debebatur priùs; *partim quia* illud sine vllo ferme plausu, imò cum multorum męrore, minoriq; profectu obiuit; *partim quia* in scribendis libris maiores, quam in pręlegendo, laudes assecuturus videbatur; *editus est*, inquam, *Liber* Mendacijs, Falsitatibus, Calumnijs, Sophismatibus, Adulationibus apertissimis &c. refertus: in quo nec de sua ingenij tenuitate certus (altè tamen de suis sentit, aliorum e suis etiam doctrinas non approbat, his communiter parum gratus, vtpote nō affabilis, ac veluti indignans eorū colloquiū, atque minus eos etiam commendans &c.) audet contendere

de

de pręcipuis, quę in certi Auctoris libris legebantur, quibus omnino par erat responsum afferre, si partes suas explere voluisset; in hoc solum intentus, vt vndiq; calumnias Auctori illi struat, detractiones congerat, illius ingenium, doctrinamq; à multis quoque e suis, quorum scientias in Cœlum effert, mir ficè commendatam extenuet. Liber ille (præterquam ex alijs, qui de eadem materia, licet sub diuerso titulo, scripserunt, magna ex parte collectus est) Solecismis, Barbarismis, Archaismis, Neoterismis, Idiotismis, Obscurissimisq; sensibus redundat; quæ omnia meritò Typographorum incuriæ haud tribuenda sunt, quando maximè solæcismos, qui in illius Auctoris libros, quorum impressioni non fuit ipse præsens, irrepserunt, quorum tamen Indicem statim scripsit, vt multis est notum, haud typographis, sed illius imperitiæ, vt pote illi infensissimus, ipse etiam adscribit. *Multus est hic* in probando, quod ad librorum publicationem satis sit, quod mediocritatem in suo genere superet; quam tamen non attigisse, ne dum mediocriter superasse libros hactenus ab illo editos, qui vel nullatenus, vel leuissime à Viris doctioribus sunt commendati, peritiores norunt. Suo magis honori prospexisset ille, si in cella reclusus, *Meditationes*, *Animaduersionesque* in sui Ordinis Constitutiones scripsisset, & ea quæ ipsius Supremi Præsides circa linguę Vitium à suis exterminandum, maximè si non paucos huiusmodi grauissimo obnoxios esse vitio affirmassent, attēdisset nominatim; illisque, vt par erat, se præbuisset obsequentem, ne sibi Cælum obstrueret &c. 3. *Animaduertat*, libros complures à paucissimis lectos in Bibliothecis, alijsque locis puluere grandi coopertos iacere; plurimos vilissimo vendi pretio illis, qui vendunt farcimina, legumina, pisces Sale conditos &c. non paucos esse vsui tantum ad cooperiendos, alligandosque simul libros alios; aliquos sordidis etiam vsibus inseruire &c. Quare videat, ne præter laborem, sumptusque huiusmodi ignominiæ semet siue viuentem, siue etiam mortuum exponat. 4. *Æstimet* secum, cum quis librum edit, se omnium oculis, examini, atq; iudicio exponere, ac existimare vnumquemque sibi licere, sensum suum liberè exponere; multos esse *Criticos*, & qui in hoc vnum maximè incumbunt, vt sint obseruatores, accusatoresq; erratorum, quæ in libris, quos euoluunt diligentissimè, deprehendunt; multos etiam imperitos iudicium suum circa libros, quos vix intelligunt, interponere. *Si autem Fama* in scientijs aliqua iam clarus sit, *æstimet præterea*; se multos habere inuidos, ac æmulos, qui voculam quamcumque accurato examini subijcient, omnemque dabunt operam, vt in aliquibus ipsum accusare queant, ambiguisq; verbis peiorem tribuent sensum: Ac euenisse quandoque, vt ex odio, siue æmulatione in libri nonnullius Auctorem euulgarint quidam

(teterri-

(teterrimum detractionis crimen hoc fuit, per se non expiandum, nisi restitutione famę) opiniones aliquas reponi in libro illo, quę re vera haud reponebantur, Sed contrarię potius; & hinc multa Auctori incommoda inferre fuerint conati: & licet veritas postea deprehensa fuerit, antequam tamen hæc innotesceret, grauibus periculis illum fuisse expositum; nec potuisse postea, veritate etiam patefacta, Magnatis illius animum, quem contra Auctorem æmuli irritauerant, illi omninò conciliari, ne videretur minùs prudenter maleuolorum vocibus adhęsisse. *Exaggerari* etiam à maleuolis, inuidisque possunt mala, quæ ex alicuius libri lectione promanare queunt; non integrè, & cum omnibus circumstantijs referri opiniones in libro descriptę &c. Quare dispiciendum à Viro, qui ęmulos, & magnę auctoritatis habet, an libros edere sibi expediat. *Intelligat tamen* is, qui re ipsa ad id idoneus est, haud esse hominis magnanimi, ingenui, ac liberaliter educati propter aduersariorum multitudinem, potentiamque à scribendis libris desistere; Quid enim ęmulis gratius esse poterit, quam ne ipse nomen posteritati commendet? Quidni se illius acerrimos profiteantur censores, eo quod hac laude ipsum priuare consulto velint? Aduersarij etiam maiorem conciliare queunt auctoritatem libris, quando in Auctorem maligni cognoscantur, & hinc etiam plures ad eos euoluendos allicere. Existimet id ille potius summum Dei beneficium, cum maior attentio, accuratiusq; examen eorum, quę scribit, ab ipso subeundum sit; adeoq; ingenij nobiliorem fœtum, & diuturniorem etiam in hominum memoria emittere cogetur, quam si tales non haberet ęmulos.

5. *Operam adhibeat*, si ingenij vires suppetunt, vt numerari potius possit inter Auctores, quã Rescriptores, siue illos, quorum primarius labor est in colligendis illis, quę in Auctoribus, scriptoribusque ipso antiquioribus reperiuntur, non nisi ordinem quemdam, vel quid simile suomet ingenio addentes, aut etiam Rhetorum more quędam ab alijs breuiter indicata multis exaggerantes &c. *Hi librum e libro scribere* dicuntur. *Auctor* enimuerò erit; *si noua* quędam Principia suo excogitauerit Marte in scientijs illis, quę nouitatem admittere queunt, eaque saltem probabiliter suadeat; si e *Principijs antiquis* nouas conclusiones, siue effata noua deducat; *Si ex aliorum Principijs* siue euidentibus, siue Probabilibus inexcogitatas, recentiumque occurrentium quęstionum solutiones aptas, vel aptiores antiquarum eruat; *si ex aliquibus* iam admissis ad alia probabiliter saltem arguat; *si rationibus nouis*, sed probantibus, antiquas stabiliat magis conclusiones; *si indicata breuiter*, aut leuiter ab alijs, latius explicet, aut efficaciter probet; *si nouas quæstiones* nonnullas, verùm alicuius ponderis excitet, easque sedulò examinet &c. Non est autem neces-

ſe, ad Auctoris nomen ſibi iure vindicandum, vt omnia plane in libro, quem ſcribit, ſint ab ipſo excogitata, aut quæ in alio Auctore non reperiantur; ſecus enim nullus fermè poſſet Auctoris nomine decorari; Satis eſt, vt plurima, vel multa, imò etiam aliqua: Vnius certè Opinionis tantummodo aliquis Auctor dicitur, ideoque illa *Singularis* appellatur. Veriſſimum quidem eſt, quò quis plura e ſuo depromit ingenio, eò aptius Auctorem nominari. Si illa haud polleat ingenij præſtantia, vt Auctor eſſe non poſſit, ſaltem ſit ex illis, qui cum mira literatorum vtilitate multa ex alijs reſcribunt, & coacervant. Quis enim inficiari poteſt, non deberi multum illis, qui *Calepinum*, ſiue *Theſaurum*, ſiue *Promptuarium Latinæ linguæ, Nizolium, Lexicon Græcum, Theologicum, Sacræ Scripturæ, Iuris Canonici, ac Ciuilis*, ſimileſque libros, ac nominatim *antiquam exhibentes eruditionem*, conſcripſerunt? Ex huiuſmodi quidem laboribus factum eſt, vt ſubſequntes maiori cum fructu, minorique temporis diſpendio, Artium, Scientiarumq; Arcana peruadere potuerint. 6. *Secum deliberet*, de quanam Scientia, ac Materia conſcribendus ſibi ſit liber; De nulla autem ordiatur ſcriptionem, in qua valde non ſit verſatus, vt qui Scholaſticum, in cognitione Scripturæ, Conciliorum, Patrum &c. Qui *Moralem* Theologum, in 2. 2. & Iure Canonico, ac Ciuili; Qui Philoſophicum, ſiue *Phyſicum*, in experimentis &c. Huius Libri ſibi primo Idæam formet, ac diuiſionem; Cum autem euenire poſſit facillime, vt in multò plura Capita tribuendus ſit liber, longe plura explicanda, quam ipſe præcogitauerat; nam ipſa ſcriptio noua ſuggerit argumenta, nouos excitat ſenſus attentius quoque perpendendos: ipſe dum librum ſcribit, in pagella, aut libello breuiter adnotet illa, quæ ſibi ſcribenti occurrunt, tunc haud opportuna, poſt eorum meditationem ſuis inſerenda locis, aut etiam reijcienda, ſi apta non cenſuerit. 7. *Videat*, An expediat magis, *Quæſtiones omnes ad aliquam ſcientiam*, vel *materiam ſpectantes* in ſuo reponere libro, an ſolum *ſpeciales aliquas diligentius examinare*. Id certè vtilius videri poſset, magiſque commendabile, pręcipuè ſi aliqua peculiaris quęſtio ab alijs non ſit peculiariter examinata, vel non ſatis diſcuſſa. Eſt verum quidem, quod quæſtio nulla ita diligenter diſcuti poſſit, quin aliæ plures ſæpe ſint indicandę, aut etiam examinandę; quod tamen breuiter fieri poteſt. 8. *Ita diuidat quæſtionem*, materiamue tractandam, vt plura capita, membraue, ſiue lectiones &c. comprehendat; frequens enim huiuſmodi diſtinctio maiorem affert claritatem, magiſque ad euoluendos libros allicere conſueuit. 9. *Non ſit propenſus ad multorum* editionem librorum; pauciores potiùs conſcribat ſolidioris doctrinæ, & à quorum ſingulis immortalem ſit conſecuturus famam. 10. *Ne ſit ex illorum* numero, qui omnes fer-

me

me ſcientiæ, artiſque neruos exerunt in conſcribendis libris, quos primò edere volunt; Sepe enim ſubſequentes non videntur ab eodem ſcripti Auctore. *Par eßet*, vt ſubcreſcente ſcriptoris ætate, ac diuturniori tempore in ſtudium illo incumbente eruditiores, acutiores, ſolidiores, doctiores &c. anterioribus ſemper euulgarentur libri. Præſtant il'ud Auctores aliquando ad famam ſibi primò conciliandam; quam vbi ſatis ſibi comparauerint, putant ſubſequentes facile coemendos ex præiudicata iam de illorum opinione ſapientia. 11. *Ne praeceps ſit* in conſcribendo, edendoq; libro; *Attendat* diligentiſſimè quæ ſcribit; *iterum, iterumque* recognoſcat addat, demat, & quæ integri menſis, vel anni etiam ſpatio ſcripſit, deleat, igniq; tradat, quando deprehendit minùs ſapienter ſcripſiſſe. Iuuat poſt menſes, imò & annos quandoque iam à ſe ſcripta ad editionem recognoſcere; *tum quia* multa ſubſequens tempus ſuggerere potuit neceſſariò addenda, vel demenda, aut etiam nonnulla, quibus additis, ſiue demptis maiorem reportaturus ſit Auctor laudem; *tum quia* ſic veluti maturior euadet doctrina; & cum non tanta animi propenſione in ſua feratur Auctor in illa, quæ olim ſcripſit, qua in illa, quæ modò ſcribit (*ſolent enim nobis ſcripta noſtra*, tanquam recentes fœtus blandiri) ſi poſt menſem, vel annum à ſe ſcripta Auctori arrideant, rectæ ſcriptionis argumentum eſſe ſolet. Compertum eſt nonnullos, ſi à ſe ſcripta recognouiſſent, pluresq; feciſſent lituras, nec auidi fuiſſent multorum euulgationis librorum, magnam laudem, vel ſaltem maiorem conſecuturos fuiſſe. 12. *Iuuat quam maximè* iterum reſcribere ea, quæ aliquis iam ſcripſit; illa enim reſcriptio noua, ac præclara menti ſæpe ſuggerit, efficitque vt clarius quædam proponantur, faciliùs inſerantur addenda, reijcianturque demenda; frequens enim liturarum aſpectus deterret interdum vel ipſum ſcriptorem à nouis, & quandoque valde opportunis. *Aduertat tamen*, ſe peccare etiam poſſe interdum non in nimia tantummodo cultura, verum etiam in emendatione ipſa. Scriptis libris omnibus accomodari poſſunt, quæ *Quintil. lib.* 10. *c.*4. circa ſcriptam orationem præcepit. *Et ipſa emendatio finem habet*; ſunt enim qui ad omnia ſcripta, tanquam vitioſa redeant, & quaſi *nihil fas ſit rectum eſſe, quod primum eſt*, melius exiſtiment, quicquid eſt aliud; idque faciunt, quoties librum in manus reſumpſerunt *ſimiles Medicis etiam integra ſecantibus Accidit itaq; vt cicatricoſa ſint, & exanguia, & cura peiora; ſit igitur aliquando, quod placeat, aut certè quod ſufficiat, vt opus poliat lima, non exterat.* 13. *In ſcribendo* aliquã paginæ partẽ Vacuã relinquat, in qua libera ſit adijciendi facultas; nam interim pigritiam emendandi anguſtiæ faciunt, aut certè nouorum interpoſitione priora confundunt, vt animaduertit idem *Quintil. lib.* 10. *c.* 3. qui prudenter etiam monet, ne latum

ſit vltra modum huiuſmodi ſpatium; *expertus, ait, Iuuenem ſtudioſum* alioqui, prælongos habuiſſe ſermones, quia illos numero verſuum metiebatur; *idque vitium*, quod frequenti admonitione corrigi non poterat, *mutatis codicibus eſſe ſublatum*. Adſit etiam pagina, vel libellus, in quo notentur, quæ ſcribentibus ſolent extra ordinem occurrere. *Irrumpunt enim (ſub ſit id) optimi nonnunquam ſenſus, quos neque inſerere oportet, neque differre tutum eſt, quia interim elabiuntur, interim memoriæ ſuæ intentos ab alia inuentione declinant, ideoque optimè ſunt* in depoſito. 14. *Quamuis* ſoleant nonnulli omne quod ſcribunt, antea ſedulò præmeditari, ne lituras faciant, cogantúrq; ſcripta reſcribere; vtilius tamen eſt ſæpiſſimè calamo præeuntem proſequi intellectum, occurrenteſque tunc animi ſenſus caracteribus explicare, licet verbis non adeò congruis, nam ſæpè illi auolant, dum hæ exquiſitiores indagantur: Vbi ille animi impetus, ſiue afflatus quidam e Cælo delapſus ad ſcribendum deferbuerit, limari oratio poterit. Monet quidem Quintil. lib. 10. c. 3. *Ab initio ſic opus ducere, vt cælandum, non ex integro fabricandum ſit.* Hinc obſeruanda tempora, in quibus Auctor maiorem, ſiue vehementem ad ſcribendum propenſionem, alacritatemq; percipit; Nam tunc ſcriptio incunda, ac proſequenda; Cum verò hanc non percipit, ſed potius ſegnitiem quamdam, mentiſque hebetudinem, ab eadem ſe retrahat. 15. *Cum neceſſitas* re vera vrget breui librum aliquem ſcribendi, ac edendi, qui habilis eſt, in *Domino confidens, tutelarémq; Sanctorum implorans Opem*, opus aggrediatur; Experientia non ſemel docuit, a nonnullis neceſſitate preſſis breuiſſimo temporis decurſu libros fuiſſe ſcriptos, typiſq; commendatos ab omnibus non æmulis Sapientibus mirificè commendatos, quos longiori forſitan ſtudio non ſcripſiſſent; imò & ipſi Scriptores aliquando mirati ſunt, quod talia ex ingenio ſuo tunc deprompſerint. 16. *Libri*, qui *Ingenij acumen exigunt* potiſſimè, ac *Methaphyſicas ſubtilitates* exponunt, quales ſunt plurimi modo Philoſophici, ac Theologici, ab homine, qui *Virilem attigerit ætatem*, ſcribantur: Qui verò *experientiam, praximque*, ac *prudentiam* petunt, vt ſunt plures Politici, Morales tum Philoſophici, tum Theologici, proponenteſq; Theologicas primarias quæſtiones, hoc eſt, poſtulantes cognitionem S. Scripturæ, Patrum, Conciliorum &c. Iuriſque Canonici, & Ciuilis controuerſias, a Viro in *maturiori ætate* ſcribendi, euulgandique. Libri *eruditionem* continentes, ac ſimiles, qui *plurimam* ſolùm, aut præcipuè ſaltem aliorum *librorum lectionem* petunt, a Viris potiſſimum, qui *mediocri ſunt ingenio, laboris* tamen amantiſſimi, conſcribantur. Qui verò *mentis perſpicaciam, attentamq; diſcuſſionem* a Viris *ingenio præſtantibus*. 17. *Eiuſdem libri* ſcriptionem proſequatur Auctor; non verò huius modò, modò alteriùs ſcriptioni operam

 det;

dee; hinc enim rerum imagines perturbari solent. Conducit tamen aliquãdo eam intermittere, ne nimis iidem fatigentur spiritus, nouiq; alacriores excitentur. 18. *Cum Auctor habet solum selecta quædam* in Theologicis, Philosophicis, Mathematicis &c. & in plerisque cum alijs conuenit, expedire videtur, vt euulget tantummodò selectas, ac peculiares illas Quæstiones, recentem illam, & à se excogitatam doctrinam &c. non verò edat Librum Vniuersas Philosophiæ, Theologiæ &c. quæstiones comprehendentem; vel saltem non nisi breuissimè illas indicet. Ad quid enim omnimoda hęc ex alijs trãscriptio? 19. *Librum scribens scientificum* initio libri, aut cuiusque capitis &c. Principia proponat, quibus tanquam basibus omnis sua subsequens innititur doctrina; eaq; sint vel *Certa*, vel *Euidentia*, vel saltem *Probabilia*; multa enim patere possunt probabiliter facta terminorum explicatione: sufficit autem in plurimis probabiliter procedere, cum paucissimę extra Mathematicas pręsertim Disciplinas inueniantur Demonstrationes simpliciter in libris hactenus editis. *Laudabiliora per se videntur illa Principia*, quæ magis facilè veritates, rerumq; naturas, Physicosque effectus declarant. 20. *Nitatur claro*, non *obscuro scribere stilo*; potiusque velit à Grammaticis reprehendi, quam librum conscribere scientificum, ad cuius intelligentiam sæpenumerò Calepinus, aut Thesaurus Latinę, aut Grę̨cę linguæ, similisque adhibendus sit. Signum est, perfectè ab illo scientiam aliquam possideri, cum illius effata, maximè reconditiora, clarè explicat. Non est tamen necesse, vt ita dilucide animi sui sensus manifestet, vt illi idiotę cuique, aut infimo ingenio pateant; nam non intelligentia multorum ex ingenij legentium imbecillitate non raro oriri potest. 21. *Voces adhibeat* communiter, aut magis communiter ab illis, qui eam profitentur Artem, aut Scientiam, vsurpatas; ac in terminorum acceptione cum ijsdem conueniat; nec laboris in scribendo libro impensi fructum esse velit de Nominibus Quæstiones. Diuersas quidem eiusdem vocis significationes sępe necessarium erit indicare: Erit tamen opus quoque, in qua à se sumatur, exponere; difficultatisque nodum in re ipsa, non in Voce repositum, declarare. *Hinc quoque* non ludat in Vocibus, varias vsurpando, aut etiam excogitando Synonimas, quę intellectui haud nouam impertiunt lucem, sed eas de intellectui tenebras relinquunt. 22. *Paucis potius*, quam *multis*, ac more oratorio (nisi orationes conscribat) suos animi sensus proponat; *Tum quia* multiplicatis frustra Verbis grandior editur liber, maioresque adeò sumptus in illo edendo, emendoque faciendi, ex quo retrahi possunt multi ab eo emendo, imo & legendo; *Tum quia* ex inani Verborum multiplicatione obscurior redditur sensus. Non ita tamen breuibus vtatur, vt obscura verè libri lectio reddatur. *Et*

quidem Auctoris *Breuitas* laudabilis est; Qui *nihil extra propositam quæstionem dicit*; Qui *recidit omnia, quibus sublatis nec cognitioni quidquam, nec vtilitati detrahitur*; Qui, *dum pauca sufficiunt Verba, non vtitur multis.* Non erit longus Auctor, *Qui nulla scribit, quæ demi possint*; Si *materia immoretur*; Si *plura adhibet verba*, cum *opus fuerit.* Præuaricatio potius Auctoris erit, *transire dicenda*; *cursim, ac leuiter attingere, quæ* latius scribenda sunt. Prudentior erit, si aliqua potius superesse, quam deesse velit; Nam *Superuacua cum tædio dicuntur*, siue leguntur, *Necessaria* cum periculo subtrahuntur, vt habet *Quintil. lib.* 4 *c.* 2. quibus consona *lib.* 12. *c.* 8. protulit, *Non tam obest audire*, siue legere, *superuacua*, quam *ignorare necessaria*. Laborandum, vt mediocris saltem ingenij lector in tali versatus materia, eorum quæ scribuntur, sensum assequatur: Cuius rei periculum facere ipsemet scriptor poterit. Maior quidem Breuitas in scriptione libri per se requiritur, quam in ijs, quæ voce explicantur; nam hæc præteruolant, multaq; perturbare attentionem queunt; cum tamen libro cōsignata iterum, sæpiusq; euolui possint, nec mens vagandi toties occasionem habere soleat. 23. *Caueat*, ne dum plures edit libros, in aliquibus reponat multa, quæ in alijs iam euulgatis reposuit; si opus fuerit, afferat potius, consulendum se ipsum alibi talia copiosius tractantem, breuiter indicato libro, ac loco, in quo talia leguntur, vel ad summum breuissimè indicet rationem, alibi vberius explicatam. *Multò magis caueat*, ne minùs consequenter in illis, quæ postremo scribit loco, loquatur; Quare à se quandoque edita perlegat; connexionemque cum iam dictis (nisi illa deprehenderit minùs veritati conformia, aut falsa) acerrimè prosequatur. 24. *Animaduertat*, ne dum Mathematicos, vel Philosophicos conscribit libros, Theologicas plane quæstiones agitet, & dum Theologicos conscribit, ne Philosophicas plane: *In quo à non paucis erratur*; nam ingentia quædam volumina inscribuntur *Theologica*, & tamen vt plurimum quæstiones Philosophicas latissimè etiam examinatas continent; & in *Cursibus nonnullis Philosophicis* prælo mandatis leguntur difficillimæ etiam Theologicæ controuersiæ ibi traditæ latissimè. Suos quæque scientia habet fines; intra quos se continere *periti* Scriptoris erit. Christianus tamen Philosophus Scriptor laudabiliter facit, si propositis sensibus Philosophorum fidei Christianæ repugnantibus, quid re vera sentiendum sit à Christiano, qui vera velit imbui Philosophia, pronunciet; simulque responsum afferat rationibus, quæ à quocumq; afferrentur contra fidei Dogmata, eaq; non infirmare, sed confirmare potius conetur (& in multis quidem conatus non erit irritus) rationibus naturali lumine petitis. Et Theologus quidem scriptor, licet primariò in suis conclusionibus supernaturali lumini debeat inniti, ratio-

nes

nes tamen naturales, si quæ sunt, vel euidentes, vel probabiles, non solùm non respuat, verùm etiam ad easdem confirmandas adhibeat; A Sophisticis tamen abstineat semper. *Est verum quidem*, sicuti Philosophica per se non probanda sunt ex ijs, quæ e lumine tantùm supernaturali habētur; sic nec Theologica per se probanda ex illis, quę lumine tantùm naturali habentur. 25. *Erit commendabile*, vt Scriptor quilibet *ingenuè* fateatur, quæ ab alijs acceperit, & per quos profecerit, manifestet; id enim gratus quoque animus petere videtur; quamuis à Sanctissimis quoque, ne dum doctissimis Viris, id vt plurimum saltem, fuerit omissum. *Non erit* quidem *Furacitatis* arguendus, qui aliqua ex alijs transcribit, cum hæc omnibus pateant, & maximè si necesse sit, vt ab eodem fonte omnes eandem, vel similem sapientiæ aquam hauriant; secus enim plerique scriptores celeberrimi, tanquam *Fures*, accusandi forent. Ad leuissimam tamen quamcumque *Furacitatis* notam subterfugiendam, satis erit initio libri, vel capitis &c. indicare Auctores, qui de tali scripserint materia &c. 26. *Par est*, vt Scriptor nullum afferat Auctorem pro sua, vel contraria sententia, quem ipse non legerit, illiusq; sensum diligenter explorauerit; non raró enim fit, vt Auctor, qui pro aliqua affertur sententia, stet potius pro contraria, vel etiam de tali quæstione locutus non fuerit; *Expedit* autem *pauciores* afferre, quos re vera ipse legerit, ita vt librum legens recentem tutus foret de fidelitate circa Auctores, opportunumq; erit valde id libri initio innuere, alios, quos non legerit, afferens afferri à talibus Auctoribus &c. Exactè autem *notet locum*, in quo talia Auctor scripserit, vt facile occurrere possit librum lecturo; illumque afferat in proprio Auctoris idiomate, tum ad maiorem peritorum intelligentiam, tum ad maiorem legentium securitatem. *Iniquum* verò foret asserere, nullum alicubi, vel ex illustribus scriptoribus nullum opinionem aliquam tueri, vel ex improfesso impugnare dignari, experientia ipsamet aduersante, & pręcipuè si hęc esset celeberrimi iam Doctoris, ac in Scholis celeberrima. Hę voces nonne aperta essent argumenta liuoris, odij &c.? 27. *Non sit nimius in citandis Auctoribus*, maximè dum Philosophicos, vel Mathematicos conscribit libros: Nam hi rationibus potissimum stabiliri debent. In Moralibus materijs illi frequentius vsurpari queunt. *Haud aliqui sunt* digni, qui afferantur, cum puri sint transcriptores, nec illa ingenij facultate sint præditi, vt secernere possint verum a falso, probabilem opinionem a certa &c. *Sed tanquam pecudes ouem praeuntem* sequantur. *Auctorum grauitas*, non *numerus* apud Scriptorem vim habeat. Plures iam a nonnullis annis eduntur libri, ac in dies eduntur, à quibus si auferantur citationes Auctorum (qui sæpè nec fideliter referuntur) paucula legi possunt, quæ sint viro perito

digna,

digna, & tamen caro pretio emendi sunt, cum sint ingentia volumina. 28. *Ne imitetur* illos, qui *Manuscripta* ab alijs, quæ in vetustissimis Bibliothecis asseruantur quandoq; arripiunt, vel caro etiam pretio emunt ab illis, quos norint illa custodire, illaq; deinde suo, vel alieno nomine curant edenda. *Furti* quidem hæc species est, præter alias notas, quæ ab ingenuo Viro aliena esse debet. Aliquorum furtum iam est deprehensum; aliorumque etiam deprehendetur. *Diuino nutu fit*, vt ab alia eorumdem Auctorũ antiqua exemplaria occurrerint. Quid si nonnulli libros legendi prohibitos facultate vsi, vel intenti, vt qui in remotissimis regionibus scribuntur, aut eduntur libri ad se deferantur, prędariores seligant, eos solum nonnullis additis, aut demptis, aut leuiter immutatis, aut alteri linguę donatos, aut ex illis selectiora tuo, suorumq; nomine publicarent? Hi quidem suorum scriptorum multitudinem prędicare possent. 29. *Nec insistat illorum vestigijs*, qui libris suis speciosos quosdam, insolitosue Titulos apponunt, ad hoc vt facilius illi emantur; ab huiusmodi enim titulis alliciuntur sæpè incauti homines ad illorum emptionem; deprehendunt autem postea huiusmodi titulis Libri scriptionem non respondere, imò & sępè, libros hosce nihil speciosi pręter titulum habere. *Vinum bonum hedera indigere* non solet. 30. *Dum viuit Auctor*, libros à se conscriptos curet edendos; in posthumis enim interdum adduntur aliqua, vel demuntur contra Auctoris mentem; & ad opinionibus proprię fauentibus Potestati, vel suis sensibus auctoritatem cõciliandam, vel maiorem cõparandam, Scriptoris, qui fuerit Viuens in maximo habitus pretio auctoritate, abuti queunt Sagaces, ac Politici homines. *Legimus* nonnullos in Scientia, ac Arte nonnulla pręstantissimos iussisse, cum de illorum vita actum esset, vt post mortem suam libros à se conscriptos amici, vel hęredes flammis deuouerent: Quod non tamen semper executioni mandatum. Præstiterunt illi; quia sibi adhuc non videbantur libri exactè perpoliti, minusque perfecti &c. Consultum foret aliquibus, cum desperata foret eorum salus, velle omninò, vt se pręsentibus igni traderentur libri, quos ipsimet euulgare non potuerunt, etiamsi forent vndequaque perfecti, si rationabiliter de posterorum, vel aliorum, penes quos foret postea talium librorum potestas, infidelitate (quam etiam malitiose occultare queunt, vt aliquas euulgando quęstiones imperfectas &c.) in eorum impressione dubitarent, vel existimarent quoque alieno vulgandos nomine. 31. *Non omittat libri*, quem scribit dedicationem; cum enim Vir sapiens debeat esse *gratus* maximè, sępissimè nulla grati animi erga Viros de se optimè meritos exhibere potest, nisi illorum nomen, beneficiaque accepta immortalitati in libris, quos scribit, consecret. *Vtilis* etiam potest librorum dedicatio ad alliciendos Pri-

marios

marios maximè Viros ad benemerendum de Sapientibus Viris; in quos dum beneficia conferunt, rem agunt Deo gratam, publicoque bono valde proficuam. Nec indignum est Viro sapiente tali medio, si necessaria ad congruam sibi, suisque sustentationem non habeat; curare sui, suorumq; leuamen; niti quoque suos amplificare redditus, maximè si hosce soleat, vel statuerit in publicum impendere commodum; Dignitates etiam, ac Honores, quibus ipse dignus sit, & qui à studio reuocare non possit, quærere: imò posset de huiusmodi dedicationis omissione in his, similibusq; circumstantijs corā Deo argui, ac peccare interdum, cum in ipsius manu sit tale adhæc adiumentum à Diuina Prouidentia sibi donatum. Nunquam quidem libros Scriptor prudens inscribat nomine *Magnatum* illorum, qui *omnia sibi deberi putant*; multoq; minùs eorum, qui scientias quasi odio prosequuntur, vt pote illarum omninò expertes, vel vitijs nominatim *Gulæ*, ac *Luxuriæ* detenti. Huiusmodi etiam Magnates haud æquum est, vt Vir sapiens se hoc publico testimonio declaret se habere in pretio, vel eorum nomen bonæ famæ immortalitati consecret. Publico bono perniciosi forent illi, qui Magnatum, qui essent malis imbuti moribus, siue qui improbam simpliciter vitam, ac indignam gradu, quem in Republica siue Ecclesiastica, siue Ciuili obtinent, ducerent, ac ducere existimarentur, licet aliqua præditi essent virtute (nemo autem ita vituperabilis est, vt non sit in aliquo commendabilis, & è contra) nomine Libros suos cohonestare vellent, laudes illorum commemorantes, vel exaggerantes; huiusmodi enim Principes Viri sibi facilè suaderent mores suos esse laudabiles, laxarentque vitijs habenas, ex eo quod prauis dictis, factisque suis non sibi ex infamia apud posteros metuerent, satisq; iudicarent ad famam prauis suis facinoribus comparandam, si aliqua nonnullis Scriptoribus donarent, se in illos valde beneuolos exhiberent &c. *Adulatorum huiusmodi* Scriptorum, & qui Rhetorica arte abuterentur ad improborum laudes, ac proborum vituperationes, ambasque exaggerandas, falsitatibus etiam, mendacijsque, genus meritò e terrarum orbe exterminandum foret. *Ad hæc*; Quid premij Scriptor expectare potest ab illis, qui toti videntur esse in alēdis Histrionibus, Mimis, Parasitis, alijsq; hominum huiusmodi generibus? *Licet Magnates*, qui nec Deum timent, nec moribus moralem vitam viuente homine dignis sunt exculti, copiosissima sibi munera elargiri vellent, vt ipsos in scriptione sua commendaret, ac tanquam probos prædicaret; *Magnanimus Scriptor* eorum cupiditatibus non obsecundet. 32. *Videat*, Tum ne ab *adulterina* quadam *pietate* ad conscribendos in aliquorum fauorem libros alliciatur; *Recordetur*, nihil posse *Pium* esse, quod *simul Verum* non sit, & vbi innotescit *maior Veritas*, ibi quoque maiorem inesse *Pietatem*;

tem; adeoq; caueat, ne ſub pietatis ſpecie vllum Iuri Diuino, aut Naturali typorum luci expoſitæ Opiniones afferant præiudicium: Tum ne ſub *alicuius publici boni*, quod facilè fingi, ac excogitari poteſt, prętextu ad vllam iniuriam priuatis hominibus inferendam per ſuas opiniones inducat, *Memor* Iuſtitiam cuique hominum generi exhibendam: Tum ne aliquo præmio, vel metu ductus *Sophiſticas* opiniones, tanquam probabiles; *Probabiles*, tanquam certas, aut euidentes; *Vix Probabiles*, tanquam Probabiliores, euulget & maximè contra proprium ſenſum; *Animo* reuoluens, hinc ea inferri poſſe in Chriſtianam Rempublicam Vniuerſam mala, quæ repellere in ſolius Dei poteſtate foret; ac Iuſto Dei Iudicio fieri poſſe, vt qui ab adulatione, auaritia, exemptionum obtinendarum cupiditate, alijſq; ſimilibus cauſis impulſi re ipſa humanis, licet pietatis ſpecie coloratis, aliquorum Poteſtatem, Auctoritatemque, Voce, ſcriptis, libriſque amplificare, aliorumq; imminuere conarentur, illi quorum amplificaretur, vel magis amplificaretur, quam par foret, poteſtas, eadem illi vterentur ad deprimendos eos Scriptores, vel illos, inter quos illi Scriptores numerarentur. 33. *Libri*, qui *conſcribuntur*, ſint *vel* ad Pietatem fouendam, propagandamque, *vel* ad prauos mores emendandos, bonoſque Chriſtianè, ſiue etiam Moraliter inducendos, *vel* de rebus ad publicum commodum ſpectantibus, *vel* ad ſcientiarum amplificationem; illi demum, ex quibus verum reportare queat literaria Reſpublica commodum &c. *Haud ſint*, qui *aduerſentur* Veræ fidei, ac Pietati; Chriſtianis, Moralibuſque Virtutibus aliquod inferant præiudicium; *apti* ſint perturbare Eccleſiaſticæ Hierarchiæ prout verè à Chriſto inſtitutæ, Chriſtianæue Reipublicæ conſenſum, concentumque; *Qui ab otioſis* tantùm *hominibus* ac ſine vllo penitus fructu legi ſint digni &c. 34. *Antequam librum publicet*, & maximè ſi in illo nouæ opiniones, vel ſingulares exponantur, extra Materias quoque Morales, illum cum *Peritis*, *Amiciſque*, ac *Sinceris*, & qui in nullius iurarint verba, ſiue certis Doctoribus, aut ſcholæ addicti ſint communicet, eorumq; intelligat ſenſum; putet autem ſe falli omninò, dum nullum ex hiſce ſecum videt conſentire. 35. *Norit pro ſua*, vel *contraria opinione* afferri poſſe non tantum illos, qui libros iam ediderunt, verum etiam celebrium Virorum Manuſcripta, imò & ſenſus etiam ſolos; hoc enim præſtiterunt illuſtres Scriptores. *Horum*, qui nec in Academijs aliquando prælegerunt, iudicia, non raro ſunt plurium ſcriptorum Sententijs præferenda. 36. *Auctoritates quorumcumq; afferat* integras, cum antecedentibus, ac ſubſequentibus, ſi hæc ad *verum* habendum ſenſum conducant: Qui vt ſæpe habeatur, attendendum eſt etiam ſæpè, *Quinam ſcribat*; Quo *tempore*; Qua *occaſione*; Ad *quem ſcribitur etiam*; Qua *in Prouincia*, vel *Vrbe ſcribat*;

Cuius

Cuius *rogatu scribat*; Cuius *impensis liber fuerit editus*; *Sub cuius patrocinio vixerit Auctor*; Ex *quibus illa, quæ scribit, hauserit*; Ex *quo ordine fuerit &c.* Dubiæ autem fidei Auctoritates, multoque magis falsas afferre Viro indignum planè ingenuo, ne dum Christiano, ac Religioso prorsus putet. In libro, quem *Ioannes Crusius Bremensis* inscripsit *Astri Inextincti &c. Eclipsim, seu Deliquium*, quique Coloniæ impressus fuit, deprehendit P. D. Romanus Hay, vt videre est *in Horto Crusiano* edito *Francofurti* anno 1648, quingentas & octo allegationes falsas, & centum duodecim Auctores perperam allegatos; qui etiam fatetur se non habuisse ad manus octoginta alios Auctores, quos allegat *Crusius*, vt falsas alias allegationes, falsosque alios allegatos Auctores cognosceret. Sola flammarum luce digni sunt, qui huiusmodi falsitatibus scatent libri. Publico decreto par esset, vt illis deuouerentur. 37. *Haud illis adhæreat*, qui libros, quos edunt maxima saltem e parte, si non ex omni, insumunt in respuendis Collegarum, siue illorum, qui in eodem Gymnasio docuerint, ignotorumque hominum placitis, responsisq; datis intra priuatos parietes; solum afferunt Auctores ex suis Ordinibus; aut eos tantummodo, & celebriores impugnant. Si dedignarentur alios vbique celeberrimos proferre, vel aliorum placita examinare, ex eo quod suos cæteris anteferant omnibus, *superbi* omninò; si ex eo quod non audeant cum alijs manus conserere, *timidi* quidem animi argumentum euidens foret. 38. *Illorum respuat exemplum*, qui celebriores, maiorisque ponderis quæstiones leuissimè examinant, latissimè vero, ac efficacissimè quæ minus celebres, ac sæpe nullius, vel ferè nullius momenti: Non existimet verò *celebriores*, quas recentiores nonnulli modò multis agitant, sed quæ proximè conducunt ad perfectam præcipuæ, ac nobilioris scentiarum quarumcumq; partis notitiam; & istas quidem multi ignorant modò, aut leuiter norunt; cum tamen sint in quæstiunculis nonnullis, & quæ per accidens tantummodo ad Scientias spectant, versatissimi. Si circa leues peculiaria quædam edenda sibi suadeat scriptor, grauissimarum saltem quæstionum perfectiorem præferat notitiam, quam breuibus quoque declarare poterit. 39. *Declinet* ab eorum Vitio, qui ingentia quoque volumina conscribunt, in quibus ferè toti sunt in afferendis rationibus, siue modis explicandi, aut probandi eamdem sententiam, quos varij Auctores, siue etiam eiusdem Cœtus, ac Gymnasij Professores attulerunt, afferuntque, quos multis reijciunt, licet postea sæpè eamdem amplectantur sententiam; pro qua à se excogitatas proferunt rationes, quæ sæpè vel sophisticæ sunt, vel leues, ideoq; multis illas stabilire coguntur, vel saltem non adeò solidæ, & efficaces, sicuti allatæ ab alijs; licet quia recentes, Iunioribus quibusdam, ac imperitulis, aut leui ingenio præ-

ditis soleant arridere multum *Sapiens* ergo Scriptor haud maximam libri partem in impugnandis aliorum sententijs, multoque minus eorum Rationibus insumat, *memor* ex eo quod quis alios redarguat, non esse, nec à Viris sapientibus habendum fore *scientem*, multoque minus *Sapientem*. Laudem habebit, si suam clarè doctrinam exponat, validè illam probet, obiectionesq; cōtra illam ex alijs celebrioribus Doctoribus, scholisque soluat ipse, aut facilem solutionis materiam in ipsamet & probatione legentibus subministret. 40. *In scribendo quoque* Conditionem suam attendat Scriptor; neq; enim videtur par, vt qui in Theologia, vel Philosophia præstantissimus censeretur, maximè si nullos in hisce materijs libros edidisset, publicaret quosdam ad inferiores, vel pueriles scientias spectantes, e quorum editione sæpè detrimentum suæ famæ pati potest, nec leue, exponitq; se multorum, qui in illis sunt peritiores scientijs, vt pote qui diuturniori tempore in illis versati, censuræ, imò & aliquando irrisioni. Similiter non videtur par, vt *Secularis* scribat de *Humilitate Religiosa, Monastica Perfectione, Regulari Disciplina &c* sicuti neq; vt Regularis de Politicis quibusdam, Principibus regnandi, ac imperandi, Aulicis Principibus inseruiendi Regulas nonnullas, Præcepta quædā tradat &c. *De Politicis* tamen pluribus præ alijs Regularibus aptius scriberent illi Regulares, qui Religiosi reuera limites Instituti prætergredientes in *Principum Aulis* aut degerent, aut diu morarentur; *cum Aulicis* longos sererent sermones; *Aulicorum* partes, aut munera susciperent; *Aulicos* Magnatum seruitio addicerent; *Sacularia Principum negotia*, quæ ad res Politicas, Rationemq; status pertinent, tractarent; *Politicam* instar sæculariū imperandi, ac obediendi rationem in sua Religione amplecterentur &c. 41. *Haud multus sit in aliorum laudibus recensendis*, & maximè, si minùs illis digni sint, sapiens scriptor. Huiusmodi prodigalitas non solum ab Adulationis Vitio, verum etiam à propriarum Cupiditate laudum, quas alij Scriptores nominatim in ipsum congerere possent, oriri facilè potest. Non debet quidem debitis vllum priuare laudibus, imò potius his addat, quā subtrahat. *Caueat* verò illam detractionis speciem alijs speciebus deteriorem, qua aliquorum laudes recenseret, vt subsequentibus detractionibus, calumnijsq; faciliorem conciliaret fidem. 42. *Quid sentiat ipse*, disertè, ac diluc dè explicet, nec amphibologicis vtatur Verbis. An verò possit, vel teneatur etiam aliquando propter extrinsecas causas sensum re vera proprium ita æquiuocis verbis exponere, vt Viri tantummodo periti illum deprehendere possint, e Prudentiæ regulis diiudicandum hic & nunc erit. 34. *Si probabilitatem* opiniones, quibus ipse aduersatur, habere e loco etiam extrinseco putet Scriptor, eam indicare non omittat; *Tum quia* id ingenui est hominis; *Tum quia*

ad

ad praxim, sæpè id conducit. *Si suas* etiam opiniones probabiles tantummodo, aliasque probabiliores censet, id etiam ingenuè manifestet. 44. *Si in aliquibus iam editis* libris semet errasse ipse deprehendat, aut ab alijs verè cognoscat, in posteriori saltem editione corrigat, certus apud Viros sapientes, prudentesque maiorem hinc laudem se consecuturum: Gratumque animum exhibeat illis, qui Veritati lucem sibi occultã patefecerũt: nec vnquã varijs Sophismatibus opinionem, quam publicauit, tueri exambitione quadam velit. *Si propter aliquorum auctoritatem* retractare aliquam Opinionem, licet ab alijs doctis, pijsq; viris probabilem, dignamq; typis iudicatam, cogatur, omnino id subindicare non omittat. 45. *Ne ex eo quod homines* aliqui improbi, vel parum cauti nõ attendentes circumstantias omnes, cum quibus opiniones proponerentur, propositis à se sententijs abusuri forent, eas haud examinare, ac publicare omittat in *publicam proborum vtilitatem*, quorum commodis, & *Conscientiæ* nominatim *Tranquillitati* consulendum est a Viro sapiente. Si necesse foret in euulgandis opinionibus, ac Moralibus præsertim, ne homines mali, vel imprudentes abuti possent illi, maxima pars librorũ, ac præsertim Moralium quorumcumq; ac in qualibet ferme materia igni esset deuouenda. 46 *Honorificè semper* de alijs, & maximè celebrioribus scriptoribus loquatur; caueatque nominatim à *Censuris*, in quas recentiores nonnulli se nimis propensos ostendunt; *Tum quia* ad ipsum hæ non spectant: *Tum quia* grauissimè & contra Iustitiam peccare, ac facilè potest, propter iniuriam quæ irrogatur, grauissimam; *Tum quia sæpè maligni, inuidique*, sæpissimè verò *Imperiti* hominis argumentum est. Potiùs dum est Catholicus scriptor lapsus in aliquo, illum excusare nitatur, eo quod aliquod Decretum eo mortuo factum fuerit, vel ad illius notitiam non peruenerit; vixerit in tali ætate, in qua talis opinio habebatur Probabilis; talem sensum Probabilem à se, vel ab alijs existimatum amplexus fuerit; ab aliquibus, quibus cæteroquin fides habenda erat, deceptus fuerit &c. Nec deerunt sapienti, ac prudenti scriptori rationes ad plures Catholicos Scriptores excusandos, ac præsertim illos, qui ante nostra floruerunt tempora, si Christiana Caritas, cuius qualitates nominatim 1. *Corinth.* 13. recensentur, verè in ipso vigeat; Humani certè ingenij cõpatietur imbecillitati; nec licet in aliquibus, & maximè, si Materialiter errauerit, solũ errores narrabit, multoq; minùs exaggerabit, plurima autem prçclarè ab illo scripta non commemorabit, nec laudabit &c. Abhorreat nominatim a recentiorum nonnullorum more, qui in editis libris *Pelagianismi*, *Semipelagianismi*, *Caluinismi &c.* notam inurunt Catholicis scriptoribus inter se de quæstione, quæ modò ad fidem non pertinet, differentibus. Si aliqua opinio ad Hæ-

reticas videatur accedere, ex ijs quas profert in lucem, aut de illis mentionem faciat, quæ videntur Hæreticis fauere; declaret in quibusnam discrepent Catholici, & Hæretici: neque damnet, vel desinat amplecti opiniones, eò quòd videantur *vtcumque* fauere Hæreticis; neque omnes vtcumque Hæreticorum sensus damnet, cum in multis benè sentiant &c. 47. *Quam maximè sit alienus* à more illorum, qui suas, vel aliorum opiniones libris etiam euulgatis contendunt, *pertinere ad fidem, esse Catholica Dogmata &c.* oppositas opiniones, tanquam *Hæreticas*, vel *Erroneas &c.* prorsus reijciendas &c. *Superbum* hominum genus, quod alienum munus, & in Dei Ecclesia summi ponderis, ac summæ existimationis sibi vindicat; *Maligna hominum conditio*, Caritatis, ac Iustitiæ expers, quæ Catholicorum hominum, & qui pro Catholicis verè Dogmatibus sunt saltem non minùs parati mortem subire quàm ipsi, honori ac famæ in re tanti ponderis detrahit; ac meretricia fronte audet huiusmodi notam, qua nulla magis Catholico homini vituperabilis, Viris etiam ingenuis appingere: *Imperiti* planè in harum notitia Censurarum; *Nesciunt* hi planè, Quid sit *Catholica fides*; & *Quibusnam fidei assensum præstare debeat Catholicus*; neque enim hunc præstare potest, nec debet, illis, quæ *Probabiliter*, vel *Probabilius* etiam solùm sunt de fide, sed tantummodò illis, Quæ *Certo sunt* de fide: & *Quotiescumq; inter Catholicos Scriptores* est controuersia, *An* sint aliqua de fide, nec de hoc damnati sunt, vel damnantur à legitimo Iudice fidei Controuersiarum à Christo instituto, illa tanquã certa fidei Dogmata afferri nequeunt: Quibus si quis assensum fidei, qualem *Certa* postulant, præstare conaretur, peccaret contra Fidem ipsam, illiq; iniuriam inferet &c. Et ad hoc quidem peccatum inducere possunt huiusmdi scriptores illos, qui legunt; & hi quidem peccare possunt in hoc tantummodo *materialiter*, licet illi *formaliter* peccent &c. 48. *Animaduertat*, se posse teneri quandoque ad scribendum euulgandumque librum; ex *Caritate*; *Vel erga Humanum Genus*; Quia scilicet ille valde vtilis futurus sit *Literariæ*, & multò magis, si *Christianæ* Reipublicæ; *Vel erga illos*, quos oppugnari callidis, perniciosisq; Artibus, ac immeritò videt, & *quorum* nisi os obstruatur, ingentia mala afferre queunt propter auctoritatem, quam sibi variorum, multipliciumque editione librorum, præter artes alias, sibi vsurpare conarentur; quæ obligatio erit maior, si publica verè Incommoda sint importanda. Possunt quidem esse nonnulli, qui ne contra suamet placita quidquam auderet scribere, plures, e suis iuberent contra illum, qui aliqua ex illis minùs probaret, & ad faciliùs alios deterrendos sinerent imprimi libros plures, etiam iniurijs, irrisionibus, mendacijs &c. refertos: An non par esset, vt omnes scriptores contra huiusmodi hominum genus calamum

lamum arriperent? *Vel ega se ipsum, suosque*; Ad tuendam, scilicet suam, suorumq; Famam &c. Et quandoq; etiam ex Iustitia ad scriptionem, editionemq; librorum teneri poterit, *vt si* pecuniam, quidue simile ad id accipiat; *si suo*, suorumq; Honori, ac Famæ, cui Iuri renunciare non possit, aliter consulere nequeat &c. Veritas nonnullis Scriptoribus aperienda; Curandum ne aliqui ex aliquorum libris in materia etiam Philosophica, Mathematica &c. decipiantur; Aliorum etiam arrogantia, superbiaque retundenda; Multi in rebus nō leuis ponderis instituendi &c. *Hinc Cum quis* aliorum doctrinam oppugnare vult, *videat*, ex quo motiuo id faciat; Neque enim ab *Ambitione* vel *Inuidia, Odioque* contra Auctorem duci debet; secus enim non solùm peccaret, & interdum grauissimè, verum etiam haud integrè talis Auctoris mentem sæpènumero assequeretur: Sed impellendus est à desiderio Veritatis declarandę, vel magis declarandæ, publici, priuatiue boni &c. Tunc autem *fideliter*, ac *sincerè* omnem illius doctrinam proponat, mentemq; exponat; ac singulis illius rationibus responsionem afferat congruam; nec aliquorum more eas, quibus ipse haud talem afferre valet, sileat, aut afferat indignas esse responsione; vel friuolas, aut validiores dissimulet, multus in refellendis leuioribus; Multoque minùs aliqua, tanquam ab ipso dicta, falsò referat, ac deinde respuat; aut in cōtrarium eius menti sensum, aut etiam deteriorem partem illius dicta sumat. 49. *Ne satyricos libros, famososue libellos* conscribat: *Tum quia* hi solent esse, plerumq; saltem, *leuis Ingenij, Iudicijque non sani* partus; *Tum quia* huiusmodi librorum scriptores, præter minorem, quam consequuntur laudem, cum ad alijs detrahendum multi habeant à natura propensionem; complura fortunarum, Corporisque incommoda subire solent; *Tum quia* in alios dicteria ab homine non solùm *Christiano*, verum & *Vrbano*, ac *Ingenue educato* remotissima esse debent: *Tum quia* nullus ex his plerumque fructus reportari solet; nam illi, contra quos huiusmodi scribuntur libri, obstinatiores etiam in Crimine, quod illi obijcitur verè etiam, sępissimè redduntur; *Tum quia* mendacia non rarò continent, & apertas falsitates, quæ ex parua, aut nulla publicarum maximè rerum intima notitia oriuntur; cuius si forent compotes, potiùs multos commendarent, quam vituperarent. 50. *Apologeticos* perraro *conscribat libros*, Consultum est sępe responsionem omittere, maximè cum Viri vel leuiter periti obiectionum imbecillitatem, & multò magis, si Scriptoris malignitatem facilè habere queunt perspectam. Consulto quandoque Vir doctrina nominatim præstans à minus peritis irritari potest friuolis quibusdā obiectionibus, vel etiam excogitatis falsitatibus, vt ipsorū nomen propter allatam responsionem illustretur, cæteroqui tenebris obtegendum, ipsorumque libri

apud

apud eos maximè, qui odio, vel inuidia huiusmodi Virum prosequuntur, magis vendibiles sint. *Si quando tamen* cogatur à Iure, quod habet suam, suorumque in re præcipuè maximi momenti, famam tuendi, vel ad aliorum retundendam malitiam &c. *Apologias* conscribere; Attendat *Primò*, ne vlla animi passione praua, siue minùs moderata ad scriptionem inducatur, vel in scriptione regatur; nam ęqui limites in scribēdo facilè prætergredietur. Facilè autem ab odio, vel inuidia &c. impulsum fuisse Scriptorem quiuis prudens deprehendet; licet apertè fateretur, se illum in oculis ferre, *si omnia* illiùs dicta, factaque sedulò examinet, ac in *deteriorem* accipiat partem; *vndique* illius accusandi occasionem arripiat; *mendacia* struat; *non integrè* illius mentem, aut dicta, gestaque explicet; *meritas laudes* aut sileat, aut imminuat; *si in aliquibus* laudet, id efficiat vt facilius illi postea detrahat, faciliorемque fidem suis conciliet dictis; *quæ grauiora* sunt, & ad rem faciunt præcipuè dissimulet &c. *Secundo* ne Moderamen inculpatæ Tutelæ excedat: Excedet autē, si quid vltra id quod petit iusta verè defensio, scribat; si vicem talionis ipsemet rependat, ac multò magis, si decem v.g. iniurias, & maxime diuersæ rationis, pro vna inferat &c. *Tertio* ne suos qui verè essent famosi libelli, *Apologeticorum, Iustæ Defensionis*, *Placidæ Disceptationis*, similiumque titulorum nomine cohonestet, & vt tales haberi velit; aduertantium verò, qui verè essent Apologetici, & conscripti ad tuenda suamet iura, quam ipse conuellere velit, haberi tanquam libellos famosos, & vt tales interdici, & à Palatijs Principum, magnatumq; apud quos ipse aliquam haberet auctoritatem, remoueri contenderet. *Quarto* vt modestiæ sit memor, Caritatisque Christianæ, ne dum Iustitiæ, & maximè si Ecclesiasticus sit, & multò magis, si Regularis, & maximè, si ex *Ordine Regulari*, qui *summam profitetur perfectionem* in imitatione Christi, ac Apostolorum: *Memor* autem esse debet, non omnia Sanctorum exempla in huiusmodi conscribendis Apologijs à se imitanda, vt dictum est Pon. 27. *Opusc. 2. de Iure tuendi Famam*, quod *habet quicumque etiam Clericus, ac Regularis*: ac peculiariter haud esse S. Hieronymum vndequaque commendatum in omnibus, quæ scribit in sui etiam defensionem contra alios, & Hæreticos quoque. Multa quidem huiusmodi scriptoribus condonari possent, si pateret eos in alijs Sanctitate excellere: verùm experientia declarare posset, passiones, cum de eorum *Fama*, *Honore*, *Commodis &c.* agitur, non minùs habere indomitas, quam vulgaris etiam conditionis homines &c. *Editi* sunt nuper duo libri mores cuiusdam exponentes, quorum Auctor (pręter alia minùs laudanda) plurimas voces Synonimas ad easdem iniurias, ad eadem scommata iacienda excogitauit &c. *Quinto* ne sub publici speciei boni illos re vera offendat, contra quos scribit: Causam

ſam propriam re vera tanquam totius *Familiæ*, *Congregationis*, *Ciuitatis*, imò & *Eccleſiæ Chriſtianæque totius Reipublicæ* Cauſam varijs Sophiſmatibus effingens. Cuilibet priuato, ſi ingenioſus ſit, vel callidus, non deerunt Cauillationes, quibus probet in Cauſa propria agi de incolumitate publica Ciuium &c. *Sexto* Animaduertat, haud eſse etiam Magnanimi, vel Nobilis Viri Apologias quoque ſcribentis Scommata in alios iacere, vt optimè animaduertit P. D. *Romanus Hay* in fine Præfat. *Aſtri Inextincti* Coloniæ Impreſſi 1646. qui vbi de quodam, qui contra Antiquos ordines multa calumnioſè, & iniurioſè congeſserat in libro impreſsò protuliſset, *Honori ſuo*, *& Senio* magnum fauorem conciliare potuiſset *Opponens*, ſi & *animi motibus* ardentius imperaſset: Huiuſmodi namque Epitheta, vel Scommata, qualia ſingulis prope folijs larga manu diſtribuit, non *Veritatis*, ſed *indignationis*, & *feritatis* vt plurimum *teſtimonia creduntur*, ſubdit: *Vinum bonum* non eget hac ſuſpenſa hedera. *Ruſticorum eſt* abſque talibus nunquam litem mouere, quæ ne in hæreticos quidem prolata fructũ referunt. Et *certè pluſquam* fragilis cauſæ ſit oportet indicium, *non rationis*, ſe verborum impetu velle triumphare, qualia ne *Mulierculis quidem in foro* litigantibus deſunt. Res quælibet, non quo nomine, vel Epitheto ſignetur, ſed quo digna ſit, æſtimari debet: Quamquam hodie videamus vitio ſæculi res *peſſimas optimis*, *optimas peſſimis nominibus inſigniri*. Hæc Sapientiſſimus Vir. *Septimo* ſi quando in huiuſmodi Apologijs ſe, ſuoſque, vel ſua commendare compellatur ad alios retundendos, vel calumnias refellendas, vel ad famam, auctoritatemque ſibi, ſuiſque verè debitam tuendam, conſeruandamque &c. Laudes potiſſimum notas, & quæ à nullo, niſi ſit æmulus, vel inuidus, mentis inops &c. pernegari poſſunt, & præcipuè ab aduerſarijs ipſis deſumptas commemoret. *Octauo* Debitas æmulis laudes, cum opus fuerit, narret: illaſque nunquam contra Veritatem minuere, aut illarum ſplendori mendaciorum, falſitatumque tenebras offundere conetur.

EX HIS quicumque colligere liceret, inter malignos, inuidos, Caritatis, ac Iuſtitiæ oſores, imbecillis, leuiſque ingenij homines &c. numerandum meritò fore illum, *Qui conſultò quæſita occaſione*, & non *exigente materia* (quod innoteſceret, ſi non idem cum alijs, & in alijs materijs præſtitiſset) *Scriptoris alicuius Vitam, moreſque* commemoraret; qui Grammatica etiam errata Typographorum incuria, vel ex modica illorum, qui autographa habuerunt, diligentia in illorum editione commiſſa (quorum tamen Indicem Auctor ſcripſiſset illico, & ad primarios etiam homines exiſtimans ſibi a Pedagogis illa fore objicienda, miſiſse) inſulse objjceret: *Qui calumnias* vndequaque moliretur; e quibus poſset eſſe *Prima*, quod *non cum dignitate*, qua *par*

eſſet,

esset, in *aliqua Academia in Humanitatis Classe docuisset*; & tamen præter externorum testimonia in eadem Academia ad Rhetoricam docendam, viceſq; obeundas Primarij cuiusdam in Politioribus literis, quem multis idem Scriptor laudaret, in Rhetoricæ classe postea fuisset euectus, ac in huiusmodi literis illius peritia omnibus pateret; nec pedestres censerent omnes versus ab illo scripti grauioribus curis detento illi, qui ex animo diligunt eos, quorum laudes ipse votiuo carmine prosequitur pro merito, non adulante, instar ipsius, manifestè soluta oratione. *Secunda*, Quod *de Vniuersa Theologia theses non propugnasse ex ineptitudine*; si manifestū foret, id ortum habuisse, quòd eo anno lex statuta fuisset (quæ tamen postea propter varias animorum perturbationes exortas abrogata fuisset) quod quatuor Tantum ex nationibus diuersis seligerentur ad id; adeoque vni tantum v. g. ex octo, aut decem Italis illud munus demandandum fuisset, licet multi ingenio præstarent, ex quibus nonnullus etiam Theologiam in celebri Italię Academia prælegisset; qua de causa supremi illius tunc Præsidis caracteribus expressis, ne dum literis haberetur, id non potuisse illi esse impedimento, quo minus quaslibet scientias docere posset: Ac illius pręterea aptitudo eodem anno innotuisset, cum Votis iuratis quatuor celebriū Pręlectorum eiusdem Academiæ decretum fuit iuxta illius Cœtus expressas leges, *tantum doctrinæ in Philosophia, ac Theologia assecutum, vt vtramque facultatem cum approbatione, siue satisfactione docere potuisset*; Indeque iussus in sequenti anno in Academia post quamdam Primariam in tali Prouincia celebriori Philosophię cursum pręlegere. *Tertia*; quod *parum decore* duabus in Academijs Philosophiam pręlegisset; *si* præclarissimorum testimonio Ciuium summæ mendacitatis coargueretur, qui & faterentur summum honorem illi cętui, ex quo ille tunc foret, conciliasse; *si* plurimorum ex ipsis aduersarijs, siue ęmulis, non solùm Dignitate, verum etiam Scientia illustrissimorum testimonio literis expresso innotesceret sapientię fama ibi potissimum comparata; *si* ibidem libellum impressisset à multis commendatum, de quo etiam ęmuli mentionem facerent &c. *Quarta*, Quod *esset parùm in palestra literaria versatus*; si pateret *nullum* e Collegis suis totquentibus conclusiones de Vniuersa Philosophia astitisse; *plusquam* quadragies conclusiones publicas, ac etiam impressas eius Auditores propugnasse; ac *præteria* pateret in Vrbibus, in quibus ille postea versatus fuit, quam validæ, modestę tamen, forent illius argumentationes, & quam ingeniosè illas prosequeretur &c. *Quinta*, Quod *opprimeretur subinde à Discipulis, si qui paulò acutiores erant*; si manifestum esset paucis ex hisce, quibus debebat esse magis gratus, minùs fuisse gratum, quod *eorum moribus* tunc esset infensus, *cum* pręscriptas sibi leges violarent; *maiorum suorum*

prçcep

prçceptis minus se obsequentes prçberent; *Ab* Ætate, Auctoritate, ac Doctrina præstantium Virorum cõsuetudine abhorrerent; *& cum* cuperent certo in loco, propter priuatas causas, ac etiam familiaritates degere, quæsiuissent vndiq; occasionem eò concedendi; qua nullam opportuniorem excogitare potuissent, quam si illum docentem minori in pretio se habere significassent; sic enim facilè operam ille dedisset, vt inde amandarētur; idque re ipsa Professor prçstitisset: & hoc constaret ex literis primariorũ Virorum, qui de tota re certiores facti, huiusmodi auditorum gesta valde vituperassent; Prçceptoris autem virtutes multis extulissēt laudibus: ac *cæteroqui* ex eorumdem testimonio discipulorum caracteribus etiam ipsorum expresso constaret, quanto in pretio illum habuissent &c. *Sexta* Quod alium adire cætum voluerit, vt faciliorem sibi aditum ad aliquam haberet Cathedram; *Si ex* Longa ad id conscripta scriptura, quæ missa fuisset ad quatuor, qui præcipuas in regendo suo quondam cœtu partes obtinebant, patefactum fuisset, haud huiusmodi Voces fuisse Veras, idq; manifestarent Responsiuæ eorum Virorum literæ: e quorum consilio quoque, cum ex eadem quoque scriptura exploratas habuissent causas, propter quas aliqui suffragium non tulissent ad superiorem quamdam illi cathedram illi decernendam, à Prçside Primario fuisset statutum, vt in aliqua celebri Academia, siue Vniuersitate Studijs omnibus, etiam Theologicis, præficeretur. *Septima* Quod *perosus fuißet vincula quædam*; neque enim odio prosequeretur aliquis Leges illas, quibus se haud teneri ostenderet; neque enim si quis conaretur probare se non teneri Votis Carthusianorum, vel Camaldulensium; nec hos teneri ad obseruantias illorum; nec qui vouit ire ad *Ædem Lauretanam*, dum istud persoluere nequiret, teneri adire Romam ad inuisenda S. Apostolorum Sepulchra, diceretur odisse vota illa, aut *delectari* libertate illicita, ac vituperabili &c. aut etiam illi opus esse cõmutatione, aut dispensatione in huiusmodi votis &c. *Octaua*; Quod *quidam supremus Trases peregisset, ne alicubi degeret, ceu cuiusdam Cœtus desertor*; Cum apertissimum foret plerisque, ac nominatim illis, cum quibus actum fuisset id negotium, id præstitum fuisse ab eo, quod fidem habuisset nonnulli, quem præsumpserat, haud sibi falsa expositurum, sibi narranti, quod duo quædam edidisset in libro; *hæc* tamen haud edita fuisse postea innotuisset. *Malignus* huius Vindicationum Scriptoris animus innotesceret magis; SI PRIMO Mirificè laudaret nonnullos, quos tanquam apertos sui Cœtus osores eiusdem Cœtus Viri professi essent pluribus etiam libris, eosq; minùs Humanioribus Disciplinis exornatos publicassent, ad deprimendam magis huius recentioris scriptoris auctoritatem. SI SECVNDO Quæ leuioris essent ponderis in libris huius scriptoris afferret, ijque

responsionem aliquam niteretur afferre; taceret autẽ, ac dissimularet, quæ grauissimi forent, ingenij sui tenuitatem longe Scriptoris ingenio inferiorem omnibus manifestãs. SI TERTIO Ad illius laudes spectantia nullatenus cõmemoraret; & *Tum* sileret *Primò sæpius ab illius Auditoribus*, ne dum in Humanitatis Classe, declamatũ fuisse, Carmina parietibus affixa sæpè &c. & quod maioris est ponderis, in Rhetoricæ etiam Classe docuisse; *Tum* sileret *Secundò, Dum ipsammet Theologiam* disceret, Academiæ Philosophorum *Secundo*, ac *Tertio*, Theologorum verò *Quarto* præfuisse anno in celeberrima omnium eiusdem Cœtus Vniuersitate, adeoque trium annorum spatio singulis fermè diebus, quibus Scholæ habentur, omniũ externorũ in eam confluentium Academia disputationibus præfuisse, bis autem in singulas hebdomadas in disputationibus, quæ ab omnibus simul coactis Academicis, hoc est Logicis, Physicis, Metaphysicis, ac Theologis habebantur, Defendentis, vel Arguentis partes propugnasse. Hoc autem munus (si maximè eodem teste demandaretur solùm ingenio præstantioribus) malitiosè assereret illi impositum à Præside *Familiæ* solùm, atq; *Innocentiæ* eiusdem dotibus allecto; aliter enim non *consultum* fuisset Gymnasij illius nobilissimi, quod *illi* cætui *creditum*, & cui *optima debebat, emolumento*, ac *dignitati*, nec Cœtus ipsius *decori*, nec *honori* illius Viri, si *oneri illi impar honore ipso dehonestatus* fuisset, & maximè cum triennij spatio, & in singulos annos *Academici*, siue *Subdocentis* honore aucto, tale munus obijsset: & tamen *illas tres rationes* afferret Apologeticus, siue Famosus iste Scriptor, tanquam impulsiuas Moderatorum, ne sublimiorem Cathedram illi in minùs celebri Vniuersitate tribuerent: *Tum Tertio* sileret, Quarto *Theologiæ anno* fuisse secretis suffragijs, præmisso iuramento & *de non reuelandis suffragijs suis*, & *de sincero examinandi doctrina*, & *aptitudinis ferendo iudicio*, iudicatum idoneum ad *prælegendam* cum *satisfactione Philosophiam*, ac *Theologiam*; eodemq; anno monitum, vt insequenti anno in celebri Academia Philosophiam traderet &c. *Tum* sileret *Quarto, Honorem summum conciliasse cœtui illi*, eã etiam de causa, quod nullus e collegis suis habuerit tot Auditores, qui de Vniuersa disputarint Philosophia, quot ipse, idq, cum multorum plausu; cuius rei fama modò etiam apud honestissimos ciues, doctissimosque etiam Regulares perdurat: Hic essetne *Gratus* in illum huius cætus hominis Animus, & maximè, si ille beneficia commemoraret ab eo cætu recepta, quibus tamen par aliquod laboribus suis rependisse subderet &c.? *Tum Quinto* sileret, non solum non omnino inscio Præside aliquò concessisse, ac ibi moratum fuisse, testibus eiusdem litteris; Verum etiam impulsum, si non motum, fuisse ad eò concedendum, quod infensum quemdam haberet toti Regioni, siue Prouinciæ Præfectum; qui cum (præter

alia

alia minùs beneuoli in illum animi argumenta priùs exhibita) vbi vix conualuisset à morbo, qui ipsum pœne in vitæ discrimen adduxisset, in pagum quasi relegasset aeris omnino insalubris ea maximè tempestate, qua proprio etiam caractere ad eumdem scripsisset, vt eò proficisceretur; & hac de causa alium, qui ibidem non adeò grauiter laborasset, aliò salubrioris aeris causa misisset: ac illę adhuc extarent literæ. *Tum Sexto* nullam faceret mentionem *Supplicis libelli* eiusdem Scriptoris editi, qui magnum multis ex illo Cœtu facesseret negotium. *Tum Septimo* alto obrueret silentio, quæ in plurium commoda, magnique ponderis ab illo remotus Cœtu dixerit, ac egerit. *Tum Octauo* Causam non afferret præcipuam, eamque satis *moraliter probatam*, illius non regressus ad Cœtum, e quo recesserat, *hoc est*, grauissima incommoda, quę sibi prudenter, ac rationabiliter metuebat, experientia teste in alijs, à quibus nonnulli ex illo cœtu se minùs læsos censebant, idq; maximè, si iam tentassent aliqui plurima contra illius alicubi *Incolumitatem*, *Honorem*, *Famam* etiam in Patria &c. & vtrimque vehementium animi dissensionum causæ fuissent ortę ex editis pręcipuè libris; illique fuissent professi, talem Scriptorem *immani odio* in talem Cœtum *inflammatum* esse; nullum apertius, ac euidentius illorum animi morbos manifestasse &c. Adeoque infensi forent illius nomini, vt quemdam e suis Primariū & Pietate, ac Scientia, Famaq; Virum in carcerem coniecissēt, eò quod literas nonnullas ab eo accepisset, ac reddidisset. SI QVARTO ab eodem gesta, scriptaque pessime interpretaretur, *vt Quod ex odio*, nō ex Amore ad illius Cœtus Reformationem spectantia scripsisset; Cum tamē viam cuique Religioso ordini Iuuentutem suam renouandi proponere, non nisi sinceri amoris in illum, vniuersamq; Ecclesiam argumentum sit; alioqui odisse *Ecclesiam*, suumq; Seraphicum Ordinem in libro *de Planctu Ecclesiæ Aluarus Pelagius*, Ordines cunctos Regulares *P. Mag. Lezana in libro, cui titulus Reformatio Regularium*, seu de *Disciplina Religiosa ad Normam, & exemplar SS. Patrum*, & *Priscorū Monachorum editus Romæ* 1646. *quartò auctus &c.* Omnesque status tum sęculares, tum Ecclesiasticos optimus, ac sapientissimus ex *inclita Societate Iesu Cardinalis Bellarminus* in libro *de Gemitu Columbæ*; Episcopos, Clericos &c. multorum Conciliorum Patres in Actis etiam impressis de illorum Reformatione dicendi forent, media proponentes, quorum ope hi omnes antiquo Virtutum splendori restituerentur: *Vt quod insidias idem forsan Congregationi Generali strueret*; cum tamen hic prauus animi sensus in mentem illi venire potuisset ea solummodo de causa, quod repertum fuisset folium ex illius sinu dilapsum, in quo erant descriptæ *literę ad supremum, tum illius Cœtus, tum aliorum Cœtuum Præsidem* vna cum *Indice* Partium libri, qui postea ad eorum

commodum editus fuisset; nam dato etiam, non concesso, quod *per-inuitus*, ac *diù reluctatus* ex illa *discessisset* vrbe, id oriri potuisset, quod ex præscripta lege non liceret tunc Præsidi suo *certorum hominium genus* ex *vna Prouincia in aliam mutationem facere*; censendus autem foret iuxta illius Cœtus Decreta quis *vni Prouinciæ applicatus*, cum in *munere illius Prouinciæ ordinario* constitueretur, & tale huic Scriptori demandatum fuisset; constaretque supremum alium Præsidem (*cuius demortui* etiam *voluntatem compertam sequi, incertam coniectare* nouus successor iuxta Cœtus leges teneretur) eò hunc Scriptorem deuocasse, vt certam etiam illi Præfecturam demandaret; nec probabile foret, vt eò fuisset accersitus ad morandum ibi aliquorum dumtaxat spatio mensium, maximè dum voluisset ille huius indulgere votis, qui nō semel ab illo enixè petijsset, vt apud se in Vrbe retineret; & ad id proferre possit non vnicam illius Præsidis Epistolam in Vrbem aduocantis, vt certū munus ad ipsius votū ipsi demandaret, ac præterea *literas* Præsidis illius Prouinciæ, ad quam mittebatur, alteri Prouinciæ omninò applicatum esse censentis: Vt *Quod ea, quę dubitanter*, ac flexiloquus enunciaret, non ambigua mente ab eo proferri *assereret*. Vnicus Cordium scrutator est Deus: Vt *Quod illius opuscula* non alio tenderent, quam vt eas Honesti, ac liciti Regulas comminisceretur, quibus aliquam suo facinori excusationem *prætexeret*; Cum tamen nec ipse, nec alius quiuis ex eo Cœtu ausus fuerit illorum conuellere Principia, ac ostēdere illorū Falsitatē, vel Improbabilitatem. Oportet vt falsa sint, ac Improbabilia pleraque à celeberrimi illius cætus Viris tradita effata, si talis nota illius Opusculis meritò apponenda sit: Vt *Quod inanes fuissent Tituli* illius libris præfixi ab illis, qui eos curassent edendos; maximè si illius se reuereri genus affirmaret, ac stirpe nobilem non semel fateretur; cum eos tunc apponere titulos, vt minus periti facilius iudicium suspendere possent, à Viris prudentibus necessarium putaretur &c. SI QVINTO quędam mirum in modum amplificaret ad odium magis in illum excitandum v. g. *Quo asseruisset esse omnium Vitium* aliquod, & tamē nonnullis tantùm, aut pluribus tribuisset; *Quod esset* suasor Regibus, ac Populis, vt alijs Magistris *vterentur*, quam ex illo cætu, cum tamen solum dixerit, etiā sine Professoribus huiusmodi posse in Humanioribus literis Ciues satis proficere, cum ante illius Cætus exortum in Politioribus literis multi in Primarijs maximè Ciuitatibus excelluerint; *Quod vellet* illius Leges funditus euertendas, Priuilegia abroganda, Munera in alios *transferenda*; cum tamen hæ adeo vniuersales Propositiones in illius Libris non reperiantur &c. SI SEXTO illi adscriberet soli, quod alij, ac illi nominatim, quos hìc nomine Apologeticus commendaret, affirmassent etiam editis libris, vt *Quod diutius* Pueros in

Gram-

Grāmatica detinerent, de Ciceroniano ſtylo multi nō *laborarent &c.* Imò & quæ ipſemet Auctor expreſsè proferret, tanquam ab alijs verè dicta, nec ſenſum ſuum conſultò aperire voluiſſet, iſte planè vellet cum ijſdem ſentire &c. HVIVSMODI VIR; qui talia ſcripſiſset, *Pij Sinceriq; Viri* ab vllo vel leuiter prudente, ac mentis compote laudem obtinere poſſet? An non magis vafrum illius ingenium innoteſceret, ſi circa libri initium ſcripſiſſet; *Hanc ego alteram Accuſatorum cohortem* repellere aggredior, ſed ita repellere, vt celebre illud inculpatæ Defenſionis moderationem à Iure præſcriptam quam *religioſiſſimè* (Quid ſi nullus tam irreligioſè contra hunc Scriptorem omenis Iuris limites fuiſſet prætergreſſus) *ſeruem*. Statutum mihi eſt *nos* tutari; *neminem* carpere, ne diſſimulanter quidem, *nullius* laudem eleuare, de accuſatoribus ipſis *honorificentius eloqui* (niſi nominatim mihi agendum ſit cum ſcriptore, qui me iuuenem non ijs proſequebatur laudibus, quibus alij me, meaq; efferebant) *quam cauſa patrocinium* poſtularet ad eorum fidem eneruandam; adeoque nonniſi *inutiſſimus*, ac *balbutiens* (Quid ſi re ipſa ſemper loquens voce aliquantulum balbutiret) vbi *perneceſſarium* fuerit, *eorum labes indicabo*. *Hanc enim* lenitatem & Chriſtianæ Caritatis doctrina mihi ſuadet, & ſcilicet magnanimum quoddam Vindicationis conſilium à timore, ac ſordibus *remotiſſimum* (Quid ſi contra vtrumque peccaſſe lippis ac tonſoribus pateret!) *Fateor enim* puderet me ordinis, in quo verſor, & quem grandæuus iam diu meditatus elegi, ſi ille ſit, qui illaudatum ſe neſciat, niſi alij ſint illaudabiles; ſiq; innocentiam ſuam comprobare ſe poſse non ſperet, niſi nocentes fuerin *accuſatores*. Ordinis haud culpa foret, ſed multorum nonnullis ab hinc annis ex eo ordine ſuum ordinem cum aliorum vituperationibus, imò & calumnijs laudare; nam Auctor *Plac. Diſcept fol. 4. Societatis* ſcribit eſſe obtrectationes ferre, famæ ſuæ non *obſiſtere*; & Auctor Epiſtolæ ibi inſertæ fol. 12. in fin. habet; *Societatis conſuetudo eſt*, benefactis æmulorum vincere *obtrectationes*: Cum aiunt, *Societatis*, ſignificare volunt, Iuxta *leges* Societatis, Iuxta *antiquam* Societatis hominum conſuetudinem &c. Certè contra Hęreticos quoque modeſtiam ſeruandam eſse in verbis cenſuerunt Primi Societatis Patres; Inter quos de P. Caniſio *P. Sacchinus* in Vita eiuſdem impreſsa Ingolſtadij 1616. pag. 166. ſic inquit; *Caniſius* ſcribendo contra Hæreticos videbatur ſibi, Germanis, ſi non eruditis, at certè idiotis, atque ſimplicibus non ſolùm gratificari, ſed etiam prodeſse in Domino poſse; ſperabat aliqud præter ea, quæ circumferuntur, in medium allaturum, vt ſaltem *Caritate*, atque *Modeſtia* vinceret pleroſque ſcriptores, qui neſcio *quos impetus*, & *affectus humanos* ſuis libris immiſcent, ipſoſque Germanos *offendunt* magis, quam *ſanant*, *auſtera illa curatione*, *atque tracta-*

tractatione; Subdit postea pag. 362. eumdem voluisse, *Scriptores calamo* veritatem Catholicam aduersus Hæreticos publicè tuentes, diligenter cauerent, ne *mordaciores* essent, ne *scommatis* vterentur *acerbis*; sed *Christianam* vbique, & *religiosam* modestiam obtinerent; Quod non modò à *nostris* exigebat hominibus, sed ab omnibus, qui contra Hæreticos scriberent. Itaque ad virum benè doctum, & sibi perfamiliarem, posteaque Episcopum (*Ioannem Nasum*) à quo iudicanda scripta quædam acceperat, *hæc* inter alia scribit. *Habeo* Viros doctos hactenus mihi consentientes, in tuis nimirum scriptis multa dici mollius posse, præsertim vbi falsas illusiones immisces de nomine Caluini, Melancthonis, & similium. *Rhetorum est*, non huius temporis Theologorum hisce flosculis luxuriari. *Non sanamus ægrotos hisce pharmacis*, sed potius reddimus insanabiles. *Cordatè*, & *maturè*, *sobrieque* defendenda Veritas, vt *Modestia nostra* nota sit omnibus hominibus, &, si fieri queat, testimonium etiam ab ijs, qui foris sunt accipiamus. Quocirca nolim ansam Germanis tribuas, vt *Iuuenilem* potius in hoc scripto, alijsque feruorem noui scriptoris inculcent, *quam Grauitatem, & lenitatem Theologo pio dignã ament, cõmendentque*. Hæc ille Sapientissimus, Prudentissimus, ac Sanctissimus Vir Sancto Fundatori Carissimus. Quid hic dixisset, si nouisset aliquem nouellum Scriptorem Caritatis, ac Modestiæ expertem contra Virum nobili genere ortum, vitaque innocentem teste ipsomet, & optimis adhuc imbutum moribus, qui egit solum de rebus in alicuius Cætus legitimum beneficium, doctrinamq; tradidit multorum testimonio comprobatam, nedum acerbis vti Verbis, verum etiam multiplices illi struere calumnias, ne de ipsius scientia (quam tamen experientia declararet maiorem esse, quam nouelli scriptoris, qui non esset cum ipso congredi ausus nisi in leuioribus quibusdam, nec adæquatè obiectionibus illis satisfecisset quoque) ac pietate modò debitã efforment homines existimationem. Non verendum, quin tanquam spuriam sobolem Sanctissimi Fundatoris à se illum repelleret; & à cætu suo (nisi retractaret dicta) relegandum curaret, si ad detractiones suas magis celandas, adeoque ad vehementius illi detrahendum addi videret, *Hominem non auersor*, sed crimina; ab homine quidem omnes odij causas procul habeo; nam & Genus reuereor, cum quo, si humana hæc aliquid *essent* (& tamen ignoraret illud scripto commendare) præclarum mihi ducerẽ meum fuisse *connexum*: & postea. *Ipsum N.* peculiari nomine amo, vt pote à quo multos annos *Frater meus* (en huius Viri nobilis gratus animus, en amoris argumenta) in *Grammatica*, atque *Humanitate*, cur non summouisset Fratrem suum modò Magnatem enimuerò omni amore, ac honore dignissimum, si illiũ diligebat, dum iste *haud multa* cum dignitate Academiæ, mi-

nore

nore cum discipulorum plausu, & infantiam aspicientibus *pueris &c.* obijsset illud munus?) *instructus est.* Et ante hæc. *Dicam vt res est, quodque innumeri sciunt.* Cur non commemorasset etiam, quę innumeri scirent circa famam in scientijs? Cur aliquorum vulgarium hominum ex illo cætu, & qui ignorasent, qualiter res se habuisent, sensum secutus fuitset, maximè dum reprehenderet Scriptorem hunc, quod in aliquibus vulgi dictis adhæsisset? *Neque enim vsque adeò insanirem* (Vtinam in hoc non insanierit propter odium, sicuti & quidam primaria in Vrbe ex eo cætu insanijt, vbi libros Auctoris perlegit, maximè cũ partialis quædam insania sit, vt benè in hoc sentit *Rayn.* c. 16. de Apost. à Relig. Ordin.) *vt pro tuenda Societate, quam vnius Cæli demerendi* (forsan hæc non fuit vnica) *studio adoptaui, calumnias extruerem mihi Cælum obstructuras.* Non omnes, qui Religiosos ordines sibi adoptant *Vnius etiam Cæli demerendi* studio, illud postea demerentur in ea labentes crimina, quæ multorum ex illis communia sunt; inter quæ peculiaris cuiusdam Cœtus proprium potest esse *Detractionis* Vitium. Vtinam iste legisset, ac perpendisset, quæ Nobilissimæ Societatis Prudentissimi Generales duo *Claudius Aquauius*, ac *Mutius Vitellescus* anno 1590. & 1592. & 1617. nominatim scripserunt ad suos; in quibus patet cuique, non voluisse *Parenetice*, aut *Exhortatoriè* loqui, cum dicant, *se velle exonerare conscientiam suam*, *se dolere de hoc*, ex hoc fonte *deriuari mala*, quæ æquissimo Dei Iudicio tolerat Cœtus, multa, efficaciaq; ad id vitium exterminandum proponant media, & *non paucos* (attendendę hæ voces) indigere *fræno linguæ valido*; crescere vitium detractionis in materijs, & rebus non leuibus, serpere per cætum & latius &c. Horum expresæ voces habentur *c.* 11. *lib. de Pot. Pontif* par. 6. pag. 350. 351. 352. 353. & 354. Hæc tantùm hic apponere libet, quæ posent recentioris cuiusdam scriptoris facto esse valde congrua, *Ne, quæso nobis*, Patres, Fratresq; blandiamur. *Non pauci* hoc in genere valido fręno egent; nemini parcunt; nimia agunt libertate & licẽtia, nõ sine *Graui Caritatis, Iustitiæq;* interdũ iniuria; *dum* aliena, seu dicta, seu facta, *nunc amplificata augent*; modò *vltrò, citroque* renunciant; nunc *in deteriorem partem* accipiunt; ad *motus animi*, atque consilia Deo reseruata *dijudicanda* progrediuntur; *Haud scio*, an dicendum sit, *res neque gestas vnquam, neque per somnium quidem oblatas comminiscuntur, & iactant.* Hæc Reuerendiss. *Vitelles.* in lit. ad *Vniu. Soc.* scriptis 1617. 2. *Ian.* Qui deinde 1632. 18. *Sept. sub præcepto* Sanctę obedientię, & pœna excommunicationis, cum videret linguę vitia in librorum quoq; Scriptores irrepsisse, *seuere prohibuit*, *Ne quis* Societatis quocumq; obtentu siue directè, siue indirectè, suo aut alieno nomine, aut alio quocumq; modo quidquam scribat, aut scriptum typis excudendum tradat, aut

ab

ab alijs tradi sinat, in quo aut *ex instituto*, aut ex *occasione* tantum, & *obiter* quidquam sit, quod *offensionem* creare possit &c. Vtinam hęc lex, alięq; ad *venenosa huius, atque execrabilis planta* (sic loquitur idem R. *Vitel.*) *fibras euellendas* statutę leges *viuę, ac vigentes vsu* ipso declarentur, vt de omnibus Constitutionibus, ac Regulis habet *R. Aquau.* initio *c. 17. in lib. ordin.* ac nunquam *desint animata instrumenta*, quę Spiritum subministrent, & *viuidam illarum praxim exerceant*, vt inquit idem initio *c. 1. Instruct. de spir.* ad Super. Has non ad speciem quamdam solùm, sed vt verè praxi ipsa comprobentur, ed tas declarabunt Superiores, si earum violatores, maximè publicos, seueris notisque affecerint pœnis; ad quod facilius impellentur, si sibi suaserint, ex calumniosis, mendacibusque hisce libellis (quando euulgarentur) valide sui ordinis ęstimationem minui, & hoc ipso declarari apertissimè posse, non in illo primęuum Vigere spiritum; *Multoq; magis id patere*, si ad *Honores literarios* quoque eueherentur *huiusmodi librorum scriptores*, ac libri huiusmodi essent in *Vrbe scripti*, & à *Generalibus librorum Recognitoribus*, & ab ipsomet supremo eorum Preside approbati &c.



Reuerendissimo Patri Magistro

IO: BAPTISTÆ LEZANÆ

Matritensi e Sacro Carmelitarum Ordine;

IN ROMANA SAPIENTIA

Publico Professori;

S. CONGREGATIONIS INDICIS

Consultori;

Ob singularem

Tum Morum Integritatem,

Tum Scientiæ Præstantiam,

Quam in Eruditis, Pluribusque

Editis Voluminibus

Præfert,

Valde Spectabili;

Animaduersiones Quinquaginta

PRO ILLO, QVI LIBROS LEGIT

IVLIVS CLEMENS SCOTVS

Comes Placentinus

Illius Pietatis, ac Doctrinæ

Cultor

D. D. D.

Caput Sextum.

1 ANimaduertat, licet plurimorum lectio Librorum *Iure nullo Positiuo* vetaretur, Iure tamen Diuino, ac Naturali posse meritò arbitrari sibi eorum lectionem vetitam; *imò* licet omnes, vel quosdam libros, quorum lectio communiter interdicitur, Legendi facultatem haberet, hinc non fieri, quominùs sæpnumero peccare posset contra Ius Diuinum, ac Naturale illa vtens: solùm legibus à Iure *Positiuo* impositis non subiaceret, nec in exteriori foro accusari posset. 2. *Intelligat*, nullius libri lectionem esse ita intrinsecè malam, vt aliquando illa alicui non liceat. Quando autem id contingere possit, stante etiam lege Positiua illius lectionem vetante, erit hic, & nunc pijssimi, doctissimi, ac prudentissimi Viri Consilium. 3. *Cum inter libros*, quorum vetita est lectio, aliquorum magis, quam aliorum lectio possit esse vetita à Iure tum Diuino, ac Naturali, tum Positiuo; animaduertat grauius se peccare posse dum vnum euoluit librum, quam alium. 4. *Sciat* leges aliquas Positiuas librorum nonnullum lectionem vetantes non esse receptas vbique, alicubi non integrè receptas, alibi consuetudinem contra illas præscripsisse &c. Nec licet aliqui assererent illas obligare in certis locis, talem re vera obligationem in foro interiori existere, dum constaret vel probabilius, vel probabiliter saltem, legitimè consuetudinem contra illas inualuisse, aut non *esse* receptas &c. In dubio standum sensui, vel praxi hominum, qui sint *Deum timentes*, simulq; *Periti*, ac *Sapientes*; Quæ tres conditiones requiruntur omnes; neque enim in hoc standum est iudicio hominum, qui sibi licere putant, quod libet; nec hominum scrupulis obnoxiorum, & qui consuetudinis imperiti sint; vel qui ignorant ad quid, & quando lex obliget &c. *Possent* aliqui; & grauiter, peccare, dum tanquam certum assererent, aliquam legem obligare, dum illa re vera non obligat, vel probabiliter non obligat; aut affirmarent vniuersaliter illam obligare, dum in certis tantum circumstantijs loci, temporis &c. vel certum tantummodo personarum genus obligaret: *Possent* etiam nonnulli ex Iure Diuino, ac Naturali teneri, ne aliqui propter erroneam conscientiam errarent legem formaliter violantes, quæ reuera non obligat, ad manifestandam hisce veritatem, & aliquando etiam ad declarandum, licet Ius Diuinum, ac Naturale illis omninò prohiberet quorumdam librorum lectionem, non tamen ex Positiua lege vlli culpæ, aut pœnę subiacere. *Prudentia* tamen hìc maximè necessaria est. 5. *Quamuis e Positiua lege* interdiceretur solùm, ne quis librum aliquem legeret, & contra illam non peccaret, qui eum legentem audiret, nec qui lineas aliquot, vel pagellam solum perlegeret &c. Norit tamen, hunc adhuc peccare posse contra Ius Diuinum, ac Naturale, licet posset non subiacere pœnis à Iure Positiuo

impositis &c. 6. *Cum aliquorum lectio* librorum prohibita esset Iure Diuino ac Naturali, ratione periculi proximi in mortalia peccata labendi, & hoc *periculum certum* foret, perpendat, quemcumq; *certò* teneri per se illud vitare; cum esset *probabile* tantum, quemcumque *probabiliter* solum teneri illud vitare; *An verò* possit nonnullus, imò & aliquando debeat subire periculum peccandi in aliquorum lectione librorum, à peritioribus est indagandum. 7. *Vir prudens*, ac *Sapiens* non statim peccati mortalis reos faciat Iuuenes quoscumque, vel sæculares homines libros nonnullos, qui *Amatorij* etiam dicuntur, legentes; præterquam enim aliquorum voluntas ita potest esse obfirmata in bono, vt sint citra periculum proximum peccandi, propter actus scilicet, quos frequenter eliciunt, non violandi legem Diuinam, intensioremue actum circa hoc idem, vbi etiam sæpè lapsi forent ex huiusmodi librorum lectione, ideoq; cessare videatur certum saltem peccandi periculum proximum; hi libri leguntur sæpè, *vel* ob nudam talis facti, aut dicti cognitionem, sumiturq; delectatio ex modo tantum, quo res aliqua gesta, aut dicta fuit; *vel* ad perfectiorem latinæ, aut Italicæ &c. Linguæ cognitionem, quæ ex alijs libris ita commodè, & vtiliter haberi nequit &c. Et nonnullorum quidem appetitum e tali nullatenus affici, aut prouocari ad peccandum grauiter, plurium experientia compertum est, noruntq; etiam Confessarij, e quibus vnus in quadam præcipua Italiæ Vrbe vir valde Pius, Prudens, ac Doctus Adolescentem nobilem quemdam benè moratum, cuius Confessiones excipiebat, hortatus est non multis ab hinc annis, vt Comedijs, quæ non erant quidem piæ, sed minùs honestæ, interesset aliquando, expertus inde iuuenis conscientię damnum non importari. *Notum est* etiam (nec deest ratio id suadens) homines à mundo, vt dicitur, segregatos, & qui intra cellas, vel Domos se continent, faciliores, ac vehementiores pati tentationes, *vbi* in imagines aliquas minùs pudicas, vel in obiecta per se libidinem irritantia incidunt, *vbi* aliquorum narationem, vel lectionem obscænorũ audiunt, quam sæculares multos, quibus hæc passim obuia sunt. *Verum quidem* est communiter omnes, ac nominatim Iuuenes, à multorum lectione librorum dehortandos, & ab aliquorum etiam magis, quam aliorum; sed abstinendum est à iudicio plane certo, quod hi ex præcisa librorum huiusmodi lectione peccent. 8. *Abstineat* quiuis ab *eorum* lectione *librorum*, quos experientia docuit animæ saluti graue detrimentum afferre, licet hinc multum in doctrina proficeret; nam *Animæ salus* cuique alteri præferenda bono semper: eorumque similiter, qui nihil plane vtilitatis afferunt, vel ad Pietatem, Bonosq; Mores, vel ad Scientiarum, Historiarum, Linguarum &c. cognitionem. *Ad relaxandum tamen animum* Viro etiam Sapienti, & in Scientias seriò incum-

cum-

cumbenti facetorum nonnullorum, fabulas, ficta que dicta, vel facta expone t um librorum lectio non interdicitur: Et horum quidem Scriptores, licet nihil morale sub illis occultarent, licet multa haud digni essent laude, si tamen sibi proponant homines à vitiosis, peccaminosisque actionibus reuocare (dum enim huiusmodi libros legunt, non detrahunt, non blasphemant, non agunt de obscænis, nō oculis fornicantur) etiam coram Deo præmio dignam actionem exercere poterunt; sicuti etiam literatus eorum lectioni quandoque vacans, vt hinc alacrior suos labores in *Dei gloriam, proximique vtilitatem* impendere queat. 9. *Præ cæteris* libris, maximè si Latinam, vel Græcam calleat linguam, *Sacræ Scripturæ Codicem* præ manibus habeat. Ad euoluendum illum accuratè SS. Patres hortabantur olim quemcumque, ac nominatim Patres familias monebant, vt in dies singulos coram domesticis eum perlegerent. Ab Infantia illius lectio esset auspicanda. *Dolendum*, si Hebrei, ac Hæretici, eorumque pueri essent magis in Sacris versati literis, quam Christiani, Catholicique; *Nec mirandum*, quod nostris sæculis malitia maximè *abundaret*, ac frigesceret Caritas, si lectio *Scripturarum* frequens desijsset; notum est enim, illarum lectionem probos sensus, ac mores sensim instillare, nec potest id non per se euenire, cum sint Dei ipsius, qui est summa bonitas, verba. In illis præterea latent omnes ferme scientiæ; *Moralia, Politica, Oeconomica* Præcepta, ac exempla in breui Sacrarum literarum Codice plura leguntur, quam in quocumque alio; Historiæque sacræ non possunt etiam non maximam animo afferre iucunditatem. *Quæ Inurbanitas* quoque, hasce ad nos à Deo missas literas non perlegere, diligentiusq; Vacare perlegendis Epistolis Ciceronis, Plinij, Aldi &c. Vtile autem erit semper penes se habere illustrem nonnullum Catholicum interpretem, qui breui literalem sensum in difficilioribus S. Scripturæ locis tradiderit. 10 *Cum infinitus* sit ferè librorum numerus, & in vnaquaq; etiam scientia tot cōscripti sint, vt nullius ferè hominis ætas videatur satis esse ad eos, qui in vnaquaq; tantum scientia scripti sunt, perlegendos, certos seligat, ac illos nominatim, qui maiori in pretio à Viris in tali scientia peritis habentur: Semper quidem legendi, & accuratè, qui conscripti sunt à Sectarum, Scholarumq; Principibus. Hinc cum certorum etiam librorum lectio sit alijs præferenda, nouerit quinam *necessario simpliciter*, & quinam *necessariò secundum quid*, siue commodè, & vtiliter euoluendi sint. Et illorum quidem lectio non omittenda, horum procuranda. *Quinam sint hi*, incipienti standum Peritorum iudicio. 11. *Habeat potius* libros typis editos, quam manuscriptos modò; Nam nostris hisce sæculis, quibus typographica ars inuecta est, haud eos sedulos, accuratosq; librorum scriptores habemus, quos prisca

habue-

habuerunt sæcula. Amanuenses isti solent esse viri admodum imperiti, & vix sillabas vt plurimum simul nectere norunt. 12. *Si habere queat* manuscriptos *antiquorum Patrum, Doctorumque celeberrimorum* libros, impressis illos præferat; nam hi non adeò sinceri quandoque, illi verò diligentissimè scribi consueuerunt, paucioraq; errata in illis, quam in impressis deprehenduntur. Inter *Manuscripta* verò potior illis habenda fides, quę in *vetustissimis Bibliothecis* custodiuntur, seruataq; sunt *apud Nationes, Populosq;* ac *Homines* morũ magis candidorũ, & qui, cum nulli parti essent addicti, oriri nequit probabilis suspicio, quod aliqua addiderint, vel demserint &c. Et quo quidem vetustius manuscriptum, eo maiorem per se fidem exigit; nam in minorem simplicitatem degenerasse semper sęcula dicuntur. 13. *Ex impressis* emat, qui sint cęteris correctiores. Correctiores modo solent imprimi in Belgio *Antuerpiæ Amsterodami*, ac *Lugduni Batauorum*, in Gallia *Lugduni*, ac *Parisijs*, in Germania *Coloniæ*, ac *Francofurti &c.* Italiæ Vrbes hac laude, quam olim habuerunt eximiam, destitutæ iam sunt. *Decem* quidem causæ librorum qui imprimuntur, deprauationis solent à nonnullis recenseri; *Ignorantia*, scilicet peregrini sermonis; *Inscitia* facultatum; *Deprauati Codices*, & maximè qui transcripti; *Similitudo* literarum; *Compendiaria* literæ, aut Abbreuiaturę; *Vocum* assonantia, ac similitudo, *Vnius* literæ detractio, additio, transpositio; *Mala* translationes; *Aliquorum Malitia*, qui proprios sensus, aut clausulas alienis inserunt, vt maiorem suis existimationibus concilient auctoritatem; *Illorum incuria* qui characteres componunt &c. Ab alijs autem octo, hoc est, *Additio Puncti*, ac Dictionum: Ablatio: Contractio: Transpositio: extensio: Distinctio: Copulatio: & Mutatio, vel Literarum, vel Dictionum, vel Puncti, vel *Accentus*. Verum pręcipua est *Correctorum Imperitia*; Quis enim nõ videt (excipiuntur ipsi librorum scriptores, qui non solent esse ad id munus idonei) si probi, egregijq; ac laboris patientes fuissent, forentque Correctores, & bis, terque, ac pluries, cum opus foret, quæ imprimi cœperunt, recognouissent, ac recognoscerent, pleraq; ex his causis haud locum habituras? & Præstantium quidem Correctorum defectus adscribi maxima ex parte potest iuxta multorum sententiam *Bibliopolarum*, siue eorum, qui libros imprimendos curant *Auaritiæ*, nam Correctorum laborem valde exiguo compensant præmio; patetq; experientia ex illis Vrbibus, in quibus lautum est Correctorum stipẽdium, libros etiam Correctiores prodire. Cum autem hinc ingentia in literariam Rempublicam, indeque in Ecclesiam, Vniuersumque Christianum Orbem importari queant incommoda (& vtinam multa hactenus non fuerint importata) cum maximo nominatim mutuę Caritatis, Pacis ac Religionis etiam ipsius detrimento, Quidam publici amantes boni cuperent, vt certis solum Bibliopolis in vnaquaq;

Pro-

Prouincia, ijſque in aliquorum impreſſione iam probatis, daretur facultas libros imprimendi, & vbi errata nonnulla ſenſum pręcipuè immutantia irrepſiſſent, eorum venditio librorum omnino interdiceretur, imò quandòque igni publicè traderentur. Non parcat ergo maioribus ſumptibus in emendo correctiori libro; imò impreſſorum Auaritiam puniat ipſemet quoque nedum ipſemet non emens, verum etiam monens, ne illorum, qui parum de correctione ſolliciti imprimunt libros, vel eos curāt imprimendos, libros emant viliſſimo etiam pretio alij. 14. *Si quando* alicui ocurrant libri, ſiue manuſcripti, ſiue impreſſi, qui ſint male correcti, diſſonoſque plane ſenſus reddant, horumq; lectione, aut citatione egeat, an ipſemet eos corrigere queat, congruumq; aſſequi ſenſum poſſit, ſollicitè videat; Ad quod conducet, ſi attenderit. *Primo* ex *Maiuſculis Romanis* ſæpè reponi B *pro* V, & B. C. *pro* Ci, & X. D *pro* L, R, ac T. E *pro* O, F, & I ſępiſſimè. F *pro* E, & P. G *pro* C, & Q. I *pro* A, & E. L *pro* D. M *pro* N, ac viciſſim. O *pro* Au. P *pro* B & R. Q *pro* G. R *pro* D, & S. S *pro* R, & X. T *pro* D. V pro A, B, & O. E literis Minoribus, a pro d, e, i, o, œ, u: æ pro e; au pro o: b pro d, n, ie, ſ, u frequentiſſimè: c pro d, q ſæpiſſimè, ſ, t, u, & x: ci pro d: cl pro d: d pro a ſæpiſſimè, c, cl, e, h, l, n, ol, pl, t, & x. e, pro a, c, f, i ſępiſſimè, o, t etiam ſępiſſimè, & u: ei pro i: f pro c, h, i, ſ, ſt: g pro c ſæpiſſimè, ch, d, qu, ac t: h pro b, d, ac t: i pro c, l, ſ, t, & u. l pro b, d, h, i, ph, ac t: m pro in ſæpiſſimè, n, nc, ni etiam ſæpiſſimè, tn, ac z præſertim in fine dictionum: n pro b, c, d, m, r, & u ſæpe: o pro a, au, g, u ſępiſſimè, œ pro u: p pro b, f, q, & u: ph pro f: q, vel qu pro c, cl, & d: r pro d, c, i, n ſæpiùs, ſ ſæpiſſimè t ſępe, & pro u: ſ pro c, e, i, l, p, r ſepiſſimè, t etiam ſępiſſimè, x ſæpe, ac pro z: t pro c, d, e ſæpe, f, h, i ſæpiſſimè, l ſępe, n, p, ſ ſæpiſſimè, r, ſępiſſimè etiam, x, & z: u pro a, b ſępiſſimè, d, i, ſępe, ic, n ſępiſſime, ni, o etiam ſępiſſime. x pro d, & r ſępiſſimè: y, y ſępe pro u: z pro m ſępiſſimè, ac pręſertim in fine dictionum, pro cit, & ſſ. *Secundo* ex literis quoque aliquas *omiſſas*, *ſiue* vitio dictantis, vel Reſcriptoris, vel ipſius quoque Auctoris; ſiue ob inſcitiam correctoris, ignauiumq; impreſſorum, quę omiſſio facilius contingere potuit in conſimilibus literis, & in literarum compendijs, dum illę conſcribendę, aut imprimendę forent integrę; aliquas *ſuperuacaneas* additas; quod maximè contingere potuit, cum eadem vel ſimilis litera pręcedenti ſubſequitur: aliquas *Compoſitas*, quę ſeiunctę erant, atque e contra: aliquas tranſpoſitas &c. *Tertio* e ſillabis quoque, alias eſſe *additas*, ac nominatim ſillabas pro literis repoſitas: aliquas *omiſſas*, in dictionum principio, vel medio ſępius, ac in fine interdum: alias eſſe *tranſpoſitas*; alias *otioſas*, ac *ſuperuacuas*, & id plerumque ex repetitione pręcedentium, aut ſubſequentium &c. *Quarto* e Verbis

aliqua

aliqua esse corrupta, *vel* in totum, *vel* in *dissimilia*, maximè in principio, ac fine; vel in *similia* in principio, medio, ac fine: *aliqua* omissa, ac integra sæpe, quæ nonnisi propter vicinarum literarum similitudinem homines valde periti assequi possunt; *aliqua* superuacua addita ex repetitione proximorum sæpe; idque in versuum principio, ac fine præsertim, atq; in Glossis, quas vna cum contextu Legum Ciuilium nominatim ex librariorum imperitia descriptas, editasque fuisse Docti norunt. *Hinc fit*, vt non nisi diligenti lectione libri, accuratoque iudicio, etiamsi hæc, & alia, quæ *Franciscus Robortellus* Vtinensis, & *Gaspar Scioppius* Comes à Claraualle (ille anno 1567. 18. Martij, hic anno retro elapso die 9. Nouembris *Patauij* e viuis excessit, omnibus Ecclesiæ Sacramentis summa animi alacritate non semel petitis, & singulari cum pietate susceptis, Fidei Professione coram quinque Patauinæ Acad. Professoribus habita, eaque coram Testibus septem scripta Notario oblata ad retundendas aduersariorum quorumdam calumnias, qui forsan cupijssent ad illius mores damnandos facilius, vt hæc ille non præstitisset) Viri ambo eruditissimi, Græcę linguæ peritissimi, ac in Morali Philosophia, ne dum Humanioribus literis, valde illustres, de *Corrigendi Arte* tradiderunt, optimè percipiantur; vt plurimum saltem nec moraliter posse certum haberi, quod ita & non aliter Corrigendus sit liber, maximè si antiquior, omniaque deficiant manuscripta. Quare non nisi *coniecturaliter* in multis Auctorum sensus multorum legenti et ante huiusmodi imbuto arte potest esse perspectus. *Verissimum quidem est*, cum literarum, syllabarum, Vocumq; deprauatio e compendiosa scribendi ratione, siue Abbreuiationibus sępe contigerit, homines ingeniosiores, quibus illę notæ sunt, aliqua facilius corrigere posse, Auctorumque sensum habere exploratum, eumq; aliis tradere. 15. *Cum varia* eiusdem *Auctoris libri, aut loci* Lectiones existant non rarò: Quæ Varietas oriri potuit; *Vel ab Auctoribus ipsis*, qui a se primò scriptis aliqua demerunt, aut addiderunt; *Vel à Librariorum* incogitantia, inscitia &c. *Vel a Sciolis quibusdam*, qui nonnulla ab Auctoribus explicari posse melius, aut clarius arbitrantes aliqua adiecerunt, aut abstulerunt; *Vel ex aliquorum fraude*; cum enim scriptores aliquos, quos haud suis fauere opinionibus animaduerterant, maximam obtinuisse auctoritatem cognoscerent, ne hi possent contra se afferri, illos alijs in libris, editis precipuè post illorum mortem, aliter loquentes effinxerunt, ac impressores ad id coegerunt metu, aut pręmio; *Vel quia Notæ*, *Scholia*, & *Glossemata* inter lineas aut ad librorum oras reposita in opus ipsum irrepserunt; *Vel quia reposita* nonnulla, & ab indoctis sępe eorum loco, quę *vitio temporum*, siue *vermium*, *tinearum*, *murium* (quę animalia interdum integra etiam folia abrumpserunt)

ferunt) e libris olim integrè fcriptis exciderunt; *Vel quia* cũ nonnullis haud nota foret cõpendiofa fcribendi ratio, refcribentes, aut imprimẽtes librũ in multis decipi potuerũt vocibus &c. Ideò lectionem illam magis probet; *Quæ magis congruit* Vocibus, ac fenfui Auctoris, qui alibi, *fiue* ex eodem libro, *fiue* ex alijs innotefcat; *Quæ a verfatis* in tali Auctore magis, eiufque linguæ peritioribus probatur ante cæteras; *Quæ laudatur* maximè à præcipua aliqua in Catholico Orbe Academia &c. 16. *Haud facilis* eft habenda fides omnibus, qui afferunt manufcripta, vel dicunt, fe huius, vel alterius Auctoris, & præcipuè fi fit e celebrioribus, manufcripta in lucem edenda, typifq; mandanda curaffe. Fraudum poteft effe periculum ab aliquo nominatim vafro hominum genere, & maximè fi hæc recenter euulgata multam habeant connexionem cum libris iam editis, fiue contineant res, quæ dicantur geftæ eodem prorfus tempore, in eodemq; loco, & ab ijfdem perfonis, quarum actiones libris iam editis innotuerunt, nec eft verofimile ab harum Scriptoribus omiffas. *Qui Manufcripta* afferunt, eaq; imprimenda curant, referant, *penes quos* illa fuerint reperta, reperianturque; in *quibufnam Bibliotecis* illa fuerint afferuata, & afferuentur &c. Si id non doceant, fufpecta fit lectori eorum fides; multoque magis, fi dicant, cuftodiri in reconditis quibufdam Bibliothecis, quas nemini adire liceat, nec hominibus doctis detur facultas libros, qui in illis reponerentur, videndi; aut eorum exemplaria deinde abfumpta igne &c. 17. *Eorum præ cæteris lectione* librorum oculos detineat lector, qui rotundioribus, maioribufque caracteribus defcripti, aut impreffi habentur: *Solent* hi effe magis correcti; minùs illis oculorum acies retunditur; præterquam legentis alacritatem fouere videntur. 18. *Scriptorum*, & præfertim in *vnaquaque fcientia maximè illuftrium Indicem* habeat; cum *annis*, quibus Auctores floruerunt; *anno*, quo tales libri confcripti, aut editi &c. hoc enim præ cęteris commodum reportabit, quod cognofcet, quidnam vnus ab alio acceperit, quid noui fubfequens addiderit &c. Multumq; eruditionis, ac doctrinæ in qualibet fcientia affequetur ille, qui ex ætatum, annorumque ordine pręcipuos faltem Auctores, qui de aliqua fcripferunt fcientia, perlegerit. 19. *Norit*; *Cuius* Prouinciæ, ac Ciuitatis fit Scriptor, cuius librum legit; *Ex quibus* natalibus; *Quibufnam* vacauerit ftudijs, *Quo* in munere, aut in qua Dignitate conftitutus; *Cuiufnam* feruitio addictus, *fub* cuius Aufpicijs, & an alicuius iuffu, aut rogatu, fiue nutu confcripferit, aut ediderit librum; *Quo in loco* vixerit Auctor, liberque fcriptus, ac editus: *An* honeftorũ fuerit Auctor morum: *An* multæ famæ apud Viros Doctos, qui tamen non fuerit æmuli; *An* ex his nonnullos, & quos habuerit: *An* aliquod incommodum paffus fuerit propter libri editionem: *An* obiectiones, vel

P calum-

calumnias suæ illatas doctrinæ repulerit &c. An viuat adhuc : An alios vulgarit libros &c. Quò plura ex his, similibusque norit lector, eò perfectiorem multorum, quæ leget, notitiam assequetur, amplioraq; reportabit ex librorum lectione commoda. 20. *Cum magis liberè, ac sincerè*, minusque adulatoriè, minusq; ad aliorum sensum videantur scripsisse antiquiores, quam recentiores, illorum libri de quibusdam quæstionibus agentes ante cęteros habendi, ac legendi; imò hi studiosè colligendi, caro etiam emendi pretio, eorumq; noua impressio omni ope curanda; possent enim aliqui omnem adhibere operam, vt eorum aboleretur memoria, eo quod sibi minùs viderentur fauere, vel ostendere mores, leges, Consuetudinesq; horum sæculorum esse valde dissimiles præcedentium moribus, legibus, consuetudinibus &c. istaq; manifestatio esset ob priuatas causas, siue priuata commoda illis valde ingrata. *Videndum* tamen semper, an aliquod verè contra horum antiquiorum sensus extet Ecclesiæ Decretum ab ijs, qui legitimam ad id habent facultatem, conditum, illos tanquam falsos erroneos &c. reijciens; nam huic sine dubio standum. *Potissima* etiam ne dum in Theologicis, & Canonisticis, verum etiam Philosophicis, Medicis, Mathematicis, Ciuilibus &c. Lectio sit antiquiorum: ex illis, tanquam e *Sapientiæ fontibus* haurienda est *Sapientiæ* aqua; *Recentiores* plerumq; *Riuuli* sunt; quorum libri si euoluantur, ac diligentissimè cum antiquioribus conferantur, cognoscitur sępissimè ea, quæ magis à quibusdam in Recentiorū quorumdam libris suspiciuntur, illos accepisse ab antiquioribus, quorum nec mentionem faciunt, licet moraliter certum sit, hos prę manibus habuisse. *Ne sit* tamen adeò in Antiquiores propensus, vt multorū qui à *Recentioribus* conscripti sunt, librorum lectionem omittat; nam *aliqua* ab illis accuratius explicata, ac discussa, *aliqua* recenter inuenta, & excogitata multa cum laude fuerunt. 21. *Expedit valde*, vt exploratos habeat libros, quos indubitatum est ab illis conscriptos, qui Auctores dicuntur: cum enim *dubium* verè est, an aliqui sint a nonnullo conscripti, quo modo tanquam *Probabilis*: si *Probabile*, vel *Probabilius* solummodo est, quod fuerint conscripti; qua ratione tanquam *Certa* afferri potest illorum Auctoritas? 22. *Ne ex hoc præcisè* existimet librum aliquem ab aliquo Auctore scriptum, eo quod videatur esse eiusdem cum alijs Auctoris eiusdem libris styli: nonnulli enim alienum egregiè imitantur stylum, sicuti & caracteres, ita vt dignosci ferme dissonantia nequeat, vel nonnisi ab Homine, qui in illo Auctore sit versatissimus: *Imò nec* idem Auctor eiusdem semper est styli, potestque alieno ex industria se conformare stylo; ac præterea materiæ diuersitas in stylo quoque diuersitatem exigere potest frequenter. Quare si alia adsint argumenta probabiliter suadentia,

vel

vel talem simillimi styli librum non esse à tali conscriptum Auctore, haud habendus est certò tanquam talis Auctoris; vel talem *dissimilis Styli* esse ab eodem conscriptum, non est tanquam indubitatè ex aliorum Auctoris eiusdem librorum numero reijciendus. 23. *Conducit etiam quam* maximè, perspectissimum habere, *Quinam* Libri *Primò* ab Auctore cõscripti: nam ex subsequentibus magis antecedentium sensus innotescit; & sententia, quam vltimò amplexus est, per se præferenda priori. 24. *Si quis liberè priorem* retractauit sententiam in nonnullis, maiori in pretio alia doctrina ab eodem Auctore tradita absque dubio habenda; id enim ingenuum illius indicat animũ, ac studium in Veritatem, quæ si in alijs materijs sibi innotuisset, non pertinax fuisset in deprehensa falsitate propugnanda, ac ingenuè falsitates deprehensas retractasset. *Si autem* notum sit, aliquem *coactum* opinionem aliquam retractare, vel emendare librum &c. pro priori potius opinione, ac doctrina illum stare lector animaduertat. *Cum dubium* verò esset, vel *probabile*, talem opinionem, aut doctrinam inuoluntariè retractatam, ector fieri potest de Auctoris sensu certior, *vel* ab ipsomet Auctore, *vel* ab illis, qui cum illo familiariter agunt, *vel* ab huiusmodi publicarum rerum Conscijs &c. 25. *Ne ex eo quod interdicatur* alicuius libri lectio, putet omnia in illo reclusa esse Veritati, aut Bonis moribus &c. dissona. Aliquorum interdicitur librorum lectio, in quibus verissima solùm recluduntur; quæ tamen aliqui censere queunt (in quo diuersitas iudiciorum sæpe existit, sicuti & in cẽsendo, quodnam sit publicũ bonum; nam ex multiplici capite istud haberi, ac excogitari potest) haud bono publico expedire, vt passim legantur &c. 26. *Sit tardus* in habenda fide illis, qui assererent alicuius libri lectionem esse alicubi interdictam; Possent enim aliqui id euulgare *consulto*, vt deterrerent multos, imperitos tamen, à nonnullorum lectione librorum, qui minùs arriderent sibi, & *vt* aliquam ignominiæ notam huiusmodi librorum Auctoribus inurerent; in quo qua ratione à mendacio, & à peccato contra Caritatem, Iustitiamq; possent excusari, Theologi certè peritiores ignorabunt: Posset autem noua quædam à nonnullis excogitari Theologia (sed adultera) quæ redderet licita quæcumque sub publici specie boni, Nonnullorum commodis fauentia, etiamsi apertæ detractiones aliorum forent &c. Nisi autenthicum, vel legitimum talis interdicti afferant testimonium, eos tanquam falsarios, ac detractores repellat. *Qua de causa* etiam haud omittat eos emere libros, quos nonnulli publicarent interdicendos, siue quam primum eorum interdicendam lectionem &c. *Experientia sæpè* patuit, hasce voces e *mendacij* spiritu ortas, a *malignis, inuidisque hominibus* profectas, quorum etiam consilium fuit efficere, ne alij, ac nominatim Bibliopolæ hosce libros haud sibi

fauentes emerent &c. 27. *Cum legitimè sibi constat*, alicuius libri lectionem esse vetitam; Videat, *An talis lex* condita ab illis, qui *Vniuersalem* ad id haberent Potestatem, neque enim Inquisitio v.g. Hispana habet Iurisdictionem in Gallia, vel Italia: An sit *Vniuersalis prohibitio*; nam aliqui certo in loco, respectu quorumdam &c. possunt vetari: *An istud interdictum* fuerit reuocatum, vel expresè, vel tacitè, permittendo vt talis liber publicè etiam vendatur &c. possunt enim variari iudicia illorum, ad quos spectat librorum lectionem interdicere; imò & quandoque teneri possunt hi ad alicuius praecedentis iudicij tacitam saltem retractationem: *Quibus verbis* prohibitio edita; nā *aliqui* absolutè interdicuntur; *aliqui* suspenduntur, donec corrigantur; *aliqui* in Prima *Prohibitorum librorum* classe reponuntur; *aliqui* in Auctoris tantummodo abominationem, licet per se laudabiles forent, vetantur &c. Expedit etiam in primis Scire, *Propter quas* causas libri lectio vetita; *An Auctor* alicubi habeat æmulos, ac potentes; *An nonnulli* multam habeant alicubi etiam auctoritatem, satagantque siue metu, ac minis, siue premijs, promissisque, ne sincerum feratur suffragium &c. 28. *Ne se mentis* inopem declaret in censendo, quod non sit commendabilis, multoque minùs quod tanquam perniciosus, adeoq; subiacens interdicto habendus foret liber, quo ostenderetur, aliquem posse in nonnullis iurisdictionem, aut Potestatem exercere, licet eam perlecto etiam libro non exerceret; possent enim plures adesse causæ, propter quas prudenter existimaretur tunc haud illam exercendam: Præterea cū posset esse liber conscriptus *conditionatè*, possent non adesse adhuc omnia illa motiua, quæ dicerentur posse satis impellere ad talis potestatis exercitium &c. *Nec censendus* etiam ab illo damnatus liber authenticè (licet ad id haberet Potestatem) qui aliqua scriberet minus illi consona, aut etiam dissona. *Quid* si illum non legeret: & falsa ab æmulis circa nonnulla in tali libro reposita, illi narrarentur! *Quid* si ille prudentissimus, ac sapientissimus Vir de Causę tota serie factus plenè certior haud eumdē haberet postea sensum! *Quid* si æmuli huic libro responsionem afferre non auderent, vel nequirent illius Doctrinæ Improbabilitatem ostendere! *Quid* si ille à celeberrimis sapientia, ac Pietate Viris valde commendaretur! Scriptor certè, qui tales libros minùs honesto nomine cohonestaret, & ex gestis à Viro, qui summam haberet auctoritatem, aliqualem huiusmodi librorum notitiam assecutus, eos vt damnatos simpliciter proponeret, inter Detractores esset enumerandus; & cum falsarium esse deprehenderetur, nec semel, posset quiuis lector rationabiliter suspicari saltem, an cætera omnia, quæ de suo ementito intelligentiæ thesauro profert, sint à veritate prorsus aliena. 29. *Licet cæteris paribus* præferendi nonnullis videantur libri,

bri,

bri, qui plures habent approbatores, *Animaduertat* tamen: *Tum* Approbatorum *Qualitatem, non Numerum* iure attendendum: *Tum* Approbatores quosdam posse valde familiares esse illi, qui libros scribit, ab eo posse aliqua sperare, ac nominatim aliquod par in recognitione librorũ, aut laudes insertas etiam libris &c. *Quosdam* etiam minis, aut metu compelli ad nonnullas, & ad quibusdam conceptas verbis approbationes &c. Et experientia quidem patere posset, non paucos ab illis, qui ad id habent potestatem, *flagitare vt certos* sibi statuant librorum recognitores; *quosdam illis* etiam vltro offerre, qui recognoscere queant librum, quos tanquam ineptos, vel non satis idoneos, licet re ipsa sint parum apti, recusare se non posse hic & nunc arbitrantur; *differre etiam* libri recognitionem, quo vsq; amicissimum approbatorem sortiantur; *ac tot posse illos tradere* recognoscendos, vt tandem vnum haberent ex illis approbatorem, licet non valde commendabiles forent hi libri. Fieri *præterea posset*, vt licet liber aliquis sit summæ eruditionis, doctrinę præcellentis, ac summæ vtilitatis &c. Vix vnum reperiret approbatorem aut laudatorem; eo quod plerique detrectarent illum approbare, aut laudare, ne in aliquorum incurrerent odium, aut minus beneuolum animum, qui foret immortalis fermè in illos, quos semel odisse, aut persequi cæpissent, licet sub Caritatis etiam specie illum obtegere niterentur: Quare longe laudabilior posset esse liber, qui vnicum haberet approbatorem illis, qui multos fuissent sortiti. *Nec prudens lector* Auctoris laudes reponat in ijs laudibus, quas initio libri viderit præfixas, tum à nonnullis approbatoribus, tũ ab alijs; vltro enim Scriptores nonnulli, & forsan qui libros suos vendibiles imperitis nonnullis reddere volunt, cæteroqui de venditione dubij, eas quærunt; imò & alij, vt ipsorum nomen vna cum Auctoris celebris fama euulgetur, vltro offerunt laudes vincta maximè oratione comprehensas, illius inserendas libris. Sicuti manifesta adulatio in nonnullis deprehenditur; sic alijs debitæ denegantur laudes. Hinc cautissimè lector procedat in ferendo ex omnibus hisce approbationibus, ac laudibus de Auctoris scientia iudicio. 30. *Ne in Auctorem vllum* siue odij, siue amoris affectum gerens, ad illius librorum lectionem accedat. Si in illum haud sit beneuolus, ac illius Doctrinæ, Honori, Famæ infensus, aurea sapientiæ effata, tanquam ferrea, vel plumbea, ac etiam futilia censebit: si plus æquo illi tribuat, aut amore illum prosequatur, futilem quoque doctrinam tanquam auream, vix probabiles rationes tanquam certas, Sophisticas tanquam probabiles existimabit. *Qua de causa etiam*, ne ex præiudicata iam erga vllum hominũ genus propensione libros ab illis conscriptos legat, quasi quicumque ab illis editi, sint valde eruditi, aptè scripti, ingeniosi, pares, vel parum

inte-

inferiores nonnullis,quos iam ediderunt &c. Si enim illam deposue-rit,cognoscere poterit;*multos* esse ex alijs rescriptos,solumque esse aliorum veluti congeriem; *multos* de leuissimis,vel de grauibus quoq; leuissimè tractare;*non paucos* ex aliorum manuscriptis excerptos ; *aliquos etiam* ex aliorum libris , qui non obuij sunt , vel quorum lectio , est vetita , vel qui in remotissimis scribuntur regionibus , titulo , aut quo simili permutato totos fermè descriptos , *plurimos* nec mediocritatem attingere ; *nonnullos* autem esse planè indignos,qui legantur vt pote opiniones veritati Catholicæ dissonas , vel Bonis moribus non congruas, multasque falsitates, ac mendacia apertissime &c. continentes ,& *interdum* etiam *famosos* esse *libellos &c.* 31 . *Libros potissimùm ab Auctore viuente* editos prudens lector euoluat ; in posthumis enim de nonnullorum maximè fraudibus probabilis suspicio erit , si experientia declarasset iam esse in hoc infideles : Qui enimuerò publicis etiam pœnis plectendi forent. 32. *Ne semper ingratum*,minuique ingenuum putet lector Scriptorem, in quo repererit aliqua , & præclara , quæ in alio Auctore legit , & maximè si eodem ferè tempore scribat vterque,& ille huius nullatenus meminerit. Non semel expe-perientia patuit, distinctos,longeq; tum ætatis, tum locorum spatijs dissitos intellectus in eumdem prorsus inclinasse sensum , ac nobis aliorum libros euoluentibus sæpe eumdem occurrere sensum , qui prius à nobis quoque habitus : & solet esse quidem intellectus rectè , ac solidè ratiocinantis, atq; speculantis argumentum, cum in eodem sensu conuenit cum alio celebri viro, siue antiquiore, siue recentiore, cuius doctrinam hactenus non audierit, aut legerit. Si tamen eędem fermè voces , licet diuerso explicatæ idiomate , eodemq; contextu reperiantur in vno scriptore , quæ in alio, vix videtur posse moraliter dubitari, quin vnus ab alio acceperit , & recentior ab antiquiori : Qui euoluit aliquos etiam e *S. Patribus*, cognoscet illos præcedentium libros in compendium redegisse , vel alteri donasse linguę, multaq; ad verbum etiam accepisse ; Horum si mentionem non faciant, possunt videri haud in hoc imitandi. 33 *Libros legat* eo vulgatos idiomate, quo ab Auctore conscripti : *tum* quia Auctoris idioma maiorem habere solet energiam , & aliquorum sensus diuerso idiomate satis explicari nequeunt; *tum quia* translatores non rarò infideles sunt ; & *vel* demunt , *vel* addunt aliqua , *vel* non assequuntur Auctoris mentem , & quandoque non solum *præter* , verum etiam *contra* illius mentem voces vertunt; *vel* nō sunt periti satis in tali idiomate,ac loquendi modis,qui à Versatissimis in tali idiomate, ac peritissimis vsurpari solent;*vel* etiam proprios sensus adijciunt &c. *Cum dubitat*, vel *probabiliter existimat*, dum legit, vel ex aliorum dictis,vel ex infidelitate iam aliquorum declarata, de sincera interpretatione, ad *Auctoris idioma* confugiat ; *Quod* si ignoret , à peritioribus in tali idio-

idiomate rectum percipere sensum studeat. 34. *Integros*, prout scripti sunt ab Auctoribus, libros legat; *Tum quia* secus haud vnquam omnium, quæ à tali Auctore scripta sunt, notitiam assequitur; *Tum quia* nec multa ex illis, quæ ibidem leguntur, satis intelliget sine antecedentium, vel subsequentium cognitione; *Tum quia* dubitare non raro, nec immeritò potest, an illa, quæ in libro relicta sunt, sincera sint &c. *Nonnullorum quidem Auctorum*, si ita loqui fas est, detruncatio, preter iniuriam, quæ infertur Auctoribus, licet mortuis, efficit vt in posterum abrogetur fides libris alijs, qui ex eadem Prouincia, vel Ciuitate afferrentur. *Mirandum quidem esset*, quod libri aliqui per aliquot hominum ętates, ac sæcula integri lucem aspexissent publicam, & modò decurtati prodirent, maximè si nihil aduersus vera fidei Dogmata continerent. *Si quid emendandum* in his foret, potius ad marginem, vel libri initio, aut fine collocetur emendatio; si minus id arrideat, illorum lectionem interdicere magis expediret. Nemo quidem sanæ mentis dubitare potest, quin *Grauia* importarentur mala, si modò imprimerentur libri cum Additionibus, quæ apud Auctorem, non extarent, tanquam ipsius proprijs; & *multò adhuc* Grauiora, si non integrè ederentur; & *Grauissima* (quod facilè interdum fieri potest etiam per solam alicuius particulæ *additionem*, *ademptionem*, *transpositionem &c.*) si Auctoris sensus immutaretur. Id vel semel contingat alicubi, *vel* aliquorum malitia, *vel* indiscreto aliorum zelo, *vel* imprudenti quadam pietate, *vel* specie publici alicuius boni, grauissimum hoc Christianæ Reipublicę afferri posset incommodum, quod ex libris illis, qui e tali Prouincia, siue Ciuitate prodirent, omnibus nulla desumi posset firma auctoritas ad aliquid probādum, manifestandum &c. Nisi huiusmodi libri reperirentur alibi impressi. *Hinc* Christianæ Reipublicæ cōmodis consultissimum esse arbitrantur nonnulli, si huiusmodi Vitium alicubi contingeret, vt alibi imprimerentur ijdem libri omninò fideliter, animaduersis tamen illis, quæ correctione a pijssimis, doctissimis, ac prudentissimis Viris Catholicis existimarentur. Præter autem alias pœnas huiusmodi detruncatorum librorum impressores hac peculiariter pœna digni forent, vt nullus eos emeret libros. Nullus quidem sapiens, vel prudens eos vili etiam pretio emet, nisi ad coarguendam temporum malitiam &c. 35. *Haud lector putet*, eo quod libri aliquando cantur *Apocrifi*, hoc ipso mendaces esse. Eo quandoque nomine donantur, *Qui* occulta quędam continent; *Qui* certum non habent Auctorem, *E quibus* certa Auctoritas desumi non potest, opponunturq; *Canonicis libris* Illorum quidem lectio ad multa vtilis esse potest. 36. *Vbi legit Opiniones, Doctrinasq;* sibi antea incognitas, vel nō obuias, ne arbitretur Lector, illas semper esse nouas, & a tali Auctore excogitatas. *Tum quia* sæpe

potest

poteſt nõ eſse, verſatus in opinionibus, ac Doctrinis, quę apud plures etiam talis Prouinciæ, ac Regni inualuerunt, ne dum in illis, quæ in recõditis quibuſdam reponuntur libris: *Tum quia* non rarò accidit, vt illę in antiquioribus reperiãtur libris, vel ſaltem ab ijſdem breuiter indicatæ, quos lector non euoluerit; *Tum quia* poſsunt eſse impreſſæ etiam noſtris ſæculis in remotis quibuſdam Prouincijs; Vel etiam legi in libris, quorũ lectio omnium eſt vetita nominatim ad Auctorum deteſtationẽ; & tamen hę à ſagacibus, ſiue callidis ſcriptoribus proponi poſsunt, tanquam nouę, ad aucupandam ſibi, ac ſuis ingenij famam &c. *Tum quia* illi non conſtat, an aliquis, qui libros non ediderit, illam prius protulerit ſententiam &c. *Hinc lector* nõ facilè etiam opinionem aliquam cenſeat *ſingularem*. 37. *Illos librorum Auctores*, qui antiquioribus ſęculis communiter habiti ſunt, tanquam Veraces, non ſine grauiſſima ratione, tanquam mendaces arguat, vel reijciat lector, eò maximè, quod ſcribant, referantq; nonnulla pręſentibus temporibus, vel ſenſibus nonnullorum minùs congrua: nec ſine euidenti argumento aſſerat, nonnulla ab illis, tanquam à maleuolis, ſiue certo hominum generi infenſis, fuiſse addita, immutata &c. *Idq; præcipuè*, dum præcedentibus ſæculis talis exiſtimatio de huiuſmodi libris habita non fuerit. 38. *Sicuti non facilem habere fidem* debet Lector libris, qui conſcripti ſunt *de* Naturæ mirabilibus, vel occultis; *de* Moribus Populorum, maximè remotiſſimorum; *de* Virtutibus quorumdam *Animalium*, *Lapidum*, *Metallorum*, *Herbarum &c.* quæ alicubi dicuntur deprehendi; non pauci enim deprehenſi ſunt, qui ad extrahendam e crumenis pecuniam, ad gloriam ſibi, vel ſuis vindicandam &c. falſiſſima conſcripſerunt: *Ita nec fidem* penitus abroget omnibus, quæ narratur alijs contigiſse ſęculis, in longe diſſitis Prouincijs contigiſse, aut contingere &c. Licet ſibi inaudita, in noſtriſq; Prouincijs inſolita videantur, ſi libri iſti conſcribantur à Viris *pijs*, *prudentibus*, ac *ſinceræ*, ac *in alijs probatæ* fidei. *Quot* enim noſtris temporibus accidere videmus ipſi, quæ ſi narrarentur in alijs facta ſęculis, fabulas proferri putaremus? *Quot* in dies noua Artis, ac Naturæ prodigia contemplamur pręſtantiora etiam interdum illis, quæ in antiquioribus ſęculis, ac in remotiſſimis regionibus extitiſse, vel exiſtere dicuntur? *Quot* naturales effectus ſapientiſſimos etiam Viros latent? *Non minoris eſt imprudentiæ* omnibus his, quæ enarrantur, fidem præſtare, quam omnibus illam penitus denegare. 39. *Cum ſcriptor* aliquorum auctoritates, & præcipuè, ſi ſint multi ponderis, & ad grauem pertineant quæſtionem, legit; conſultiſſimum eſt illi in fronte eas recognoſcere, *tum* ad maiorem ſecuritatem; *tum* quia non integrè, ac fideliter aliquando illę afferuntur; vtuique ſcriptor vt plurimum illas ex alio deſcribit. *Præterea* in legendo Auctore, cuius auctori-

auctoritas allata est, multa sæpè addiscuntur peculiari animaduersione digna. 40. *Non illos* pluris æstimet Auctores, qui plures conscripserunt, edideruntq; libros, sed qui *ingeniosiorem*, vel *saniorem*, *solidioremque* publicarunt doctrinam. Libellus vnicus ab Auctoribus nonnullis scriptus præualet sæpenumero multis, ingẽtibusq; plurium Scriptorum voluminibus: e quibus *nonnulli* solummodò, vel præcipuè saltem *dorsi*, vt inquiunt, *laborem* exigunt; *nonnulli* continent multa, quæ in alijs quoq; libris idem scriptor reposuit &c. 41. *Cæteris paribus* lector maiori in pretio habeat libros, qui conscripti sint ab Auctore, quem multis excultum esse, vel fuisse scientijs nouerit, quam ab eo, qui vnica tantum fuerit, situe imbutus; Nam scientiæ, saltem multæ, mutuam sibi ferunt opem, imo & aliquæ necessariam habent connexionem. 42. *Eos peculiariter* legat libros, qui agitant quæstiones inter celeberrimos Auctores controuersas; cum enim hi omnes sapientiæ, ac industriæ neruos ad sua propugnanda pronunciata intendere soleant, tales libri solent esse accuratissimè cõscripti. 43 *Cum* peculiaris alicuius materiæ notitiam assequi vult exactam, eos potissimè libros manibus verset, qui ex professo de illa agunt: eosque peculiariter euoluat Auctores, qui omne ferme studium in tali materia, quæstione, doctrinaque collocarunt, librosue conscripserunt de tali tantummodo materia, ac cæteroqui sunt habiti valde periti. 43. *Quamuis nullus* ferme sit liber, ex quo prudens lector aliquem fructum haurire non possit, cum tamen *hominis ætas sit breuissima*, & *Ars longa*, homoq; scientijs deditus alijs etiam præter studium detineri soleat curis, perlegat libros, e quibus plurimam percipere potest vtilitatem; idq; sibi, *vel* ex Auctoris fama, *vel* ex peritiorum dictis, *vel* ex habita iam experientia constet. 44. *Ne tam multi* aliquos, etiam ex antiquioribus, æstimet, vt mira mysteria, occultaque sapientiæ arcana, vel in vocibus singulis, ne dum in orationis contextu putet, & maximè ferme semper, reposita ab illis; quos credibilius est plerasque protulisse ad nudam vocum significationem attendentes. Negari non potest, quin aliquorum summa fuerit fortuna laudatores, interpretes, & quandoque assectas inuenire. Eamdem laudum segetem fas esset reperire in aliorum quoque, ac etiam recentiorum vocibus, ac oratione, si qui eos interpretari vellent, in eos conficere; Scholia, Annotationes &c. Verum quidem est; quo quis sapientior, eò accuratiori cura obseruare voces, quas caracteribus, & præcipuè typis exprimit. Illa quidem S. Scripturæ Vocum laus videri potest peculiaris. *Nos ipsi*, si nostra interpretari vellemus, multa attendisse in horum scriptione affirmare possemus; & tamen experientia nobis pateret, id esse à Veritate penitus alienum, & illum, qui nos ea attendisse assereret, vel scriberet, falsa proferre, aut scribere pro certo

haberemus. 45. *Si mouerit* nonnullis esse propositum, *in libris* aliquos laudare, à quibus præcipue beneficia illi obtinuerunt, aut obtinere cupiunt; *animaduertat*, ab illis, nedum cauillationibus quibusdam manifestos excusandos errores, verum & vitijs, criminibusque ipsis virtutum, ac præclare gestorum speciem excogitaturos; mirum in modum exaggeraturos, quæ laudabiliter ab illis quandoque acta sunt, vel aguntur; adeoque huiusmodi libros esse Christianæ Reipublicæ perniciosissimos; nam *timore infamiæ à malis facinoribus* huiusmodi homines *non deterrentur*. Hos autem seruili adulationis vitio magis imbui patebit, si *Viuentes* quosdam cõmendauerint. *Viuentes* quidem *laudare irrisionem eße*, non immeritò quandoque saltem, *Pescennius* apud *Partian.* in *Nigro* prope finem affirmauit, licet *Tyrannus*, & *maximè Imperatores*, *a quibus* speratur; *Qui* timentur; *Qui* præstare publicè possunt; *Qui* possunt necare; *Qui* proscribere: summisque *Alexander Seuerus* effertur laudibus, quod viuẽs nunquam nec à Poetis, nec ab Oratoribus teste *Lampridio in eius* Vita voluerit laudari; & *Alexander Macedo* qui, vt habet *Lucian. de Hist. Scrib.* scriptum ab *Aristobulo* librum duellum ipsius cũ *Poro* amplificantem inter *Hidaspis* aquas abiecit, eo etiã supplicio Auctorem esse dignum asserens. Eò autem esset apertior, eoque vituperabilior etiam adulatio nonnullorum; quò apertè sciretur, haud amore prosequi illos, quos laudant, illisque sæpius detrahere priuatim maximè, ac velle huiusmodi laudibus viuentis Magnatis Gratiam, ac beneficia emere, quem post mortem acerrimè etiam sint apertius vituperaturi, experientiam teste. *Vtinam nulli* Rhetorica arte, in qua præstant, ad id abutantur; *Vtinamque nulli* etiam, licet minùs honestis moribus, ac non leui correctione dignissimi, propter publica maximè scandala, in aliquod hominum genus peculiaria conferant beneficia, licet in illos cæteroqui animo parum propensi; eo *quod prauè gestorum memoriam horum laudibus obtegendam* sperent: & hæc vna sit e causis præcipuis, propter quas multi se beneuolos quibusdam exhibeant. Nullum lethale venenum Sanctissimis Catholicæ Ecclesię moribus magis officere posset; nec qui se Catholicos profiterentur, lethalius hoc propinarent primarijs Ecclesiæ filijs. Si existimant, aperta licet nonnullorum vitia non reprehendere, ac silentio obtegere; saltem taceant eorum laudes etiam, qui magis vituperatione, quam laude digni sunt, aut aliquas non exaggerent &c. Laudibus digni sunt etiam viuentes, qui optimis moribus, liberalibusque Disciplinis prędití sunt. 46. *Vbi aliquo odio* prosequi alium, aut illius gloriæ inuidos &c. deprehenderit, nonnisi illis, quæ ex alijs fide dignissimis, & qui non sint illorum amicissimi acceperit, tanquam certa, male

ab

ab hoc dicta, aut gesta, fidem habeat, licet Scriptor ex illis assereret, se *verissima pronunciare*, se *referre quod innumeri sciant &c.* Apertissima mendacia, exaggerationes falsissimas, detestabiles calumnias, ac detractiones sæpe in libris, qui editi fuissent ab illo maximè hominum genere, quorum odium in alios foret immortale, & qui in hoc crimine instar *prauorum Angelorum* essent pertinacissimi, facillimum foret deprehendere. Libri quidam, non nisi ad aliquorum malignitatem detegendam magis, lectione digni esse possent. *Meminerit*, aliquos censeri posse *famosos libellos*, quorum lectio interdicitur, licet alio honesto decorarentur nomine; quod facilius præfigere possent ij, qui sub specie *maioris Dei gloriæ*, vel *publici boni zeli &c.* A se gesta quęcumquę, dicta, scripta, ac edita, licet minus veræ pietati, tum in Deum, tum in proximum congrua, obtegere niterentur. 47. *Vbi norit certò Auctorem*, vel metu, vel promissis, vel precibus, vel spe honoris &c. vel simili aliqua passione præpeditum aliquem conscripsisse librum, tanquam omninò voluntarium non recipiat lector illius sensum; huiusmodi enim passiones minuunt saltem voluntarium, ac reddunt secundum quid inuoluntariam scriptionem &c. præterquam non sinunt veritatis lucem ęquis omninò intueri oculis &c. 48. *Si animaduerterit*, inter aliquos esse controuersiam, ac libris se inuicem oppugnare, prudens lector *iudicium suspendat*; nam sępissimè fit, vt qui librum legerit postremò editum ab vna parte, pro illa iudicium ferat; si autem deinde librum perlegat, quo responsio aduersantis partis continetur, pro hac suffragium decernat. Esset quidem *Lector imprudens, personarumque acceptor, si tantum ex amore in vnam partem libros ab ea conscriptos euolueret*. Cauendum illi præcipuè, ne ab Amoris, vel Odij passione iudicium turbetur: Si autem perpensis vtriusque partes rationibus, sit dubius, cuinam maior fides habenda, vel pro qua ferendum ab ipso suffragium, iudicium ferre potest probabile saltem, quod pars, cui ipse cęteroqui minùs fauet, amplectatur probabiliter veritatem, iustitiam, ęquitatem, non sit reprehensibilis coram Deo, vel hominibus &c. Sępè sunt ambæ Opiniones probabiles: *Quod aliqui* non subiaceant aliquorum Iurisdictionis &c. Quod hi in illos possint illam exercere; *Quod superiores* possint hoc imperare subditis: & *Quod* subditi non teneantur in hoc illis obsequi; *Quod* nonnulli; ne contra aliquas peccent leges, indigeant dispensatione, eamque petere teneantur, & *Quod ea* non indigeant, & in tali statu, mutatisque circumstantijs notabiliter à tali obligatione contracta soluantur ex natura rei &c. Cur ergo *prudens, timensque Deum lector certum esse* censuerit, nonnullum ad aliquid teneri, maximè si


obligationes sint restringendæ; à Viris quoque scientia, ac pietatē præstantibus approbata fuisset doctrina ab ipso libris euulgata, quod ad id non teneretur, & actiones huic doctrinæ conformes exercerentur à Viro spectatæ probitatis, ac scientiæ &c.? *Cum Politicorum etiam nonnullorum possit esse genium*, plures in Re cum alijs controuersa edere libros à varijs etiam conscriptos ad deterrendos alios, ne quid minùs ipsorum placitis, aut Doctrinæ consonum in posterum quiuis scribere audeat; & hinc etiam proprij sensus, peculiares Doctrinæ &c. euadant vniuersales, & quasi totius Ecclesiæ; *excogitanda media* à publici etiam in Rè literaria commodi amantibus, ne huiusmodi hominum auctoritas amplificaretur; nam hinc etiam omnes suis regerent consilijs, suo nutui obsequentes cæteros redderent &c. Ne dum in moribus, licet minùs pijs, incorrigibiles redderentur, ac doctrinæ minùs sinceræ euulgarentur &c. *Inter quæ* reponi posset; *Quod* omnes alij similis conditionis homines in *Vrbe* selectos tum pietate, tum doctrina Viros haberent plures, *quorum* exquiri posset meritò consilium, *qui* ad varia munera euehi possent iure optimo; *Amouerentur* illi à quibusdam officijs, quæ essent prçter, vel contra leges primas, & non iuxta sensum illorum, qui *principem* primò *apud illos* obtinuere locum &c. ex quibus fieret, vt omnes ferè eo concedentes in rebus maximi ponderis *eorum* ope, ac patrocinio indigerēt &c. Apologetici præterea omnes libri, siue de quçstionibus cum alijs controuersis agentes, à quibusdam certis pietate, doctrina, ac prudentia præstantibus Viris *ibi* probarentur *omnes ante vllibi* editionem. *Ab hisce* quidem hominibus conscripti libri omnes non nisi cum maximo delectu, & accuratissima cautione essent semper euoluendi. 49. *Numquam de libro* iudicium ferat, quem totum non euoluerit, multoque minus si aliqua, & cursim perlegerit; nam facile decipi poterit. Æquus Iudex, antequam sententiam ferat reum absoluens, aut condemnans, causam vniuersam debet habere perspectam. 50. *Dum libri alicuius* perfectam assequi notitiam velit lector: *Primo* illum integrè perlegat cum Epistola *Dicatoria*, *Approbationibus*, *Proemio*, siue *Anteloquio*, siue *Proloquio*, *Operis synopsi*, *Auctoris vita*, si ibi inserta, atque *Præmissis* ad *Lectorem*; hæc enim quatuor Auctoris *Consilium*, ac Mentem quam maximè aperiunt. *Secundo* ex Indice Correctionis erratorum illa omninò corrigat in libro, ac prçcipuè si sensum illa sint immutantia, vel saltem Indice obseruato ad illa idemtidem confugiat. *Tertiò* A Capite illum euoluat, & non mediam illius partem ante primam, nec postremam ante primam, vel mediam &c. subsequens enim pars vt plurimum supponere solet præcedentis intelligentiam, nec sine ratione Auctor

hanc

hanc illi præposuit &c. *Quarto* Non cursim illum perlegat, sed pedetentim, ac maximè si quæstiones, doctrinasque controuersas proponat. Nec illorum mos est omnino sine laude, qui prima vice librum cursim legunt, secunda verò pedetentim: talis enim libri doctrinæ notitia quædam generalis, ac veluti confusa primò accepta ad perfectiorē eiusdem postea notitiā assequendā cōducere videtur. *Quinto* Libri eiusdem, & maximè scientifici, breui stylo conscripti, *aut* a viro ingenioso conscripti, *aut* reconditiorem doctrinam continentis &c. Repetita iterum, iterumque lectio valde vtilis est; nam multa, eaque pręclara, secunda, tertia &c. vice occurrent, quæ priùs non animaduersa: imò quandoque verus Auctoris sensus innotescere poterit tertia vice, qui non in secunda &c. *Sexto* Obseruet *Particulas omnes, Voculasque nonnullas*, quas valde docti, ac prudentes Viri de industria apponunt, & sine quarum ponderatione nunquam quis perfectè Auctoris mentem assequitur; *Hæretica*, ne dum *erronea, temeraria, scandalosa, impia &c.* tribui possunt (& vtinam non tributę fuerint) Auctoribus, si non *fideliter*, ac *integrè* singulę illorum voces, particulę &c. fuerint animaduersę, ac perpensę. *Septimo* Ex Antecedentibus, ac Subsequentibus obscurę Auctorum mentis intelligentiam assequatur, ac in meliorem sensum dubiam eorum mentem interpretetur; id enim *tum Christiana Caritas, tum Moralis Philosophia* suadet. *Octauo* In recondita quędam, sibique prorsus incognita, vel vsui futura &c. peculiariter mentis aciem defigat, vt illa memorię mandet, secum discutiat &c. *Vtilissimum est*, calamum habere promptum: non vt librum identidem peculiaribus notis designet, vel ad oram libri aliqua describat; sic enim & maculis asperguntur libri, notasque illas lector sępè vellet deletas, notationesque sublatas, aliasue additas &c. sed vt in carta, vel libello describat, quæ censet peculiariter describenda. Hęc breuissimè describenda, si liber sit certò in ipsius futurus potestate, vel putet se facilè illum prę manibus habiturum, licet apud alios asseruetur; secus prudentis erit lectoris integra etiam folia interdum describere, vel alijs tradere describenda. Si calamum quandoque non habeat promptū, signum figat peculiare paginis, in quibus hęc legerit, vt illa deinde diutius perpendat, describat &c. *Nono* Haud modò legat hunc librum; modò illum: nec frequenter eiusdem libri lectionem interrumpat; pręcedentium enim memoria obliterabitur, adeoque illorum lectionem repetere cogetur. *Decimo* Ne assiduum, diuturnumq; tempus in eiusdem libri lectione impendat. Nocet perfectę intelligentiæ mentis, corporisque fatigatio. *Vndecimo* Secum deambulans, aut sedens, deposito e manibus libro, meditetur quę legit, ac

enume-

enumeret ſigillatim, elata etiam voce illa, quæ didicit. Si nonnulla, quę peculiari animaduerſione digna cenſuit, haud ſibi tunc occurrant, vel non integrè, librum arripiat, illaque iterum perlegat; eadem repetat, meditetur &c. extra domum etiam concedens. *Duodecimo* Cum familiari aliquo lecta conferat, vt firmiùs memoriæ poſſint adhęrere; nec non collato etiam ſtudio diſcutienda diſcutiat &c.



Reuerendissimo Patri Domno

AVGVSTINO DE BELLIS,

Sacri Clericorum Regularium Ordinis

ROMANA IN CVRIA

Procuratori Generali Prudentissimo;

S. CONGREGATIONIS INDICIS

Integerrimo Consultori;

Quem largè e Diuinæ Fontibus Sapientiæ

Sinceram Theologiæ aquam hausisse

Satis declarat Liber

DE ABSOLVTA DIVI PETRI MONARCHIA,

QVA SOLVS ECCLESIAM AVRIGAVIT,

Sanctissimo, ac Beatissimo Patri

D. N.

INNOCENTIO X. P. O. M.

Dicatus:

Animaduersiones Quinquaginta

PRO ILLO, QVI LIBROS AMICE' RECOGNOSCIT

IVLIVS CLEMENS SCOTVS

Comes Placentinus

Sui cum Ipso Vnanimis

Circa Catholica verè Dogmata

Consensus

Testes

D. D. D.

Caput Septimum.

SIt *Vir*, cum recognoſcendi tribuuntur *Amicè* libri, ſiue ab Auctore, ſiue ab alio quouis (*haud* hic ſermo eſt de ijs, qui Libros recognoſcunt ex *Officio à Publica Poteſtate* illis demandato; habent enim illi ſuas leges, *tum* publicas, *tum* priuatas quandoque; neq; videtur par his animaduerſiones proponere, vel admonitiones, licet ſalutares, præbere) *Sit*, inquam, *Homo* à Paſſionibus *Odij*, *Amoris*, *Inuidiæ &c.* Liber; Nam efficiet nimius *Amoris*, ac *Beneuolentiæ* affectus, vt librum aut non legat, aut curſim, ac reprobatione digna approbet; prauus autem *Odij* vel *Inuidiæ* motus efficiet, vt ſit nimius in quibuſcumq; obſeruandis, cauillos excogitet etiam in ijs, quæ approbatione digniſſima ſunt, eaque reijciat &c. Et nullus quidem fermè eſt liber, qui à maleuolorũ *Cauillationibus* poſſit eſſe immunis, & *ſub alicuius publici boni ſpecie* dignus reprobatione cenſeri non poſſit. 2. *Haud ſit ſcrupuloſus*, licet re ipſa timens Deum. Nam licet hi ſcrupuli ab *Ignorantia* (quod tamen ſæpè poteſt accidere) haud originem traherent, recto certè de rebus iudicio præiudicium nec leue inferunt. 3. *Sit verſatus*, nec leuiter, in *Arte* illa, ſiuè *Scientia*, de qua liber agit, qui enimuero non debet eſſe illius Magiſter. Si illam re vera non habeat laudem, haud recognoſcendi munus ſuſcipiat; alios amico ſibi librum tradenti indicare poterit, qui cum commendatione id munus obire queant. 4. *Si quid minus* bene intelligat, ab Auctore ſatagat mediatè ſaltem cognoſcere; poterit enim defectus eſse *aliquando*, vel minoris in legente attentionis, notitiæ &c. *aliquando* minoris explicationis in ipſomet Auctore, qui poterit deinde clarioribus verbis talẽ periodũ ſuam mentem &c. explicare. 5. *Nihil prorſus deleat* e ſcriptoris Autographo: id enim *cuiuſdam Imperij* argumentum eſt, quod amicus inſcio amico vſurpare non debet; præterquam liber ille poſtea nequibit dici Auctoris menti omninò conſonus: Imò nec aliquid licet in melius, *immutet*, niſi Amici mentem in hoc exploratiſſimam habeat; videretur enim Auctori iniuriam facere in hoc; ac præterea contra, vel præter illius mentem hæc libri pars erit. *Deſcribat* in Carta, quæ *delenda*, quæ *immutanda* etiam in melius ſibi videbuntur, vt illa oſtendat Auctori; qui aliquando huiuſmodi afferre poterit rationes ad tuendũ, quod ſcriptum eſt, vt ipſemet recognitor det manus, & in Auctoris ſententiam vltro eat. 6. *Totum euoluat librum*, antequam vllum ferat iudicium; Nam ſæpiſſimè multa occurrere poterunt, quæ dilucidius in libri decurſu explicantur; & tamen initio multis obnoxia eſse poterunt difficultatibus &c. 7. *Si errores* deprehendat in *Grãmatica* etiam, ne dum *Hiſtoria*, alijſq; ſimilibus, ad quos recognoſcendos haud eſt liber traditus, *Amici Recognitoris* erit illos indicare. 8. *Non eandem* in omnibus recognoſcendis libris diligentiam adhibeat; Nam *Maio-*

rem petunt *Qui sacras interpretantes literas* ex proposito Controuersias, siue cum Hæreticis, siue cum Catholicis agitant; *Qui versantur* in Theologicis quæstionibus, siue controuersijs speculatiuis; *Qui morum doctrinam* tradunt, siue hi sint in *Theologia Morali*, siue in *Iure Canonico*, siue in *Iure Ciuili*: *Minorem* petunt, *Qui pure sacras* exponuntur literas; *Qui Ecclesiasticas Historias, Concionesque*, siue *Sermones* ad Populum; *Qui Quæstiones Philosophicas*, aut *Mathematicas*, aut *Medicas* tantummodo complectuntur: Adhuc *Minorem* postulant, *Qui* aut *Humaniores literas*, aut *Prophanas* tractant *Historias*: longeq; *Minorem* flagitant, *Qui Fabulosa*, vel *Ridicula* quorumdam Commenta describunt. 9. *Peculiari* mentis attentione euoluat librum ab Auctore ingenio, iudicioq; excellenti exornato conscriptum: *particulas* præsertim *nonnullas* obseruet; Neque enim sine reflexione, & aliquando iterata, illæ fuerunt ab Auctore insertę; & quarum vim si ipse non assequatur, alium forsan sensum efformabit circa illius sententiam. *Qua de causa* interpunctiones quoque animaduertat diligenter semper; vnius vel leuissimæ additio, aut subtractio hęreticum etiam sensum, nedum falsum, reddere potest. 10. *Licet sit à Doctissimo*, ac *Pijssimo Viro* Liber conscriptus, haud illum ante recognitionem approbet; *Tum quia bonus* quandoque etiam *dormitat Homerus*; *Tum quia* ipse contra fidem de illo recognoscendo datam peccaret. Declarandum id enimuero fuerat illis, qui sibi recognoscendum detulerant librum, qui ad aliorum forsan Amicorum recognitorum operam confugissent. *Doctissimi Viri* aliorum etiam minùs doctorum sensus libentibus excipiunt auribus. 11. *Non ex eo* quod norit librum ab alijs approbatum ipse, cui ille traditur iterum recognoscendus, illum approbet; & maximè, si sit ipse alijs, qui eumdem recognouere librum, doctior; *vel* probabiliter suspicetur extortas ab alijs approbationes, aut à nimis beneuolis fuisse approbatum &c. *Aliquando* tamen poterit aliorum, quos idoneos fuisse recognitores censuerit, approbationi subscribere. *Non tamen* tunc afferat, illum a se recognitum. 12. *Haud indignum putet esse* approbatione librum, quem nouerit ab alijs non fuisse approbatum; *tum quia* illi potuerunt esse minùs sapientes, minùs periti &c. *tum quia* ab extrinsecis causis ad id impelli potuerunt. Ipsemet examinet, ac iudicet. Si tantum extrinsecas ob causas, & quæ non satis ad reprobationem fuerint, liber nõ fuerit approbatus, illum potiùs approbet; Nam expedire euidetur, interdũ saltem, vt huiusmodi libri approbatorem alicubi reperiant. Non erit *ingenui*, *magnanimiq; pectoris* minis &c. perterrefieri, aut promissis &c. allici, quo minùs approbet libros, qui digni sunt approbatione, aut reprobet libros reprobatione dignos. *Possent* Politici nonnulli artes, nedum Religioso, Ecclesiastico, & Christiano, sed

&

& Ciuili homini penitus dissonas adhibere, ne libri minus sibi fauentes, vel suis non congrui placitis, ac sensibus vllum in Catholicis vrbibus etiam e priuatis haberent approbatorem, minasque intentarent consanguineis, affinibus, amicis &c. illius, qui librum huiusmodi approbaret, eorumq; opera vterentur, ne iste approbaret; Quorum eludere artes publici amantis Boni approbatoris erit. 13. *Si ab aliquibus* ad se deferri approbandos sciret libros, quòd censerent illi ipsum in approbatione esse faciliorem, tunc *diligentiori illos examini* subijciat: *Quod etiam præstet*, dum Auctoris nomen fingitur, sibiq; planè ignotum est. 14. *Cum ab amico* ad se deferretur liber recognoscendus, notumque haberet, vel etiam dubitaret; An libri Auctor velit a se recognosci, haud hoc prestet: Nam viuens Auctor in illum, tanquam in ingenij sui partum, Ius habet. *Hinc videtur iniuria, & grauis*, fieri Auctori, si cōtra illius saltem viuentis placitum libri ab illo scripti a quouis publicarentur, vel imprimerentur. 15 *Ne sit* in vllius Scholę, vel Auctoris Doctrinā adeo propensus, vt quæ illi repugnant, *erronea*, vel *suspecta de Hæresi*, vel *Temeraria*, vel *Improbabilia* putet; adeoq; approbatione dignos non censeat libros, qui illi Doctrinæ repugnant. Nequibit quidem rectum ferre iudicium ille recognitor, *Qui* in libris nonnullis tantummodo, vel in certi Auctoris lectione, aut illius Doctrinæ auditione versatus fuerit; *Qui a* suis Præceptoribus audierit, *esse*, qui à talis Auctoris sententia discedunt, si non *hæreticos*, saltem *suspectos de hæresi, temerarios &c.* ac petulantibus hisce dictis fidem præstiterit; cum Ecclesia Theologorum quoque ipsorum plures admittat, imò & foueat scholas. 16 *Exactissimè norit*, Quænam dicenda sit Opinio *Hæretica, suspecta de Hæresi, Erronea, Temeraria, Improbabilis &c.* Nec nisi accurato præuio examine, aliorumq; etiam sapientum, prudentumque Virorum sensu quęsito indignum approbatione librum censeat, eo quod sibi videatur opinionem continere hæreticam, suspectam de hæresi &c. Grauissimæ sunt huiusmodi notæ, quæ etiam per se ad famę restitutionem obligant, licet quis materialiter solum in illis errasset, & maximè cum Auctor est spectatæ pietatis, vel probitatis, de quo *vel leuis suspicio in materia Hæresis nominatim* potest esse culpa grauis. Hinc vituperandi sunt acerrimè libri a nonnullo editi nuper, quibus conatur euincere aliquem fuisse Hæreticum (quicquid sit, an ex alijs capitibus illi hæc nota inuri posset) eo quod non sentiret esse de fide aliqua, quę etiam inter Catholicos celeberrimos Scriptores controuersum est, *An sint de fide*. & solum aliqui ex illis asserunt, esse solùm *probabiliter*, vel *probabilius* de fide; adeoque sine peccato contra fidem (quicquid sit de tradatio) his refragari licitum esse concedunt: Ille potiùs contra fidem peccasset, si illis assensum prębuisset, tanquam obiectis fidei,

& vt talia illa publicasset. *Ab huiusmodi hominum calamis*, ac *linguis*, quæ mendacijs falsitatibus, æquiuocationibus &c. redundarent *Liberet* quemcumque, & *maximè scriptorem minùs illis gratum Deus*. Si domestici eorum librorum Approbatores fuissent magis periti in Censurarum Theologicarum notitia, vel à communi in talem Auctorem odio suum perturbari iudicium non permisissent, eos in complurimis non approbassent, ex quibus dedecus potius ingens quibusdam est allatum; nam iudicati sunt expertes prudentiæ, caritatis, modestiæ, iustitiæ &c. in maiori autem pretio deinde habitus ille, contra quem illi editi fuere libri. *Vindex omnium Deus* haud iniurias tam graues sinit esse inultas. *Quicumq; ergo recognitor* perspectissima habeat vera Fidei Catholicæ Dogmata, inter Catholicos non controuersa; & si quæ à Catholica aliqua Ecclesia, vel Vniuersitate, vel celeberrimis etiam Scriptoribus Catholicis asserantur non esse indubitatæ fidei, sed probabiliter, vel probabilius de fide, & multò magis, si opposita illis dicantur potius esse de fide, vel ad illam spectare, nunquam eò nomine illa non approbet, quod hæretica sint, de hæresi suspecta &c. Secus grauissimè errabit; Catholicosque Primarios Viros, qui sinerent libros cum huiusmodi notis publicari, Hæreticorum irrisioni exponet, illisq; minorem etiam existimationem conciliabit apud Sapientes Catholicos; *Qui* aliquando arbitrari poterunt, tanquam veri fideles, Veritatem Catholicam libris etiam editis manifestare, ne in re tanti ponderis, qualis est *Captiuare intellectum in fidei obsequium*, ac firmius adhærere obiectis à fide propositis, licet lumen naturale excedant, quam obiectis euidentibus *Mathematicè* etiam, ne dum *Physicè*, & pro illa esse paratum ad sanguinem ipsum profundendum, humano intellectui fucus fiat, & contra fidem ipsam peccetur &c. 17. *Haud opiniones omnes*, quæ *Pia*, *vel* magis *Pia* videntur, approbet. Exploret prius, an sint *Vera*, aut *Veritati* magis *Conformes*. Non est per se laudabile quidquid vtcumq; Dei cultum promouere potest. *Quadam* opiniones etiam fouentes *Tranquillitatem Publicam*, *Iustitiam*, *Æquitatem*, *Caritatem in Pauperes*, *Viduas*, *Orphanos*, eos præsertim *Nobiles*, ac *Opibus* interdum abundantes, qui ad *mendicitatem* redacti *emendicare* erubescant, *Fœminas* ob egestatem pretium sui Corporis facientes, *Virginesque* nominatim facturas, nisi necessaria plane vitæ commoda sibi subministrentur, *Studiosos Pauperes &c.* (Quæ Caritatis opera maiorem coram Deo mercedem obtinere queunt non rarò, quam ædificatio, ornatusque Templorum &c.) Similiter opiniones *Naturalia verè omnium Iura tuentes* nō possunt non esse Deo gratissimæ; præcipuè cum Dei ipsius hæc ipsa sæpe, sub pœnæ etiam æternæ comminatione, præcipientis honorem promoueant quam maximè. Si *minus Pia* aliqua verè sit, dummodo probabilis,

imme-

immeritò tanquam *Impiam*, adeoque approbatione indignam vllus rei jciet. *Varium* quidem eſſe poteſt de *Maiori*, vel *Minori* Pietate iudicium prudens; nam hoc ex varijs dimetiendum circumſtantijs. 18. *Cum facilè fingi, excogitarique* poſſit *Scandalũ*; Aliudque ſit *Actiuum*, Aliud *Paſſiuum*; Aliud *Phariſaicum*; Aliud *Puſillorum*; nec *Vbique*, nec apud *Omnes* ſit etiam idem *Scandalum Actiuum*; non facilè approbatione indignum cenſeat librum, eo quod ſibi videatur Opiniones continere Scandaloſas. Quot libri forent modò interdicendi, qui tamen approbati ſunt à Viris ſingulari pietate, doctrina, ac prudentia prędictis, ſi attendendum foret ad ſcandalum, quod plurimi ex eorum lectione patiuntur, indeque occaſionem arripiunt in peccata etiam contra Iuſtitiam grauiſſima labendi? Libri enimuerò S. *Bernardi De Conſideratione ad Eugenium* Papam (vt alij Scriptores Pietate celebres omittantur) aliqui eius *Sermones*, nonnullę illius *Epiſtolæ*, ſicuti & B. *Petri Damiani*; Reuelationes S. *Brigidæ*, ac S. *Hildegardis*, Dialogi S. *Catarinæ Senenſis &c.* eſſent vetandi, cum ex eorum lectione in graue ſcandalum non pauci incurrant &c. Si opiniones *Veræ* ſint; aut probabiles, doctiſſimorumq; Hominum Principijs conformes; ſi *vtilitatem* multis allaturæ ſint, licet aliqui minùs probi, vel minùs periti illis abuſiri ſint; *non eſt*, cur non approbentur. Si iſtæ prętereà Opiniones verè, aut probabiliter Ius Naturale tuerentur, nullum verum ſcandalum gignere poſſunt: Illud quidem nonnulli fingere poſſunt, vt hinc faciliùs approbatorem non inueniant. Quam callida poteſt eſſe nonnullorum *Politica*, ſiue potius *Malitia*! Nec dubitandum, quin non pauci e S. Patribus poſſent vt ſic accuſari modò etiam tanquam *ſuſpecti de hæreſi* propter multa in libris eorũ impreſſa, ſi nonnullorum recentiorum dictis, factiſque conſequenter ſtandum foret. Obſeruet etiam *recognitor*, opinionem poſse dici meritò, ac ſimpliciter Scãdaloſam, ſi *abſolutè* proferatur, quę certis appoſitis conditionibus (hæ ſedulò obſeruandę) haud talis erit, imò potiùs animabus vtiliſſima. 18. *Sicuti libri ſecretorum criminum* euulgatores non ſunt approbandi à pio, prudentiq; recognitore; ſic non ſemper reprobandi, qui euulgant publica, ac notoria crimina, errores, ac defectus manifeſtos, & maxime ſi e libris ab ijſdem conſcriptis innoteſcant. Vtiliſſima eſſe poteſt librorum huiuſmodi approbatio; *Tum* ad nonnullorum retundendam ſuperbiam, qui ſe omnium perfectiſſimos iudicarent, *Euangelicique*; *Phariſæi* eſsent imitatores; *Tum* ad illorum Reformationem faciliùs ſuadendam &c. *Tum* ad multorum pœnam, cum non poſset alia præter hanc imponi: *Tum* ad alios a ſimilibus factis deterrendos, ſecus ſimilem ſubituros notã: *Tum* ad plurimorum cautelam &c. 19. *In libris*, qui *contra Hæreticos ſcribuntur*, duo peculiariter animaduertat. *Primò* ne *minus ſolida, & adæquata* eorum

rum argumentationibus responsiones dentur; tunc enim magis *Heretici* in suis confirmabuntur Opinionibus, in *Catholicis* infirmior reddetur fides; imò nonnullis parum peritis dubitatio suboriri poterit &c. *Expedire poterit* argumenta nonnulla in libris, qui per omnium manus vagarentur, ab hæreticis allata silentio obtegere, cum *leuis*, nec *manifesta*, ac facilè cuique intelligibilis ocurrit responsio. *Secundò*, ne *Acerbiora in eos proferãtur verba*. Haud illi sunt imitandi, si minùs modesti sint. Modestia Catholicorum omnibus debet esse nota. A Caritate, quę maximè in Catholicis quidem vigere debet, aliena sunt Scommata, dicteria, maledicta in illos: multoq; magis Calumniæ, falsitates, mendacia, quę ad eorum famam eneruandam proferentur; essetq; manifestum tum illis, tum Catholicis peritis esse solùm ad id excogitata. Consultius est quidem non solùm Scriptori Catholico, verum etiam Catholicæ Religioni, vt etiam vera illorum crimina taceantur, quam vt falsa, vel etiam dubia, tanquam indubitata maximè in lucem proferantur. In fine *Reg. 7 Reuis. General. Soc.* sic habetur; *In ijs porrò, qui contra Hęreticos scribunt*, obseruabunt præcipuè, an *cum doctrinę soliditate Stylum* ita moderentur, ne *plus ęquo acerbitatis habere*, aut alia ratione *lenior* meritò cuiquam *videri possit*. Vtinam semper hæc lex integrè seruetur! Si horum Auctores librorum peccent in his duobus quàndoque, admoneat recognitor ad hoc illis significandum. 20. *Si aliquos* ex antiquioribus maximè libris, & qui eruditis priscorum morum, ac sensuum scrutatoribus arrident mirificè, videret ad se deferri decurtatos, immutatos &c. nullatenus eos approbet, nisi integræ, ac pristinæ fidei restituantur: si quid correctione, vel peculiari animaduersione dignum existimetur, afferat se laudare, vt in initio, vel fine libri reponatur, vel ad oram libri indicetur. *Caueat Deus*, ne hoc vitium, quod Catholici Hæreticis tribuerunt, libros deprauandi, immutandi &c. vnquam irrepat in Catholicos; *Et nunquam fiat*, vt Catholici meritò, ac præcipuè illi, qui magis sinceri deberent esse, de illo accusari possint. *Quem plausum* sibi, suisque facerent Hæretici, si nec semel Catholicos in hoc peccasse animaduerterent; nec de hoc a suis reprehensos, vel iussos, vt libros fideliter imprimendos iterum curarent, certò pronunciare possent! 21. *Non facilè approbet* libros Auctoris, maximè celebrioris, *Posthumos*, maximè si a nonnullis, quos minùs sinceros, Politicosque non ingenuos putaret, ad se deferrentur, nisi manuscripta ab ipso deferantur, vel conferantur cum alijs ab eodem manuscriptis. *Sic neque Manuscripta* antiquioris Scriptoris, præsertim illustris, approbet, nisi pro certo habeat hæc esse illius, ac sciat, apud quos illa fuerint asseruata &c. 22. *Haud sit* approbator librorum (nisi illa deleantur) in quibus Catholici scriptores in quæ-

stione

stione inter Catholicos controuersa damnant aliter sentientes tanquam *Hæreticos*, *suspectos* de *Hæresis*, *temerarios &c.* Ad summum approbet relationem dictorum ab alijs iam circa eam sententiam cum expressa Auctorum mentione, & verbis quibus vtuntur in illa damnanda &c. Velit tamen indicari, illam adhuc esse inter Catholicos controuersam &c. 23. *Cum aliqua testimonia in rebus maximi ponderis*, ac *nonnullis valde fauentibus*, viderit afferri, erit amici, prudentisq; recognitoris ea perlegere, vel curare, vt in fonte ipso illa sibi dentur prægustanda. *Callida ingenia*, vel *non ad rem*, vel *non integrè*, vel *etiam falsa* afferre queunt; ex quibus alij hæc eadem describant; & hinc efficere, vt aliquæ opiniones serpant, altasque in plurimorum mentibus radices figant. 24. *Nunquam approbet libros*, in quibus Philosophicæ etiam Opiniones reponuntur, quæ aduersentur fidei Dogmatibus, nisi rationum etiam, quæ contra hæc afferuntur, solutionem viderit allatam, secus illi erunt perniciosi, ne dum Religioni, sed & Publicæ Tranquillitati, Iustitię &c. *Peculiari* etiam diligentia recognoscat libros, qui *noua quædam Philosophica* continent, vel exponunt; & qui *nouas verè quaslibet Opiniones* in medium afferunt, ex quibus deduci quid possit vere fidei repugnans. Nunquam approbandi libri, in quibus quidquam fidei repugnans vere affertur; vel aliquid legitur, ex quo id certò colligatur. 25. *Non tanquam Probabilem opinionem approbet illam*, siue fuerit antiquis, siue nostris temporibus etiam excogitata, quę haud talis habita à cæteris fuerit, nisi eam norit allatam à Scriptore, qui possit rectum de Probabilitate iudicium ferre, vel eas legerit afferri rationes, quæ vere Probabilem illam reddant. 26. *Non eò ipso, quod in libro*, quem recognoscit, legat opiniones, quæ *Admirationem* quamdam excitant, indignam illam approbatione iudicet: *Tum* quia *Admiratio* sæpissimè est *Ignorantiæ* Argumentum; *Tum* quia celeberrimæ multę opiniones, cum primùm in scholas inuectæ sunt, admirationem multam excitarunt. Intelligat autem non esse idem, *Opinionem aliquam Moralem excitare Admirationem*, ac *esse Scandalosam* &c. 27. *Si norit alicubi* a Viris Catholicis pijs, ac doctis approbari libros, qui agunt de certis inter Catholicos controuersijs, hique *Vni* fauent *Parti*; & ad se deferantur libri, qui *Alteri* faueant; haud his approbationem deneget, demptis tamen his, quæ ad voluntatem, non ad intellectum pertinent; iustitia enim, ac ęquitas non patitur, vt alteri suum Ius denegetur, maximè cum hinc fieri possit, vt vna pars etiam plus ęquo sibi arrogaret, efficeretque, vt altera pars quasi obmutescens, adeoque conuicta videretur; & ex hoc silentio sibi victoriam caneret, ac pro se decernendum triumphum licet minùs congruè, curaret; eaque opinio præterea non cum leui Catholicę re ipsa Veritatis pręiudicio tanquam totius

Eccle

Ecclesię *Vniuersalis* à plurimis haberetur. Neq; solùm id pręstet in Controuersijs Scholasticis, ac Moralibus, verùm etiam in quibusdam dubijs inter Catholicos Historijs, Factis, Dictis &c. *Suum vnicuiq;* ius tribuendum. 28. *Sicuti approbatione digni* per se censendi libri, ad veram Sui, Suorumq; Defensionem, dummodo verè sint cum *moderamine inculpatę tutelę*, cõscripti: *Animaduertat* tamen recognitor, sępissimè posse illud non seruari; Scommata plura, *Dicteria*, imò & *exaggerationes*, *Calumnias*, *Falsitates*, *Mendacia*, *Detractiones* apertissimas illis inseri posse; adeoque sit valde sollicitus in singulis quibusque perpendendis, & maximè si à nonnullis deferantur, qui *Linguę vitijs* laborare solent prę cęteris, *vindictę* sunt amantissimi, *in odio* pertinacissimi &c. Noritque ad facilius extorquendas approbationes posse sagacissimos homines *Famosos*, Satyricosque etiam libellos inscribere, *Iustas Defensiones*, *Vindicationes*, *Modestas*, *Placidas Disceptationes &c*. Velit omninò deleri, *quę* moderamen excedunt, & *quę* ad Responsiones non conducunt; quas haud satis congruas afferri ab illis attendere potest, cum in *acerba*, *fellea*, *detractoria &c.* Verba erumpunt. Haud suę existimationi consulit ille, qui hominum huiusmodi amicū se profitetur, multoque minùs, si huiusmodi libros approbet: Ac pręterea *peccare* potest ipse, etiam grauissimè, contra Iustitiamquoque, eosdem approbans: Quid si illos laudet! *Ex his patet*, prudentiam, pietatem, sapientiamq; simul illos exhibuisse summam, quibus cum fuisset traditus quidam libellus recognoscendus, cui titulus, *Correctio Fraterna impensa ex Charitate N. N.* (O quam speciosus titulus! Verum latet *Anguis* sub Herba) *nullatenus* illum approbare voluerunt; *Quia* in se nec *Correctionem*, nec *Defensionem licitã*, cõtinebat; nec ex alio motiuo videbatur approbandus. Non *Correctionẽ Fraternam*: *Tum quia* præueniebatur iudicium aliorum, ad quos id primariò illud spectabat, adeoque non seruabatur Ordo à Christo Domino Præscriptus: *Tum quia* illa non fiebat de *delicto certo*: adhuc enim Lis pendebat; an N. tale delictum commisisset, ob rationes ipsius patefactas etiam toti orbi: non erat ergo Corrigendus de delicto, tanquam certo. *Tum quia* Correctio debet esse *in spiritu lenitatis*, pręsertim quæ procedit à spirituali Viro iuxta dictum Apostoli, *Vos qui spirituales estis, corripite illum in spiritu lenitatis*: nõ debet ergo Correctio esse *opprobriosa*, *ignominiosa*, ipsimet Correcto; neq; alijs etiam Christi fidelibus scandalum patiens, qualis erat illa; nam pręter alias verbales iniurias in ipsum, iniurias graues inferebat tum illius nobili *Familię*, Tum *Patriæ*, Tum *illis*, apud quos degebat &c. *Non Defensionem cum moderamine Inculpatę Tutelę*; Cum enim (præter quam dubitari non immeritò potuit, an fuerit iniuria illata ab illius scriptoris libris), illa tunc exerceatur, cum nõ plus offenditur Inuator, quam

necesse

necesse sit ad iniuriam propulsandam, non verò ad vindictam sumendam; illa iniuria poterat aliter repelli, quam vel *narrando eius crimina* (à quibus tamen cum illi ijdem liberum fuisse apertè dixerint, vitaq; innocentem manifestarint libris editis, apertè mendaciorum Artifex Auctor illius libelli fuit) *vel ea amplificãdo, vel iniuriãdo illius Familia, Patria &c.* Satis illi erat falsitatis arguere illa, quæ à N. obijciebantur. Præterquam Iuridicè poterat contra illum agi &c. *Decet enim Viros Religiosos*, ac præsertim illos, qui se putant instar Apostolorum esse mundi lucem, ac propositos, tamquam exemplar Virtutum omnium, ac nominatim Euangelicarum, *ea via se tueri, quę minùs scandalosa sit &c.* Quid si hic famosus libellus approbatus fuisset à domesticis quibusdam Reuisoribus? Qui tamen nullas luissent pœnas ex tali approbatione, cum tamen peccassent: tum *contra leges* illis pręscriptas; *Ne* in libris, quos recognoscunt, *admittant quippiam, quod alios meritò* possit offendere, vel *Cœtus* existimationem, *religiosamque circircumspectionẽ dedecere videatur*; Ac vt *providerent*, ne libri, quos approbarent, quid *continerent*, quod quauis ratione Nationum, Prouinciarumque res aut personas sic attingat, vt iusta sequi possit offensio; tum cõtra *Pręceptum* de hoc sub pœna excommunicationis, ac in virtute Sanctæ obedientiæ impositum superioribus annis à Supremo illorum Præside. At successor potuit quidem in hisce dispensare legibus; at non in illis, quæ Christi Domini Præceptis, Rectæ Rationi siue naturali iure omninò conformes erant. Potuit ille *vel* esse parum doctus; *vel expers* illius Caritatis, cuius qualitates recensentur 1. *Corinth.* 13. quarum vel vnicæ si opposita in quocumq; reperiatur, haud Caritas Apostolica, & quæ sola efficit, vt Viri verè spirituales sint, ac meritò dicantur, in illo nunquam iure meritò poterit dici vigere; *vel esse* simplex, aliorumque in odio (Caritatis tamen in alios, & summæ, velato specie) stabilium sensibus duci potuit &c. 29. *Animaduertat*, ne in libris, licet per se laudabilibus, *inserantur quędam non laudanda*; & Scommata, dicteria, calumniæ &c. in aliquem *quasi per transennam* ibi proponantur, *titulumque* libri, *titulosque capitum* legens valdè per se commendabiles, quæ in illis subduntur, haud legat, vel saltem cursim legat; nam facilè decipi poterit, & maximè ab illis, qui vafro essent ingenio. *Ponatur* v.g. aliquem librum edidisse, in quo reposuerit Opiniones quasdam, quæ minùs nonnullis arriserint, licet à plurimis non reprobatæ, à multis etiam laudatæ fuerint; aliumque ex illius ęmulis in libro, quem iam parauerat, velle reponere Responsiones ad eum librum, ac libri *Inscriptioni* speciosæ quidem, sed re ipsa futili, subdere; Aduersarij *doctrinam* esse Impiam, Complanatricem viæ ad *Barathrum*; comparari postea illum alicui *Hęretico* ex. gr. *Iouiniano*; Verborum tectorijs malitiosum (O quam virulenta lingua

 insa-

insanorum re vera Hæreticorum propria, ex inferorum quidem barathro prodiens! *adopertorem* abominandæ artis, & ab intelligentia, iudicijq; laude abalienatum, insanum *quoque* appellari: Et quia fieri posset, vt qui librum à Viro nobili conscriptum curauit edendum, prudenter addi voluerit, vt post illius Familiæ cognomem *Illustrissimus Theologus, Philosophus &c.* Æmulum alicubi in eo libro subdere; illum se *Illustrissimum* Philosophum, ac Theologorum Alpha iactare; Genus & Proauos, & quæ ipse non fecerit, vbique *crepare* (quid si esset planè nouus iste Homo!) *referreque* natales suos ad Agamennonem, vel ad Anchisem *Patrem*; esseque *minùs* habentem *doctrinæ*, eò quod publicum aliquod doctrinæ specimē non edidisset; (quid si nec iste omnia edidisset!) *ac præ* exiguo illius doctrinæ censu auditores angariauisse (quid si angariaret re vera lector hanc audiens Vocem, & dum alios eiusdem libros legeret qui *impurissima* re ipsa stylo, *plebeio*, obscuro, insolenti, inæquali, inculto, *putido* conscripti forent, & parum ingenij, minusq; aliquando iudicij, *ideoque nonnulli vetiti*, plurimum verò eruditionis, laborisq; dorsalis in studendo impensi indicarent!) Amicine, cui huiusmodi liber traderetur recognoscendus, forent partes talia approbare; An non potius suadere illi *Primò* vt notam illā opinioni appositam omninò deleret; *tum quia* eam inurere haud priuati videtur esse hominis: *tum quia* illa irrideretur à viris doctioribus, & qui non æmuli Auctoris forent: *tum quia* similis nota apponi posset, præter alias iam appositas, pluribus ipsius effatis, si libros ipsius euoluere diligenter dignatus fuerit Auctor: *tum quia* certè e suo cætu plurimorum placita æquiori iure illa censura damnare illi, alijsque liceret. *Secundo*, vt quæ contra Auctorem congessit maledicta, verbaque detractoria, ac mendacissima, ac valde iniuriosa, Christianis naribus verè *putorem inhalantia* penitus a libro remoueret. *Quid enim* virum, qui multa egit, Scripsitque in Ecclesiæ ipsius beneficium, qui summam Venerationem in Apostolicam sedem, Ecclesiasticosq; Primarios Præsules profitetur, qui moribus ipsis à vitijs nominatim *Gulæ*, ac *Luxuriæ* se remotissimū ostendit, comparare *Iouiniano*, qui omnium Prælatorum iurisdictioni se subtrahens hisce duobus vitijs laborauit maximè, eodē in *Syllabo* (in quo tamen omisit celebres e suo cętu, alios ex alijs Cœtibus, nec omninò sincerè deferens) teste! Præterea læuissimum est à *Comparatione* argumentum; quod si aliquam vim haberet; non ne aptius fortan nonnulli comparari possent *Crucigeris*, siue Cruciferis, Gulielmo de S. Amore, Vuitclef. Eutychianis, Illuminatis, Pelagianis, *Religiosis* illis, de quibus *S. Aug.* in lib. de Op. Monach. & *Ioan. Sarisber.* lib. 7. c. 21. *Pharisæo Luc.* 18. hisque similibus; quæ cōparatio esset eò validior, si iam ingereretur in aliquo libro, qui à viro pietate, doctrinaque

insigni

insigni editus fuisset, & à Catholicorum omnium manibus absq; vlla nota tractaretur: Ad hæc legi posset liber scriptus à *Dominico Grauina* præstantissimo nostrę ætatis Theologo e Sacro Prædicatorum Ordine fidei Catholicæ propugnatore acerrimo, cui Titulus, *Congeminata Vox Turturis* (nam prius ediderat alium cum Inscriptione, *Vox Turturis* Romę probatum anno 1624.) impressus primum anno 1633. Neapoli. *Nonne* isti quoque possent accusari ab ijs, qui non valde beneuolo prosequerentur illos animo, quod sub *verborum tectorijs*, ac sub maioris specie boni, pietatis &c. *adoperirent* artem alios fallendi, in alios dominandi omnes, superbiæ, auaritiæ, gulæ, odij, aliorum iura, bonaque *vindicandi &c.*? Illa vox *Illustrissimi* nonne referri, ac meritò, vt ex primi impressione libri liquet, ad familiam solam illius potuit! Licet autem se *Theologum Illustrissimum* (quid si id nec qui eum librum imprimendum curauit apposuisset, nec Auctor ita de se loqueretur, imò mira esset illius erga omnes Humanitas, ac in omnibus Modestia!) appellasset, estne se *Theologorum Alpha* nominare? Superbiæ quidem, & vtinam non luciferianæ notam subirent illi, qui in exedris, concionibus, libris, priuatis, publicisque vocibus suas, suorumque laudes deductas, etiam ex Apocalypsi in pietate, doctrina, in benemerendo de alijs &c. frequentissimè commemorarent, exaggerarent; & quandoque mendacia, ac falsitates in illis commemorandis admiscerent, aliorum verò eleuare, ac minuere conarentur, illudque contenderent, vt solummodò ipsi Obseruantes, Pij, ac Sapientes haberentur. *Quid si iste Scriptor* plurima posset e literis. Proprio etiam caractere expressis Virorum tum in Dignitate, tum in Doctrina eiusdem cum æmuli conditionis clarissima testimonia non tantùm suæ probitatis ac prudentiæ, verũ etiam non vulgaris doctrinæ proferre; & inter hæc, quod *Studiorum omnium Vniuersatis* ipsorum æmulorum iudicio *Præfectura* dignus fuisset habitus! Si vero semel aliquod publicum doctrinę specimem nõ exhibuisset, originem aliam fuisse, quam illius defectum, cum *antecedentibus annis* pluribus fuisset ab ijsdem constitutus in munere, quod nisi ingenio prestantioribus demandatur; *eodem anno* iurato quatuor primariorum ex illo cætu in doctrina Virorum idoneus ad prælegendam cum satisfactione Philosophiam, ac Theologiam fuerit iudicatus, eodemq; anno iussus, vt insequenti anno in celebri Academia Philosophiam prælegeret; *septem* verò postea annorum spatio eamdem tradiderit cum sapientissimorum tum externorum, tum ex ipso Cætu quoque Virorum mira approbatione, testibus de hoc pluribus ab ijsdem scriptis literis! *Quid* si pręterea, illius nonnulli auditores fuerint illi infensi, eò quod minus tunc proborum essent morum & propter multum eius probitatis *censum*, multamq; regularis obseruantię

ſupellectilem illis fuiſset onerofus, fuiſſentq; verè *Adoleſcentes diſcipuli ſupra Magiſtrum* in minus ſuis moribus S. Fundatoris legibus cõformandis; idq; conſtaret; *tum* ex pluribus etiam literis principum in ea Prouincia, imò & in eo Cœtu Virorum; *tum* quia illius Prouinciç Præſes rogatus ab ipſomet Profeſſore etiam atq; etiam, vt eos Auditores à ſua dimitteret diſciplina (ſemper enim minùs obſeruantibus minùs fauit) ſub illius tamen diſciplina reliquiſset non minùs ingenio inter illos, quam probitate, ideoq; parum illis gratum, prçſtantiſſimum P. C. qui Philoſophiam vniuerſam vnà cum ſeptem alijs ſumma cum laude impreſſis concluſionibus propugnauit; *tum* ex literis eorumdem Auditorum, quorum aliqui ad ſe reuerſi ab eodem veniam petierunt &c. *An non familiaris* Recognitor, qui hçc nota haberet, vel prudenter dubitaret, vtrum ſincera forẽt hçc, & huiuſmodi in libro ad ſe allato, hortari debuiſset, vt hanc ſcripti *olidiorem partem* diſpungeret, eoque etiam conſilio illa *omitteret* penitus, ne ſcriptor cogeretur publicare ea, quç alto çteroqui erant ab illo ſepelienda ſilentio, & quç apertiſſimç falſitatis euinci poterant ex teſtimonio etiam aduerſariorum ſignato, & ex ſcriptura nominatim annis ſuperioribus in Vrbem miſsa à primarijs ex eorum numero viris approbata; *potiuſq;* conaretur *probare* opinionem, prout ab illo allatam, eſse exitialem, ducentem ad barathrum &c. (neque enim ipſius, maximè çmuli, ſimplex aſsertio ſatis id vlli ſuadebit Perito) *reſponſiones afferret congruas* Vniuerſis ab eo in ſuis Libris repoſitis Principijs; nec ea taceret, ac diſſimularet, vt pote *vel* impar illi in doctrina, quç omnibus patet, licet inuidi nollent, illiq; tenebras offundere conentur; *vel* ſciens concluſiones forſan nouas ex ipſorum æmulorum Principijs fermè euidenter deduci. *Qui ſincera* enimuerò *Caritate* hunc diligeret Cætum, nunquam hos, ſimileſq; libros approbaret, ne dum laudaret; Nam illi ſi edãtur, orbi Chriſtiano Vniuerſo Plurimos à primigænijs maiorum ſuorum virtutibus re ipſa exercitis, non in abſtracto, ac idæaliter propoſitis, defeciſſe indicarẽt multò magis; nam ſatis id innoteſcere poſſet; *tum* experiẽtia *tum teſtimonijs*; ipſorum Prçſidum, quorum literæ ſi euoluantur publicis impreſſæ typis, cuique ſatis declarant, non paræneticè, ſiue *exortatoriè* tantum loqui, ſed parænethicè, ſiue *admonitoriè* ad renouandam Cçtus Iuuentutem (cuius & nõ in paucis, ad ſenectutem inclinantis iam, multa afferunt, eaque inſignia documenta, illas fuiſſe ſcriptas) & valde prudenter: *tum Vnanimi* eorum, qui non elapſis adhuc trigintatribus annis ab eo condito cçtu illius *Generalis conſeſſui* interfuerunt; vt videre eſt in alio eiuſdẽ Scriptoris libro, à quo allatas auctoritates ſi quis integrè legerit, manifeſti argui poſset etiam in hoc mendacij nouellus ſcriptor, qui eas Sophi-

ſticè

fticè *parænetice orationis*, *idealisque perfectionis* scuto armatus eludere conaretur. 30. *Perpendat sapientes*, piosq; viros decipi, ac deceptos fuisse aliquando in aliquorũ approbatione, ac reprobatione librorũ, vt videre est nominatim in illis, quæ leguntur initio libri, cui Titulus *Aula Ecclesiastica &c.* & *Hortus Crusianus* impressus *Francofurti* 1648. conscripti ab illustrissimo Theologo, ac in omni ferè scientiarum genere, nedum Humanioribus literis, præstantissimo ex Ordine S. *Benedicti* Viro *D. Romano Hay*, qui refert etiam calumnias à *Crusio* publicatas contra approbationes à *Duacensi Academia* habitas, quæ tamẽ fuerunt elusæ; ideò Recognitor sine maturo examine haud approbet, vel reprobet libros, quos ab alijs viderit approbatos, vel reprobatos, licet hi præcellerent in scientijs. 31. An; ne *aliquorum incurrat odium*, qui minis deterrent, promissisq; alliciunt Bibliopolas quoque, ne vendant, vel aliò mittant, vel ad se mittendos curent libros alibi impressos minùs illis fauentes, expediens sit suum alijs characteribus occultare nomen, prudentis recognitoris hìc & nunc erit decernere. 32. *Si alicuius libri scriptor* apertè profiteatur se nolle, vt suus liber in tali Prouincia, vel Ciuitate approbetur; nullus à quocumque rogatus in tali Prouincia, vel Ciuitate existens approbet illum; præterquam enim id inuito Auctore fit, potest hic altius merito sentire de suo libro, qui aliquando solum Rescriptus esse potest ex alijs, cum videat illum in tanto haberi pretio, vt ipsomet vel nolente alicubi approbetur. 33. *Cum euenire queat*, vt nonnulli librorum Auctores viri valde sagaces, vbi cognouerint certis hominibus traditos suosmet recognoscendos libros, euulgent, illos esse sibi parum beneuolos, vel infensos, ac hostes; esse ex tali Familia, vel Gente, quæ haud libenter talium doctrinã amplectitur; *idque ad extorquendam facilius huiusmodi librorum approbationem*: ne propter subdola hæc verba, quæ à Veritate aliena esse queunt, ab eo, quod rectum est coram Deo, se deflecti sinat. 34. *Cum aliqui* deferuntur libri maximè iam editi, qui dicuntur Correcti, siue emendati; ante approbationem videat, *An Correctio* sit iuxta antiqua exemplaria, & quę integrę fidei fuerint existimata, *illaque* sit verè iuxta Auctoris mentem &c. fieri enim potest, vt aliqui potius suos in illis reposuerint sensus. 35. *Approbationi* voces quasdam adulatorias non inserat. Auctoris Famæ illæ interdum magis obesse, quam prodesse queunt; *quia* cum laudes istæ immeritę videntur extortę, vel ab adulatione ortę, à viris saltem prudentibus huiusmodi iudicium non habetur in pretio, Leuis videtur esse Auctoris Doctrina, quæ huiusmodi commentis, vel fulcimentis indiget: Debitas tamen aliquibus laudes omittere animi parum æqui, inuidiue &c. poterit esse argumentum. 36. *Adulatorios etiam quosdam libros* Vir cordatus non approbet; memineritque, nullam hominum gentem

ferè


ferè maiora afferre incommoda, quam adulantem. Christianus, Catholicusq; Orbis modestis, prudentibus, zeloq; Diuino inflammatis Correctoribus indigere dicitur, non palpantibus. 37. *Ne publici speciæ boni falli se sinat*; excogitare enim hunc Recognitor facilè potest, cum ex aliqua animi passione vellet librũ approbare, vel reprobare. *Meminerit*, nullum librum esse adeò *malum*, quo non possint probi homines benè vti; nec adeò *bonum*, quo homines mali, improbique abuti nequeant. *Creatura omnes vitiosis hominibus laquei esse queunt.* 38. *Cum fieri facilè possit*, vt aliquis liber minùs sit opportunus cõmodis huius Prouinciæ, vel Ciuitatis, in qua ipse degit, recognoscendus traditur; licet cæteroqui dignus, aliorumq; cõmodis opportunus; perpendat secũ acuratè, an à se in tali Prouincia, vel Ciuitate vitam ducente approbandus sit. 39. Si habilis sit, haud recognoscendi libros munus detrectet; imò potiùs hilariter illud obeat; *tum quia* hinc multa discere poterit; *tum quia* fouenda est Scriptorum maximè nonnullorum alacritas; nam præter *literaria* commoda *Reipublicæ* tempus forsan, quod scriptioni dicant, commentis forsan *Reipublicæ Ecclesiasticæ*, vel *Ciuili* perniciosis dicarent, vel in rebus eorum Præsidibus minùs gratis impenderent. Publicorum maximè commodorum est excelsa quædam, & ad maxima nata nobilium præcipuè, ac literatorũ ingenia, hac libros scribendi, vel simili occupatione habere detentos, vltroq; illos ad id excitare, suauiterq; impellere. *Nouerit præterea*, haud esse satis multorum cõmodis consultum, si sinceri, fideleſque amici detrectent Recognitoris munus; nam hi suadere poterunt amicè Auctori, vt aliqua demat minùs nonnullis grata, addat alia illis enimuerò grata &c. Auctorq; vltro in amici gratiam annuat. Si autem illum recognoscat non amicus, multa, eo quod non sint contra Fidem, Bonosque mores, licet aliorum placitis, ac genio non conformia, vltro admittat, nec audeat cum Auctore de vllis addendis, vel demendis verbum vllum facere. Minus iusto *Dei iudicio* quandoq; *Carnalis Prudentiæ* etiam specimen exhibent illi, qui in illa excellunt. 40. *Si quid sibi legenti, vel meditanti* quod possit Libro, quem præ manibus habet recognoscendum, addi occurrerit, humaniter suggerat amico Auctori, *qui non nisi* summas hinc illi grates habebit. 41. *Ocius quam fieri possit, librum perlegat*, tradatq; Auctori; duplex enim beneficium in illum conferet, adeoq; duplicem reportabit gratiam: Idq; maximè, cum alicuius subitæ approbationis vis vrgeret. 42. *Cũ libros latinè scriptos*, maximè si paulò pressius, ac tersius scripti sint, nõ esse dicendos vulgo scriptos existimari facilè, nec irrationabiliter, possit; Libros aliquos latinè scriptos Italę, vel Gallicę, vel Hispanicę linguę donatos non facilè approbet; potest enim liber aliquis latino, aut simili idiomate non obuio scriptus esse vtilissimus, qui communi, vulgariq; lingua dona-

donatus sit perniciosissimus. *Praeterea* videat, an integrè, ac sincerè versus. 43. *Ne ex eo quod* sibi nonnulli tradantur recognoscendi libri, putet se sapientissimum esse, habere sapientiam quasi cælitus infusam, & hinc sibi adeò arroget, vt nec alios, nec Auctores ipsos ceteroqui etiam celebres audire velit; *multoque minus sit pertinax* in sententia semel lata de approbatione, vel reprobatione libri, vel alicuius illius partis, si minùs illam subsistere nouerit. 34. *Cum dubitat, An* aliquis liber sit à se approbandus, an reprobandus; *An* aliqua opinio admittenda, an reijcienda; alios seorsim peritos interroget, quorum iudicio stare possit; vel vt alijs tradatur recognoscendus, ab amico petat. Cæteris paribus videtur standum pro approbatione &c. 45. *Obscænos libros,* siuè *obscæna tractantes de industria* pius, ac prudens Vir non approbet. Perniciosissimi sunt hi enimuerò, si maximè vulgari, cõmuniq; idiomate conscripti. Haud tamen tales sunt omnes, qui *Amatorij* etiam dicuntur. 46. *Sit valdè cautus* in approbandis libris, in quibus non tribueretur laudi, quod Principes Viri Seculares scientijs exornati forent, vel enumerarentur tantum incõmoda, quę scientię, siue potiùs aliqui abutentes scientijs intulissent; nam de his sermones etiam maximè publici minùs laudantur, etiamsi ad ingenij ostentationem (sed re vera futilem) illi haberentur; possunt enim minus prudentes, ac nominatim Iuuenes hinc à scientiarum studio amplectendo, aut illo prosequendo saltem cum alacritate retardari. 47. *Christianæ Charitatis, & Pacis,* quam *Christianæ Religionis tesseram* esse voluit *Christus,* amans; haud facilè approbet libros, in quibus reponuntur quæstiones *de Ecclesiastica,* ac *Sæculari Iurisdictione; de Auctoritate Romani Pontificis in Controuersis inter Catholicos, de Potestate Sæcularium Principum* in subditos sibi; de *Iurisdictione Episcoporum,* ac *Regularium Exemptione*; de *Historicis* quibusdam *Controuersijs* inter ipsos Regulares &c. hi enim grauissimas sępè excitant contentiones cum graui Caritatis, imò & Iustitiæ interdum præiudicio, e quibus adeò graues rixæ, grauia etiam existere queunt bella, vt pax vera à Christo commendata, vix vnquam sperari possit. 48. *Publici amantissimus Boni* haud approbet libros, in quibus reponuntur Opiniones (nisi hę amoueantur) quæ *Christianam simplicitatem* tollunt, *fidelitati,* ac *sinceritati* tum in Verbis, tum in factis præiudicant; *tyrannicam* gubernationem, *subditorum* inobedientiam fouent &c. *Libenti* autem animo, vltroque approbet libros, qui promouent *veram in Deum, Patriam,* ac *Parentes Pietatem: Iustitiam:* Æquitatem: Caritatem: Pacem: Ciuium tranquillitatem: *Christianorum* Concordiam, *Reipublicæ* ecclesiasticæ, ac Secularis consensum iuxta Christi mandatum; inducunt *Virtutes* Caristiano, ac moraliter etiam, siue iuxta rectam rationem viuente homine dignas, *Vitiaque* ipsi met maximè naturali repugnantia

lumini

lumini exterminant; *literarum* ſtudia, literatorumq; alacritatem ad Dei Honorem, orbiſq; vniuerſi vtilitatem fouent &c. *Ac Vniuerſim*, Qui ſint ſimpliciter emolumento legenti in *Bonis*, ſiue *Animę*, aut *Animi*, ſiue *Corporis*, ſiue *Fortunę*. 49. *Eos quoq; libros* minùs approbet, quorũ Auctores habẽt potiùs ſibi propoſitũ, vt alios oppugnent, quam vt propriam firment opinionem, ac maximè, ſi minùs modeſtè id faciant. Sapienter *Reg. 9. Reuiſorum Generalium Societ.* hæc habet. *Diligenter quoque animaduertent*, vt Noſtri de ſe inuicem, vt par eſt, *honorificè loquantur*; neque pręferant animum ex *profeſſo Scriptorem ex noſtris* vllum, eiuſque opiniones, & rationes *potiùs impugnandi*, quam ſuam *ſententiam ſtabiliendi*. Quod ſi aliquando ab alicuius peculiari ſententia cogantur diſcedere, *id modeſtè faciant*; *ſimilique etiam cautione vtantur erga externos Doctores Catholicos*. Quid ſi immodeſtis omninò verbis ſolum in editis libris ſcriptorem aliquem Catholicum vexari, nec rationes illius impugnari, multoq; minùs propriam contra illum ſententiam ſtabiliri certò cognoſceretur! Horum Recognitorum cuiuſq; fuiſſent conditionis, cum in illis tunc deſideraretur *tum* Caritas, *tum* Prudentia, tum *Scientia*, haud veſtigijs inſiſtat pius, prudens, ac doctus Recognitor. Qui *meminerit*, inter *Thomiſtas* nominatim, & *Scotiſtas* fuiſſe priſcis ſæculis grauiſſimas in re literaria controuerſias; & tamen felleas, iniurioſas, ac detractorias voces in ſcriptores, vel ordines in eorum libris non legi, quæ in recentioribus nonnullis leguntur. 50. *Si ad ſe deferantur libri* recognoſcẽdi eo dumtaxat conſilio, vt videat ſi quid in illis diſſonum *Fidei*, vel *Bonis moribus* ſcriptum ſit, poſſitque corrigi, ſi quid huiſmodi deprehendatur, antequam deferantur ad illos, qui ex publico munere id examinant; de hoc dumtaxat ſuum interponat iudicium. Forſan Auctori, aut librum deferenti haud gratum erit, quod ipſe de alijs illud ferat; quod facilius præſumi poteſt, ſi ipſe in Criticorum numero habeatur, velitque in omnibus ſuum afferre ſenſum, in quo ſit etiam pertinax &c.

Multa maior, vel minor cum libri Auctore *Amicitia*; multaq; *Prudentia* hìc, & nunc ſuggeret Recognitori, de quo hìc ſermo eſt, *quæ calamo deſcribi, vel caracteribus exprimi* nequeunt.



Perillustri, atque Excellentissimo Domino
BERNARDINO CALCANEIS
Iuris Vtriusque, ac Philosophiæ Doctori;
Quem æque Morum Integritas Summa,
Varia eruditio,
Ac in Domesticis, Externisque Negotijs
Tractandis Prudentia
Commendabilem Reddit;
Cuius Summum in OPTIMOS PARENTES Obsequium;
Singulare in FRATRES Studium;
In Omnes quidem, sed præsertim
In Viros Scientijs Illustres,
Mira Humanitas,
Dulcissimo Amoris Vinculo
Quorumcumque Animos
Sibi Obstringit:
Animaduersiones Quinquaginta
PRO ORATORIÆ FACVLTATIS
STVDIOSO
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
Comes Placentinus,
Cum præclarissimis illius Meritis
Par modò referre non possit,
Animi tamen
Semper eorum Memoris
Indices
D. D. D.

Caput Octauum.

T

1 INter Cælites e Græcis peculiari prosequatur cultu S. Gregorium Nazianzenum, & e Latinis S. Ambrosium cuius facundiam ingeniorum apex Augustinus admiratus est. 2. Quicumque in Oratoria facultate laudes assequi cupit, quales ad id à natura obtinuerit dotes, inuestiget sedulò: nam præclaras nunquam assequetur, si plerasq; natura non impertierit, licet Ars aliquas addere, vel saltem perficere multas possit. 3. Haud desperet, se perfectum Oratorem euasurum, dum sibi ad oratoriam facultatem idoneas dotes Natura suppeditarit; Ac Naturæ Artem, exercitationemq; (his enim tribus Oratoria Facultas consummatur) adiecerit. Si quis ergo videat se acumine, ac celeritate excogitandi, & facilitate proferendi, ac Venustate, siue Gratia in Dicendo, & rerum species memoria custodiendi, & linguæ solutione, & Vocis suauitate, & laterum Firmitate à natura donatum esse, Artem adijciat; cui plus, quam Naturę debebit; subdatq; exercitationem, quæ mirificè & Artem, & Naturam perficit, ideoq; sæpe & scribat, & dicat &c. Subtrahat verò tempus superuacaneis officijs, rerumq; inutilium occupationibus, ne annorum breuitatem incuset, quo minùs multum in Oratoria Facultate proficiat. 4. Ad optima semper nitatur, perfectissimique oratoris laudes in se exprimere conetur; hinc aut euadet in summum, aut certè multos infra se videbit. Altius it, qui ad summa nititur, quam qui præsumpta desperatione quolibet euadendi circa ima subsistit. 5. Suadeat sibi, nunquam Oratorem futurum, nisi sit simul Vir Probus. Assentiuntur qui Oratorias Institutiones tradunt, & nominatim Quintil. lib. 12. Inst. Cap. c. 1. (ex quo aliqua hic desumpta sunt) Catoni definienti oratorē, vt sit vir Bonus dicendi peritus; qui & subdit, ne futurum quidem oratorem, nisi Virum Bonum; secus enim stultus erit, intelligentia, ac prudentia destitutus; nec studio eloquentiæ, vt par est, vacare potest mens, nisi omnibus vitijs libera; nec de æquo, bonoq; ac virtutibus &c. secundum debitam rerum dignitatem dicere poterit æque vir malus, ac probus; & præsentes non fidem habent improbo dicenti, & frequenter etiam vera proferenti; vix non potest non titubare, ac hærere loquēs de virtutibus Orator &c. quoties ab animo verba dissentiant. Nullus certe non afferet, Meliorem esse dicendum Oratorem, si fuerit quoq; homo melior; & Facultatem dicendi, si in malos incidat, & ipsam iudicandam malam; peiores enim illos facit, quibus contingit &c. Et priscis quidem temporibus ijdem & Eloquentiæ, & Morum Præceptores erant. Quamuis autem fuerint nonnulli Oratores laudati, quorum mores fuerunt reprehensi (quicquid sit, an meritò multa illis adscripta vitia, an verò ex inuidia, odio &c.) Negari tamen non potest; quin æquiori iure Oratoris nomen obtinuissent, maiorique cum laude munus suum obijssent, si illis non fuissent contaminati vitijs. Si Orator

tor tamen interdum, & ex fragilitate in aliquod Crimen, ac nominatin si hoc sit priuatum, nec contra aliorum Ius, labatur, haud malus dicendus est. *Nunquam fiat*; vt in Oratoria Facultate dicantur præcellere Homines, quibus esset propositum Adulàri Magnatibus præcipuè; alios suis regendi nutibus cupidissimi forent; sua tantum mirarentur; vitijs spiritualibus multis essent obnoxij &c. fieret enim, vt si horum numerus propagaretur, illi animorum morbi in Christianum, Catholicumque inueherentur orbem, quos auertere tantum possent medicamenta e Cælo delapsa. 6. *Meminerit*, Ciceronem ipsum apertè testari, se non ex *Rhetorum officinis*, sed ex *Philosophorum spatijs Oratorem* extitisse. Quare Philosophiæ, tum *Rationalis*, tum *Naturalis*, tum *Moralis* studio se tradat. Et *Rationalis* quidem, siue *Logica*, siue *Dialectica* studium est Oratori pernecessariũ ad Finitiones; Comprehensiones: Diuisiones: Distinctiones: Separanda, quę sunt differentia: Resoluenda ambigua: Ad calliditates, Cauillationesque aliorum eludendas &c. Peculiariter autem *Topica* opus est Oratori, quæ ad Oratoriam artem reuocata ex Aristotelicis libris desumpta est. Logicæ enimuerò partem aliqui Rhetoricam Artem constituerunt. Præcipuos etiam Oratores in *Naturali* quoque versatissimos fuisse eorum libri, ac nominatim *Ciceronis* (qui an magis in Oratoria Facultate, an in Philosophicis excelluerit scientijs, dubitari non immeritò potest) satis declarant. *Morali* verò maximè indiget Orator, ac Ethica, Politicaque præsertim, siue *Iudiciale*, siue *Deliberatiuũ*, siue etiam *Exornatiuum* genus tractet. Et experientia quidem patet, complura quę in oratoribus leguntur non posse intelligi, multoque minùs explicari à Viris hac triplici Philosophia destitutis; ac nonnullos Rhetoricæ Artem profitentes, dum vel ipsius Ciceronis librorum de *Officijs*, de *Amicitia*, *Paradoxis*, ne dum Orationes (vt omittantur de *Philosophia*) sensum alijs declarare contendunt in Philosophicis non versati, in plurima labi errata, ac irridendos se peritis præbere, prauaq; eorum intelligentia Adolescentum animos imbuere. Cum certè à Philosophię omnis ignaro nunquam aptè Cuiusque Orationis Symetria, harmoniaque possit vnquam cuique indicari; haud tradendi forent Adolescentes in Rhetoricis instituendi Viro, qui huius triplicis Philosophiæ subsidio penitus foret destitutus. *Mirandum* esset (sed simul eorum deprimenda audacia) quod aliqui se Rhetoricam artem profiteri, & publicè, dictitarent, eamque in Scholis tradere conarentur, qui leuissimam, aut nullam Philosophiæ notitiam habent. Quò quis in Philosophia magis excelluerit, cæteris paribus perfectior & Rhetoricæ Magister, & Orator quoque erit. Legantur ad hæc, quę Cicero ipse in lib. *de Oratore* scribit. 7. *Iuris Ciuilis*, imò & *Canonici* scientia sit exornatus Oratoris animus. *M. Cato, M. Tullius*,

lius, alijque superiorum ætatum præstantissimi fuerunt cùm in dicendo, cùm ijdem Iuris peritissimi. Orator in vtroque foro declamare nō rarò debet: multa suadere tū Laicis, tum Ecclesiasticis hominibus; multa ex Vtroque Iure confirmare. Non est quidem necesse, vt eam habeat legum notitiam, quam illarum Professores habere tenentur. 8. *Historias*, siue *Exempla*: Tum antiqua, tum recentiora: Tum prophana, tum Ecclesiastica; Tum vera, tum ficta (sub quibus latent saluberrima sæpe Moralia Præcepta) habeat perspecta plurima; quę ad certa reuocet Capita, sed selectiora. Meminerit inter Argumentationes Rhetorum maximè proprias *Exemplum* reponi. 9. *E Mathematicis* aliqua *Musicæ* cognitio est Oratori valdè opportuna, *tum* ad Gestum, *tum* ad verborum collocationem, *tum* ad Vocis flexum; nam Grandia *elatè*, Iucunda *Dulciter*, Moderata *Leniter* sunt proferenda &c. *Geographia* etiam ad describendas *Vrbes*, Prouincias &c. 10. *Necesse est*, vt in *eruditionum* libris sit maximè versatus; mores gentium, ac populorum perspectos habeat, simul cum moribus ætatum personarum &c. de quibus *Aristoteles* peculiariter in *Rethoricis* agit. 11. *Quæ sit affectuum* natura habeat exploratum, sed exploratissimū, *Qua ratione* illi excitari queant, acui, demulceri &c. Quò quisque ad Auditorum animos in quamcumque flectendos partem aptior fuerit, eò perfectior erit Orator. 12. *Cum finis* Oratoriæ Facultatis censeatur *Persuadere*, hoc est, *efficere*, vt Alius idem existimet, quòd is qui suadet, siue faciat, aut velit, quod suasor eum facere, aut velle cupit (qui finis hoc modo explicatus comprehendit quodcumque orationis genus, Iudicia is, Deliberatiuæ, ac Demonstratiuæ) Orator maximè desudet in perficienda *Elocutione*, & *Actione*; hæc enim videntur esse propria Oratoris instrumenta; nam *Inuentio*, *Dispositio*, ac *Memoria* sunt cum alijs communia. 13. *Vitet Elocutionis* Vitia; tum *Generalia*, hoc est, *Obscuritatem*, *Impuritatem*, ac *Insolentiam*; tum Quorumdam *specialia*, hoc est Orationis *Vilitatem*, ac *Inæqualitatem*; tum Oratoris *propria*, hoc est, *Inopiam*, & *Incultum*; siue ratione *Materiæ*, Orationem contexendo sine Tropis, sine Figuris, sine Amplificationibus; siue ratione *Formæ*, Male collocando, Male iungendo verba, parumque numerosa collocando. Multo autem studio prosequatur *Virtutes*: Tum cuilibet Latinè loquenti Communes, *Perspicuitatem*, scilicet, & *Puritatem*: Tum quorumdam proprias, *Elegantiam* scilicet, & *Æquabilitatem*; Tum Oratoris Proprias, *Copiam* scilicet, seu *Varietatem*, *Cultum*, siue *Ornatum*, & ratione *Materiæ* Tropos, Figuras, Amplificationes adhibendo, & ratione *Formæ*, Bene collocando, Bene iungendo verba, numerumq; orationis prosequendo. 14. *Cum Oratoris Actio* comprehendat, tum *Pronunciationem*, siue *Sonum Vocis*, tum *Gestum*, *Motumque Corporis*, Orator teneat exactè, quæ ad Vo-

cis,

cis, Gestusque moderationem, *tum* initio, *tum* in decursu orationis; *tum* dum quædã dicuntur (hæc autem varia sunt, ac multiplicia) maximè faciunt. Recordetur, *Actionem* appellari, & rectè, *Corporis* eloquentiam; eoque auditores præcipuè solere permoueri, quod simul & vox auribus, & gestus Oculis, & verba mentibus impresserint. Ad id conducit valdè prestantissimos in Actione Oratores audire: Multi nostris etiam temporibus summam laudem ex Actione consecuti sunt; quorum lectæ tantummodo Orationes nullam fermè laudem illis conciliant. Integri, copiosiq; libri de *Perfecta Oratoris Actione*, ac *Pronunciatione* Tres editi sunt *Parisijs* 1620. qui fuere conscripti ab erudito Viro ex *Eruditissima* Societate Iesu P. *Ludouico Cresollio*, ex antiquorum maximè monumentis. Antiquiores tamen celeberrimi non in his semper imitandi; nam in aliquibus videntur peccasse; non in eodem Orationum genere versati sunt vt plurimum saltem, in quo recentiores plerumque versantur; & aliqua subsequentibus sæculis Sapientibus etiam Viris minùs arriserunt. Ad *hæc* pertinent illa, quæ Dicendi Actum præcedere debent, ac subsequi. 15. *Obsoletas quasdam* Voces, etiamsi vsurpatæ fuerint à *Plauto, Terentio, Cicerone, Demosthene, Tucidide, Isocrate*, deuitet Orator; nisi quando ornandi causa, & tunc parcè: non solum quia teste experientia hę ad gloriolam quamdam, futilem enimuero, & cum summo labore inquiri solent, orationibusque inseri; & tamen teste *Quintil. lib.* 1. *c.* 10. nihil odiosius est *affectatione*; verum etiam quia hæ obscuram reddunt orationem. Sic etiam quosdam loquendi modos, siue phrases &c. quæ solùm aliquando à celeberrimis Oratoribus, & forsan cum minori ipsorum laude, sunt prolatæ, subsequentibusq; sęculis non admissę, reijciat. Vitium est in oratione a Communi eruditorum hominum consuetudine abhorrere; eoque maius, cum ex hoc fiat, vt minus *Perspicua* sit Oratio. Aliquorum quidem Ingenium ad obscuritatem natum est; sed aliorum quoque *Genium* est vltrò orationem *obscurare* ad laudem sibi comparandam; quam putant se consequi summam, cum Auditores discedunt ignorantes, quid ipsemet orator dixerit; & hi peccant quidem nedum *contra leges, & primarias Orationis*, verum etiam contra *legem ipsius naturæ*, quæ loquendi, & vario idiomate, loquendi facultatem hominibus elargita est ad indicandos alijs internos animi sensus. Non semel experientia patuit, nonnullos, qui in Latinæ linguę cognitione haud erãt hospites, ab aliquibus audiendis orationibus recessisse vltro fatentes, se nihil planè ex illis, quæ dicta fuerant, percepisse. Quid Auditores cæteri, qui minus his in Latina lingua erant versati, & tamen enixè rogati erãt, vt illis adessent orationibus! *Vitiosa est Oratio*, quæ interprete eget. 16. *Eloquentiam quidem amet*, sed non in *Solis* sitam verbis: *Neruosa sit*; Cor-

datā

dati homines à Solis enimuerò verbis se suaderi haud permittunt. Plures quidem orationes nihil succi habent. Illud quidem verissimum est, nonnullas maiorem sibi ex eloquentia, quam alio nomine laudes sibi vindicare. Qui Ciceronis Orationes diligenter scrutatus fuerit, non vanam, futilemq; illius eloquentiam, verum ad suadendum Viris, coram quibus eas habebat (inter quos erant & Patricij, ac sapientes Viri) id quod sibi propositum erat, aptissimam fuisse deprehendet. Quamplurima quoq; est in illis legere *mira ingenij acumina* firmiora multis, quæ à recentioribus proferuntur, aut laudantur

16. *Licet laudabilia sint* in quocumque orationis, ac præsertim *Demonstratiua* genere, ingenij acumina, siue conceptus; videndum tamen *Vt illi* 1. *Non sint futiles, Pueriles, ludicri*; in quos si quis diligenter prudentem mentis obtutū fixerit, eorum vanitatem deprehendat. 2. *Sint ad rem*, siue connexi cum re, de qua agitur. 3. *Sint inter se connexi*, & non veluti calx sine arena. 4. *Non sint per Synonimas voces repetiti*. 5. *Sint apti per se* aliquid suadere Auditoribus &c. 6 *Non sint nimij*: in quo à multis peccatur, qui meminisse illud *Senec. Præf. Contr.* deberent, *Nihil est iniquius his*, qui nusquam putant esse subtilitatem, nisi vbi nihil est præter subtilitatem. Hisce minimis inuentiunculis, quarum plurimę postea excussę risum habent, inuentę facie ingenij *blandiuntur* (vt habet *Quintil. lib. 8. Instit. c. 5.*) *gaudent plerique*, sed Iuniores, vulgarisque iudicij homines. Lumina quidem ista, quæ *non* flammis, sed *scintillis inter fumum emicantibus* similia dicuntur, & a nonnullis appellantur etiam *phantasmata*, fulgetraq; momentanea, ac palpitantia accensæ imaginationis illico euanescentia; à Virorum nominatim grauium oratione, & à materijs etiam *grauibus* præ cęteris, & maximè dum *affectus* excitandi sunt, debent abesse. Quot enimuero Orationis nomine inscribuntur, quæ huiusmodi luminum siue phantasmatum, siue inuentiuncularum copulatio, siue conglobatio, siue congeries potius appellandæ forent! In his videre est nō tantùm plurima cōtra Orationis ipsius Virtutes vitia, ad quæ impellit sæpe conceptuum multiplicatio, verum etiam nullam Orationis, quæ hactenus ab Oratoriæ facultatis peritis descripta est, ac significata tum voce, tum exemplo, speciem expressam. Huiusmodi Orationum (quæ tali nomine simpliciter haud dignæ sunt, cum sint adulteræ) scriptores non spirans, non sublime, non robustum ingenium, multoque minùs iudicium præferunt. Illa laudabilis oratio, in qua simul cum eloquentia Solida ingenij acumina rem magis illustrantia, atq; cōfirmantia identidem apparent; quam videre est e recentioribus nominatim in Allocutionibus Gymnasticis *P. Vincentij Guinisij* Nobilis Lucensis Pręceptoris mei disertissimi e Soc. Iesu, ac Orationibus, siue Discursibus *Augustini Mascardi* Italicis, in quibus nullum

lum hactenus habuit superiorem. 17. ***Sicuti vitandus est*** Oratori ***Verborum circuitus***, qui sit longior, quam vires, aut anima patiatur, nec eò vsq; trahendus *spiritus*, donec deficiat: ***Ita quoque*** nõ debet Verborũ circuitus esse breuior, quam aures expectent, nec spiritus crebrò receptus concidere sententiã; ex huiusmodi enim conciso genere (quod palpitantis cordis morbo cõparari solet à nonnullis, ab alijs scintillantibus planetis, motui trepidationis, infantium motui &c.) amputatisque sententijs oritur Tum ***Oscuritas***; nam Breuitatis æmuli necessaria quoque Orationis subtrahunt; Tum ***Dissolutio***, siue ***Coniunctionis carentia***, siue ***Fractum***, ac veluti ***Saltitans*** dicendi genus, cũ tamen ab Orationis dispositione in ordinem digestę, atq; inter se commissę res omnes sint deuinciendæ: Tum ***Numeri Defectus***; auris enim, vel animus aurium nuncio, dum mutila sentit quædam & quasi decurtata, quibus tanquam debito fraudatur, offenditur. ***Incisim*** & ***membratim*** tractata oratio est potius Histrionica, adhibenda solum inarguendo, refellendo, iubendo &c. ***Præterea*** Oratori ita vitandum sermonis genus exile, aridum, concisum, ac minutum, Dialecticorumq; proprium, nisi quando res, de qua agitur, eguerit; ***Vt declinandum*** quoque illi sit ***Fusum*** adeò, ac ***Profluens***, vt nullis penitus Dialecticorum cancellis circumscribatur. 18. ***Orationes*** ne ***longæ nimis*** sint, tædium enim auditoribus afferunt; nec licet exquisita, omnibusque numeris absoluta fuerit oratio, si cum tędio audiatur, mouere, aut allicere potest Auditores, qui quandoque mentem etiam aliò auertunt. Nec sint ***Breues*** nimis instar nonnullarum, quæ ***Antiphonaria*** appellatę sunt à nonnullis; *tum quia* in his non est videre plerumq; partes cuique necessarias Orationi; *tum quia* hę solent esse potiùs congeries argutiarum quarundam, ac sępissimè leuissimarum, & quę aptiores sunt inseri Epigrammati, quam Orationi; *tum quia* probata elocutio ab illis solet abesse: *tum quia* iniuria videtur inferri auditoribus; neque enim erat tanti, vt ę domo importunis etiam discederent temporibus, ac diu quandoque expectarent in loco, in quo habenda foret oratio, quæ vix vnius, ac etiam interdum, nec vnius quadrantis spatium admisit. 19. ***Norit***; cum tria sint dicendi genera, ***Maius***, ***Medium***, ***Minus***, quorum vnumquodque in tria adhuc subdiuiditur, hoc est, ***Sublime***, ***Temperatum***, ac ***Tenue***, adeoq; ***Temperatum maius*** esse ***Sublime*** in *Medio*, *Maius* tenue esse temperatum in *Medio*, ac ***Sublime*** in *Minori &c.* in eadem quoq; oratione, ne dum in diuersa, diuersoq; dicendi genere, hæc varia caracterum genera, ne dum pro orationis partium diuersitate, verum & in eadem parte pro rerum diuersitate vsurpanda. 20. ***Eorum vitet morem***, qui de nouo Orationis argumento valde solliciti sunt, in eoq; excogitando valdè insudant, & dummodo aliquod nõ obuium, sed peregrinum inuenerint, sibi iam totam

ferè

ferè orationem, vel maximam illius partem se confecisse putant: At nihil vel leuiter de elocutione, de ijs, quę connexionem cum argumento habent, ac de illis, quæ sunt virtutes maximè Oratoris, ac Orationis proprię, laborant. Quidam imperiti statim ac huiusmodi argumenta audiunt, aut legunt, statim admiratione corripiuntur, illaq; laudant: At Sapientes antequam iudicium ferant, orationem vniuersam audiunt, aut legunt. *Nec imitetur illos*; *Qui* de elocutione ex probatis auctoribus desumenda, aut colligenda non solliciti nouę linguæ Auctores videri volunt, easque voces, eosq; loquendi modo vsurpant, qui sæpè inepti sunt, ac risu quandoq; explodendi meritò, licet iudicij inopes illos suspiciant. 21. *Licet Orator* eruditus esse debeat, ac *eruditiones* inseri orationibus possint, imò & debeant sæpissimè; præcauendum tamen, *ne* sint nimis frequentes, *ne* nimis protractæ, *ne* sint extra rem, & *ne* incongruè sint dispositæ. Homo quidem eruditus vt sic ad Rhethoricam facultatem edocendam nō est aptus; nec qui audierit lectiones, quæ eruditiones tantummodo proponant, vnquam Orator euadet. Commendabile foret, vt in qualibet Academia esset qui eruditas haberet lectiones; sed magis, si vna adesset, qui Oratoriæ, vel Rhetoricæ Artis præcepta traderet. Aliquis idem munus subire posset. At cum facilius sit eruditas habere lectiones, quam Rhetoricam tradere artem, Auditoresque verè Oratores, atq; Rhetores reddere, fieri potest vt quis maiorem declinet laborem; indeq; Auditores priuentur fructu, qui expectandus foret ante alios à Rhetoricæ classem adeuntibus. 22. *Orationem conficiens* nunquam habeat sibi propositum tantummodo, auditores rapere in admirationem, siue suæ eruditionis, siue elocutionis &c. hæc enim sunt media, siue adiumenta ad finem, quem Oratoria facultas sibi præsignat. Esset id ordinem naturæ, Artisque immutare. 23. *Licet Periodi* & numerosè perfici, ac numerosè cadere debeant, & ad id quasdam habeant leges; illud tamen nō affectandum videtur (in quo etiam peccasse *Cicero* dicitur) & maximè dum feruet in dicendo orator; ea etiā de causa, quod minùs id quod proponit Orator, suaserit auditori, què periodos certa cadentes lege prosequi studiosissimè viderit *Vniuersim.* Debēt numeri sponte fluxisse, non accersiti, & coacti esse videri. 24. *Oratori quidem euoluendi sunt Poetæ, ac Historici*; Cauenda tamen illi Poetica verborum libertas, figurarum quarumdam licentia, talisque verborum coniunctio, quæ versum in oratione efficiat; in quod vitiū lapsum fuisse quoq; Ciceronē contra à se latam quoque legem, nec semel, multi animaduertunt: Et Poetarum quidem lectio multis eo etiam nomine vtilis est, quod magis sublimem, & grandem reddere soleat orationem illius, qui ad humilem, ac tenuissimam propensus est; Cum verò Historici oratio accedat ad Poeticam, non

omnia, quæ in Historico circa elocutionem etiam laudantur, Oratori vsurpanda. *Vtile* est initio etiam celebrem aliquem Poetam *paraphrasticè* soluta interpretari oratione. 25. *Obseruet*, quandoque non solùm aliquas orationis partes omitti posse, verum etiam ipsam partium dispositionem mutari posse; nam teste *Cic. in Partit. Orat. & 2. de Orat.* Auditorum aures *moderantur oratori prudenti, & prouido, & quod respuunt*, immutandum est. Quod tamen dictum non intelligendum, ita vt iuxta imperitæ multitudinis, vel sciolorum quorumdam sensum (qui nihil de præceptis antiquorum circa contexendas orationes, de illis imitandis &c. laborant, suoq; marte illas scribunt, scribendasque euulgant) scribenda prorsus oratio sit; nam si sermo orationi partes necessarias, ornamentaq; necessaria haud habuerit admissa ab illis, qui Oratoriæ artis præcepta tradiderunt, eaq; etiã exemplo suo confirmarunt, haud *Oratio* dicenda erit; & si liceret hisce orationis nomen inuertere, alijsq; accommodare, etiam lectiones, vt sic Philosophicæ, Theologicæ &c. appellari orationes possent; & præterea si in horum legibus haud standum esset antiquioribus, nec standum erit Grãmaticæ legibus ab omnibus planè receptis &c. Sensus ergo videtur esse, non illum semper in orationis partibus ordinem seruandum, neq; leges, quæ ad illas afferuntur ita exactè seruandas, vt non possit quandoque prudens orator, illum immutare, hasque leuiter violare &c. *Ille sensus etiam potest* (qui verissimus) esse; Auditorum Qualitati orationem esse accommodandam; nam erudita magis, ac luminibus quibusdam splendida magis debet esse Oratio habenda in Academia, vel in loco, in quo adsint Periti Viri, quam habenda coram Populo; vel in loco, ad quem cõuenire queant omnes: Ipsa etiam pronunciatio, ipsemet etiam gestus haud idem coram Principe, vel in Senatu, vel coram Magistratu, qui coram Priuatis, vel Populo &c. 26. *E Græcis Demosthenem, e Latinis Ciceronem* inter cæteros sibi ad imitandum proponat. Quò his similior, eò perfectior existet Orator: si aliqua in his merito reprehensa euitet. Si Demosthenes aliquando dormitare visus Ciceroni; etiam Ciceronis ipsius præcepta potiùs, quam exempla sequenda. Non ita tamen his adhæreat, vt alios etiam, qui laudes summas consecuti sunt oratores, imitari detrectet, & in illis nominatim, propter quę illi fuere maximè laudati; vnusquisque enim e celebrioribus habet, in quo cęteris excellat. Caueat verò, ne aliquorum instar, illis, quæ minus in illis laudata, vel vituperata sunt, semet conformet. 27. *Norit resoluere* siue Ciceronis, siue cuiusq; celebris Oratoris orationes iuxta artis pręcepta in suas Partes; *Attendat, Qua ratione* hi Artis præcepta fuerint amplexi (iuxta quæ de aliorum Orationibus iudicium ferendum) *An* aliqua *addi* potuissent, aliqua *demi*, aliqua in *melius im-*

mutari

mutari &c. Iuuabitq; ad hæc notas habere circumstantias, in quibus habita est oratio, personarum, loci, temporis &c. Mentis obtutus figendus præcipuè In *Dispositionem*, In *Figuras* tum verborum, tum sententiarum, In *Probationes*, In *Amplificationes*, In *Transitiones*, siue *perfectas*, siue *imperfectas* (quę Corporis organici tēdinibus assimilātur) In *Particulas* quasdā, de quibus editi libri sedulò euoluēdi: Illæ connectunt commodissimè postremas voces subsequentibus, quæ nullam fermè cum præcedentibus videntur habere connexionem; hæ verò solent eiusdem orationis partes inter se copulare aptissimè, ac lepide, miramq; elocutioni Energiam conferunt. 28. *Ad alicuius e celebrioribus* exemplum orationem conficiat, simili argumento prius proposito; postea dissimili, iisdem tamen adhibitis instrumentis: nam imitatio prior videtur potius *puerilis*, initio tamen ad facilitatem acquirendam potest esse vtilis, cum sit veluti Prędudium, siue Prolusio, sicuti & Criarum confectio. In illa non sistendum, sed ad *Virilem* progrediendum, quæ Furti nomine haud est digna, sed valde laudabilis, ac necessariæ imitationis. 29. *Stilum vberem potius*, quam sterilem prosequatur. Se efferat primùm in Oratore futuro fœcunditas. Si plus æquo fusa fuerit oratio, vbertatem depascent anni, ratio, & vsus. Nonnullorum orationes ab oratore futuro non essent euoluendæ. In earum Auctoribus talis oratio forsan laudabilis; At in Iuuene vituperabilis. Minus videntur peccare contra Oratoriam Facultatem, qui sermonis Copiam, quam qui Tenuitatem sectantur. *Talis quidem sit Oratio*, cui nihil addi, aut demi possit ad finem ab oratore intentum assequendum. 30. *Vt verborum Copiam paret Orator*, habeat pręoculis exemplum *Exercitationis Rhetoricæ*, quę reponitur in *Paschasij Grosippi* (siue *Gasparis Scioppij*, Viri cui in linguę Latinæ cognitione neminem sęculum nostrum hactenus præstare vidit, quicquid Pædagogi nonnulli tam insigni huiusmodi Viro obijciant, aut obstrepant contra illum alij, qui nec inter dignos illius Auditores recenseri possent, à quibus etiam propter inuidiam, odiumq; propter illius in Latina lingua præstantiam calumnias, ne dum probra, conuitiaq; ore verè plebeio, sordidoque promenda reportare potuit) *Propedia ad Scholas Rhetoricas*, qua traditur vltra Quadraginta modos hanc sententiam, *Aristoteles est omnium Philosophorum præstantissimus*, variare. Tabella illa, siue Pagina huiusmodi continens exercitationem ab omnibus, qui in Oratoria Facultatę excellere volunt, esset habenda. *Exerceat* se quoque initio in illis, quæ *Progymnasmata*, siue *Campi eloquentiæ* dicuntur; in variarū rerum *Amplificationibus &c.* 31. *Licet translationes, allegoriæ, methaphora &c.* sint in oratione laudabiles; ne tamen oratio tota sit allegorica, nec omnia planè verba translata, metaphorica &c. Non potest non esse obscura oratio, quæ tota, vel frequen-

tissimè in illis versatur: Molesta est etiam ipsis eruditis hominibus: Verborum quidem proprietas quam maximè seruanda. 32 *Eam in Elocutione operam ponat*, vt tamen meminerit, *nihil verborum causa esse faciendum*, cum verba ipsa rerum gratia sint reperta; quorum ea sunt maximè probabilia, quæ animi nostri sensus promunt, atq; in animis auditorum, quod vult Orator, efficiunt; Quare licet *inuentio*, ac *dispositio* orationis dicatur pertinere ad *prudentem*, *eloquentia* ad *Oratorem*; in hac tamen ipsa requiritur etiam oratoris prudentia, quæ nouas quidem excogitare voces coget quandoque; sed simul etiam suadebit, vt si ex antiquiorum, ac celebriorem fontibus eas deriuare possit orator, id omninò præstet: Quod vt plurimum saltem præstabit, si fuerit in illis versatus. 33. *Animaduertat*; sententiarum ornamenta, figuras aliquas, argumentorum sedes nonnullas &c. esse magis vni Orationis generi, imò & eiusdem parti congruas, quam alteri. Verborum magnificentiam, vsumq; exemplorum adhibendum maximè in *Deliberatiuo Genere*; esse proprium præcipuè *Demonstratiui* res ornare, amplificare, ac loquendi modos Poetis affines vsurpare; Affectus mouere ad *Iudiciale* maximè pertinere: Similiter *Iudiciale* partes aliquas exigere, quas alia duo haud exigunt &c. *Demonstratiuo quidē genere* nunquā ad *Adulandum*, vel *Detrahendum* alijs vtatur. *Adulatio*, ac *Detractio* ab *Oratore*, qui vir *Probus* esse debet, maximè relegentur. Vtinam aliqui omnes Rhetoricæ, siue Topicæ locos non diligentissimè versent ad aliquorum laudes exaggerandas, aliorūq; minuendas, vel etiā struendas calumnias cōtra illorū meritū! Funebribus Orationibus, ac Narrationibus rerum gestarum à nonnullis, si scriptę sint ab illis, qui in Oratoria Arte censentur præstare, non multa fides habenda; nam oratoribus & in amplificationibus, ac in Historiarum narrationibus, funebribusque maximè laudibus, mentiri ab aliquibus est concessum; Tulliumq; ipsum in Philippicis de hoc nominatim vitio *Plutarcus in Vita Antonij* accusat. *Horum laudes*, ac vituperationes quidem à cordato Viro minori in prætio habendæ, eoque magis, si Politici forent hi Oratores, qui ad finem minùs congruum illas adhiberent. Et negari quidem non potest, quin aliquorum lingua ad Satyras, & ad opprobria, & contumelias in alios iaciendas nata sit; cuius idonea pœna esset *Euulsio*, siue *Igne absumptio*. De cuiusdam Sanctissimi Viri nomine Anagramma, & merito, fuit editum, *Ignis à Deo illatus*. Flagrauit ille in Deum, Proximumq; Caritate, eademq; cæteros omnes inflammare conatus fuit. Fiat, vt nulli vnquam dici merito possint *Ignes à Dæmone illati*, qui voces scriptis, ac libris discordias ferunt acerrimas cum alijs, illos iniurijs, calumnijsque vexant, & plurima quæ *ab illis sparguntur in vulgus*, si quem minùs æquo prosequuntur animo, sint *planè Commenta*: Et

hi qui-

hi quidem meritò inter *Sophistas*, non *Oratores* censendi sunt. 34. *Periodos non valdè longas* texat; defatigatur orator in illis pronunciandis, nec vocem, gestumq; semper congruè adhibere poterit; auditori (imò & lectori) molestia quoq; infertur, qui nec sensum quandoque assequi poterit. Decurtatũ dicendi genus raró oratorem decet: decet tunc nominatim, cum sententias profert aliquas. 35. *Sensus ambiguos Synonimas voces*, ac *iterationes* quibus eadem prorsus repetuntur, nihilq; noui prorsus Auditorum animis instillatur, quam maximè vitet. Eadem quidem aliquando, ac etiam necessariò repetenda. Verum hæc repetitio non in sola vocum mutatione reposita sit. Nouæ adhibeantur figuræ; noui excitentur affectus &c. Non negatur tamen, quin *Repetitionis* figura commendabilis interdum sit. 36. *Licet Fabulas*, & *Apologos* adhibere queat Orator, & *aliquando* ad delectationem, *aliquando* ad vtilitatem, *aliquando* ad maiorem declarationem; raró tamen apud Peritos illis vtatur; apud imperitos frequentior poterit esse eorum vsus. *Similitudines* etiam erunt quandoque Oratori opportunæ: Verum hę desumantur e notioribus, non tamen puerilibus, nec minus orationis grauitatem decentibus. 37. *Decori maximam Rationem habeat Orator*; quod spectandum; Tum ex *persona orantis*; nam *aliam* exigit senex, *aliam* maturæ, siue constantis ætatis, *aliã* adolescens &c. *aliam* Magistratus, ac Princeps, & qui auctoritatem habet &c. *aliam* priuatus &c. Tum ex persona *Auditorum*; Tum *ex loco*, in quo habetur oratio; Tum *ex Tempore*; Tum *ex materia*, de qua habetur. In ornanda nominatim oratione Decorum attendendum; quidam enim orationis flosculi possunt laudari in Iuuene Orante, qui vituperãdi forent in homine iam maturæ ætatis &c. 38. *Græcæ linguæ sit studiosus* latinus futurus Orator: *tum* quia plurimæ voces, phrasesq; latinæ ab illis deriuatæ, quarum vim, ac pronunciationem sine illius notitia assequi non poterit: *tum quia* eloquentia priùs Gręcorum, quam Latinorum fuit: *tum quia* Græcis hominibus Latinę linguæ Princeps Cicero se informandum tradidit, etiam vbi in Romano foro dixisset: *tum quia* Græca vertere conducere plurimum ad eloquentiam comparandam docent insigniores Artis Rhetoricæ Scriptores. 39. *Diligentissimè* euoluat *Ciceronis libros tres de* Oratore, illum, qui inscribitur *Orator, Partitiones, Topica*, ac reliquos, qui inter Rhetorices à Cicerone conscriptos numerantur, licet aliquis illius fœtus non videatur; *Aristotelis* Rhetoricorum libros, qui maximi sunt faciendi, vna cum celebrioribus illorum interpretibus; & *M. Fabij Quintiliani Duodecim Institutionum libros*, quorum præceptis quo quis semel conformauerit magis, eo illustrior euadet Orator. Nemo illo exactius præcepta ad Oratoriam Artem spectantia tradidit, quę nullam admittere contradictionem peritiores censent. In illis est vide-

re

re reprehensa vitia nonnullorum tunc Oratorum, quæ in recentiores quoq; irrepserunt, vt *obscuritatis, membratim concisa orationis, redundãtis argutijs,* ac *sententijs,* vt in Præfat. & c. 2. lib. 8. c. 5. eodem lib. c. 10. lib. 12. præter lib. 1. c. 8. lib. 10 c. 1. in fine. In quibusdã quidẽ legendis, ac examinandis quæstionibus, quæ ad Praxim leuissimè conducunt, vt sunt nonnullæ præsertim, quę circa orationis Partes agitantur, videnturq; potius Philosophicæ, non multum impendat tempus. 40. *Exordium, epilogumque* ex orationis materia deducat, vt magis inter se connexa sit oratio. Errant non pauci Proemium conficientes, quod cuiq; vel alteri materiæ adaptari potest. In hoc se erraffe quandoque narrat ipsemet *Cicero lib. 16. Epist.* ad Attic. *Ep.* 5. Non est omninò vituperandus illorum mos, qui oratione perfecta Proemium tantummodo conficiunt, vt ex orationis corpore illud magis exprimant. Minùs ferendus error, si in Epilogo id contingeret. 41. *Duo vitia* præ cæteris fugiat Orator; multoq; magis futurus Orator; *Vitiosam* scilicet, *sui Iactationem*, quę audientibus non fastidium modò, sed plerumque etiam odium affert; de quo reprehensus ipsemet Cicero fuit: ac *Arrogantem* de se ipso *Persuasionem*, quæ magnos profectus frequenter perdit. Sunt nonnulli, qui vbi aliquas phrases e Ciceronis, vel alterius oratoris libris collegerint, aliquasque argutias excogitare, aut simul nectere nouerint, & nonnulla ex Oratoriæ Facultatis præceptis nouerint, exedras ascendunt, ibique orationes habere non erubescunt apud illos, qui hospites, siue peregrini sunt in Linguę latinæ, ne dum in Rhetoricæ artis pręceptorum notitia. Hi enimuerò non laudandi, ac maximè ab illis, si quando adessent, qui in Oratoria Facultate laudes habent, vltra meritum. *Quam sæpè nonnullorum gratulationes* nouum oratorem, & maximè, si sibi plus æquo tribuat, *præcipitem agunt*! Reddunt quandoq; *malum insanabile*, si dum iuuentutem excusandam, animosque erigendos potiùs, quam contrahendos arbitrantur, *conniuent in eo genere vitiorum*, quę non tam ætas minuere, quam augere solet dissimulatio. Et sanè iuuenibus *animos addere*, sed *prudenter*, oportebit; ea laudando, quæ recta, & in bona spe sunt posita, *non tamen dissimulatis erroribus* (quos dũ indicare nequeunt, expedit nec laudanda laudare) *vt scilicet* meliores euadant & dum per ætatem licet, ad perfectionem rectà *contendant*. Quam multum multi proficerent ex Adolescentibus, si à se scriptam orationem Perito, Amicoq; Viro traderent recognoscendam, vt illi adderet, demeret, immutaret &c. quæ sibi viderentur, ac se in Pronunciatione, ac Gestu errantem ingenuè corrigeret &c.! Hęc obseruata peculiariter essent identidem mente recolenda. Laudatissimus est aliquorum mos, qui licet in Oratoria præstãtes Facultate scriptas à se orationes alijs licet minus præstantibus exhibent corrigendas, easue

coram

coram illis legunt, & quandoque coram multis, antequam publicè habeant, pronunciant, vt intelligant quæ minùs probentur &c. Adolescentes, & quibus vix Oratoriæ Artis fores patuerunt, plus sibi sæpè tribuunt, quam Seniores, & qui intimos illius Artis recessus adierunt. 42. *Se in Stylo quam maximè exerceat Orator*, qui *optimus effector, ac magister dicendi* appellatur à Cicerone: sit tardus stylus, dum diligens: Citò scribendo non fit, vt *benè* scribatur; *bene* scribendo fit, vt citò. Quærat optima, nec protinus se offerentibus gaudeat; Adhibeat iudicium inuentis, dispositionem probatis: Delectum *primò* rerum, verborumq; agat, pondera singulorum examinet; *deinde* subeat ratio collocandi, versetq; omni modo numeros; & licet sint danda vela, dum fert dicendi flatus (dummodo nō omnia, quæ occurrunt, sine vllo delectu admittantur) redeat tamen ad iudicium, ac retractet suspectam facilitatem, ita tamen vt non omnia, quæ primò occurrerunt, putet esse mutanda, aliterq; dicenda; *Adijciat ergo, detrahat, mutet*: *tumentia premat, humilia extollat, luxuriantia* astringat, *inordinata* digerat, *soluta* componat, *exultantia* coerceat &c. Hæc tamen emendatio aliquando finem habeat. Stylum etiam exerceat *in scribendo* de vna, eademq; re varijs modis; *in fundendis*, quæ natura contracta sunt; *in augendis* paruis; *in varietate* similibus, *voluptate* expositis afferenda &c. 43. *Si memoria suffragetur* (hæc vt pote eloquentiæ thesaurus iuuanda est, & quandoque etiam Arte) ad verbum ediscenda, proferendaque est oratio, ita tamen vt non eam anteà scripsisse, vel didicisse, sed tunc eam deprompsisse videatur orator. Si minùs memoria valeat, aut tempus ad illam perficiendam, vel ediscendam non suffragetur, ad omnia non se alliget verba; satis est vt præcipua quædam memoriæ commendet, scribatque; *opus tamen est*, vt antea bene dicendi facultatem acquisierit, ne minùs bene proferat illa, quæ haud est præmeditatus. Non vituperandus omninò illorum mos, qui orationem habituri habent aliquem sibi periodorum initia secretò, siue valde submissa voce suggerentem: Vel etiam e scripto proferunt, maximè dum sint Viri graues, vel in maturiori ætate constituti; neque enim in his memoria valere ea laus est, quæ in pueris, ac adolescentibus. *Verum* quidem est, si ex scripto proferatur oratio, videri Enargiam quamdam in dicendo amitti, nec actionem ita congruè exerceri: At *verissimum* quoque, certitudinem, quam tunc Orator habet, se memoria haud lapsurum, alacritatem quandam oranti addere &c. 44. *Perraro* extemporalem habeat Orationem. Declamatorum quorumdam, ac Sophistarum hoc fuit Vitium, qui ab ambitione ducebantur, vt exposita controuersia protinus dicere voluerint. Hi stultis eruditi videri solent; stulti tamen eruditis videntur. Congruum tempus ad ea, quæ dicturus est sumat. Imperitorum non-

nullo-

nullorum mos est, intra triduum, vel biduum, vel etiam intra diem aliquos compellere ad orationem habendam & publicam, & coram eruditis Viris: Ignorant illi enimuerò, quid sit orationem scribere, discere, ac pronunciare. *Haud intra* breuissimum tempus coarctanda sunt celebrium quoque Oratorum ingenia; *tum quia* hanc extemporalem facultatem multis nec *Natura*, nec *Ars* concessit; *tum quia* id grauissimum Oratoribus esse solet, qui inde etiam morbos quandoq; propter Vigilias maximè, contrahere solent. Quare Orator, licet Viri primarij ab eo exigerent repetitis precibus, vocibusq; mirè illius virtutem efferentibus, vt intra breuissimum, certumque tempus orationem habeat, id onus haud suscipiat; nisi multo stylo, assidua lectione, & longa studiorum ętate id fuerit assecutus, vt possit quasi ex tempore dicere; nisi ex consuetudine, & exercitatione hanc facilitatem re ipsa compararit; nisi laudem hinc consecuturum speret; fieri enim potest, vt dedecus sibi potius compareт, eò quod *non* dispositè, *non* ornatè, *non* copiosè dicat, *non* aptè pronunciet, *indecorè* gestiat &c. Nec Auditores illius Commiserationem habent, aut illum excusare solent; non solùm quia aliqui ignorare queunt, an tam breue tempus illi concessum, verum etiam quia censent, haud fuisse prudentis viri eam suscipere prouinciam, nisi se cū laude posse illam obire pro certo haberet. *Si* tamen subitam orandi necessitatem fortuna tulerit; inuocata tunc *Dei* peculiariter, *Angeliq;* Custodis ope (eorum enim auxilium solet in hisce subitis peculiariter adesse) ingenij aciem in quosdam cōmunes locos intendat, vimq; omnem rebus applicet, potiusque remittat aliquid ex cura verborum, si sequi vtrumq; nō dabitur; tardiùs pronunciet, donec se videat orationis impetu abripi &c. 45. *Attendat;* Cum Aliæ sint orationes, quæ *Voce* proferuntur, Aliæ quæ *Scripto*, ac *Typis* commendantur; has enimuerò maiori cum diligentia elaborandas; nam pręterquam multi ex pronunciatione ipsa laudem, ac multam, meritoq; habent, auditor, sicuti Lector, nō tam sedulò, & exactè quæcumq; obseruare potest. 46. *Nouerit varia esse eorum,* quæ soluta habentur oratione genera, quæ à plerisque nomine Orationū decorantur, & tamen distinctas leges requirunt, vt sunt *Præfationes*, siue *Prolusiones*, siue *Allocutiones*, quæ initio Magisterij, vel quasdam scientias in singulos annos tradendi; vel etiam in fine anni, quo aliquis docuit, ac *Postfationes* appellantur, fiunt; quæ ad leges potius Academicorum Sermonum sunt componendæ &c. Et hæ quidem in Deliberatiuo potius genere sunt, quam Exornatiuo; & ad docendum potius aptę, quam ad delectandum &c. ideoq; minus quam alię, à circumciso dicendi genere, adeoque à sententijs etiam, abhorrent enimuerò: Quæ etiam *Elogia*, siue *Panegirica* orationes appellātur, flosculos quosdam magis admittunt, sicut & quasdam

dam

dam inuentiunculas, præ alijs &c. 47. *Chronologiam* habeat Oratorum celebriorum in ætate quacumque, ac eorum notitiam, quæ laudata in illis maximè, aut vituperata fuere. Cum viuente *Sallustio, Seneca, Tacito obscura breuitas fuerit pro cultu*, Oratores in *paucissimos* sensus, & *angustas sententias* detruserint eloquentiam, illisque sæculis *circumcisa*, & *amputata*, sine *apparatu*, sine *honore*, ac sine *ingenuitate*, si ita loqui fas est, apparuerit eloquentia, vt ipsi quoque asserunt; haud illi, eorumq; sectatores imitandi, verum qui in alijs sæculi corruptum dicendi genus non sunt prosecuti. 48. *Attendat*; cum aliud sit esse *Disertum*, aliud esse *Eloquentem*, enitendum Oratori, vt sit *Disertus*; nam eo ipso *eloquens* erit: si autem eloquentiæ vt sic laudem reportauerit, laudes maximas, quę *Diserto* tribuuntur, haud assecuturum. Eloquentes, ac diserti fuerunt præstantissimi quique Oratores. Hinc non *Asiaticũ*, nec *Laconicũ*, sed inter vtrumque *medium*, siue *Atticum* sermonẽ sequatur. 49. *Iniquam causam nunquã* suscipiat tuendã Orator; neq; pudor obstet, quo minùs susceptam, cum melior videretur, litem cognita inter dicendum iniquitate dimittat, cum prius litigatori dixerit verum; nam & in hoc maximum, si æqui iudices sumus, beneficium est, vt non fallamus vana spe litigantem. *Meminerit* autem sępe; *Non Furtunam, nõ Potentiam* maiorem aut minorem, aut *Auctoritatem &c.* causas vel iustas, vel improbas facere: *Neque* Cauillationibus, multoq; minus falsitatibus, alijsue iniustis medijs iniustam protrahat causam in cuiusq; beneficium, vel ad litigantis crumenam pro viribus exhauriendam; tenebitur enim ad restitutionem damnorum obuenientiũm, *tum* illi contra quem agitur, *tum* Clienti, ac nominatim pecuniæ sibi à Cliente tributæ, eò quod nõ monitus fuerit ab ipso de causę iniquitate, vel quòd futurum sit, vt certò, aut probabiliter causa cadat. *Vtrum autem* liceat illi suscipere causam, quam iniustam probabiliter, vel probabilibus censet, aut putat probabiliter aut probabilius cõtra illam esse ferendam sentẽtiam, Theologos peritiores consulat. *Si clientem* moneat de hoc, causamq; sincerè, ac fideliter tueatur haud *damandus* videtur. 50. *Orator aliquando* finem dicendo in publico imponat, ne nõ idoneas habẽs corporis, vel animi vires ex ingrauescente ętate auctoritatis detrimentum patiatur: Tunc autem maximè Iuuenes instituat in Oratoria Facultate ad commune Ciuitatum bonum, ad ipsius Facultatis ornamentum. *Non solùm* autem illos exactissimè doceat, *Qua ratione* tria inter se distinguantur Dicendi Genera, & quę virtutes sint vniuscuiusq; proprię, & quę Vitia tum ab omnibus, tum à singulis omni studio ablegandą sint; *Quinam* Quęstionum status: *Quomodo* proferenda *Entymemata* ad conciliandam sibi ab Auditoribus fidem; Probationes *sua* amplificandę, *aduersantes* imminuendę: Proponendi fontes *laudis*, ac *vituperationis*; Iusti, ac

X Iniusti;

Iniusti; Honesti, ac Turpis: *Exponendi* mores *Gentium, propensionesque* variæ hominum ex varia ętate, ex varijs muneribus, fortunis &c. *Edocenda Ars* animos sibi deuinciendi, vt in quamcumq; partem illos flectere possint; hisque similia tradat; *Verum etiam* illis peculiariter tradat, *Quæ in Demonstratiuo* Genere Orationes habenti plausum sibi à peritis Auditoribus fecerunt, *Quæ in Iudiciali* ad dijudicandam sibi Causam Iudices maximè impulerunt, *Quæ in Deliberatiuo* suaserunt Auditoribus, vt amplecterentur, vel detrectarent rem a se expositam: *Quæ* experimento didicit esse, vel ad *docendum*, vel ad *mouendum*, vel ad *delectandum* maximè opportuna; *Quæ* ipsemet media adhibuerit, vt Sermo suus esset *Perspicuus, Purusque*; Verba essent *lecta*, aptè *collocata*, congruè *iuncta*; *Oratio* esset *Suauis, Copiosa, Numerosa*; Quorumnam *Troporum*, vel Quarumnam *Figurarum*, siue *Schematum*, *Argumentorumq*; vsum potissimè fuerit secutus; *Quos Oratores* pręcipuo coluerit studio; Quos libros à *Poetis*, *Historicis* tum *Ecclesiasticis* tum *Sæcularibus*, *Philosophis*, *Eruditisque* Viris conscriptos magis sedula euoluerit opera &c. Eos autem Iuuenes, quos ad Oratoris munus obeundū magna cum laude, publicoque beneficio aptos repererit, in ipsamet quoq; *Actione*, quę & *Pronunciationem*, & *Gestum* comprehendit, exerceat Humanissimè. *Vtilissimum* quoque erit, vt illis identidem selectum aliquod ad Doctrinā spectans e duodecim *Quintiliani libris* caput explicet, iubeatq; illos selecta alia (pręmonendo tamen, vt in stylo non vndequaq; illius insistant vestigijs) quę ad *eruditionem* maximè faciunt, peruolutare. *Nec inutile erit* corruptas aliquando, & vitiosas orationes, quas tamen pleriq; iudiciorum prauitate mirantur, illis legere, ac ostendere in his, quam multa *impropria*, *obscura*, *tumida*, *humilia*, *sordida*, *effœminata* sint, quę non laudantur modo à plerisque; sed (quod peius est) propter hoc ipsum, *quod sunt praua, laudantur*. Tunc autem amplum laboris sui pręmium sciat se reportasse; cum effecerit, vt aliquis ex auditoribus suis ex arte sciens e tribus dicendi generibus *Infimum* ad *Docendum*, *Medium* ad *Delectandum*, *Sublime* ad *Mouendum* per se esse aptum, & vnumquodq; proprias sibi adsciscere dotes, quas *in Oratore* ad *Brutum* sapientissimè recenset Oratorum Princeps, *& humilia* subtiliter, & magna grauiter, & mediocria *temperatè* potuerit dicere.

Multa e subsequentibus huic, sicut & nonnulla hoc prolata capite illis poterunt esse opportuna.

Reuerentissimo Patri Fratri

VINCENTIO CANDIDO

Ordinis Prædicatorum S. Theologiæ Magistro,
Nobilissimæ S DOMINICI Soboli
Propter summã in totius vitæ decursu Morũ Integritatẽ,
Ecclesiasticarũq; Dignitatũ, ne dũ Fortunarũ Contemptũ
Illiusque in S. Apostolici Palatij Magistri Munere
Succesori Dignissimo;
Ac propter Scientiam singularem
(Cuius illustre, publicumq; specimen edidit
Duobus Illustriorum Disquisitionum Moralium Libris,
Quos Inscripsit Nomine
Iam Eminentiss. ac Reuerendiss. S. R. E. Card. Eximij
IOANNIS BAPTISTAE PAMPHILII,
Modò INNOCENTII Decimi
Sapientissimi Totius Ecclesiæ Moderatoris)
Inter Illustrissimos ANGELICI DOCTORIS Alumnos,
Celebresq; Dominicanæ Familiæ Scriptores Numerando
Animaduersiones Quinquaginta
PRO CHRISTIANÆ ORATORIÆ FACVLTATIS
STVDIOSO

IVLIVS CLEMENS SCOTVS

Comes Placentinus
Non minùs in Eum propensus, quã in Ordinẽ Vniuersũ
Maiorum Suorum vestigijs inhærens;
Voluensq; animo, S. Petrum Martirem Familiæ suæ
Placentinæ Vrbis Imperium prædixisse,
Ac S. Catarinam Senensem in eiusdem Palatio
Exceptam fuisse
D. D. D.

Caput Nonum.

1 S*Anctos Patres*, tum *Græcos*, tum *Latinos* peculiari prosequatur Veneratione, & ante cæteros e Græcis S. *Ioannem Chrisostomum*, qui meritò Euangelicorum Concionatorum *Idea*, siue *Exemplar* appellatur, & cuius librorum lectio videri potest ad quemlibet in concionandi munere reddendum satis perfectum esse satis; & e Latinis S. *Gregorium*, ac *Augustinum* inter antiquiores; S. *Antonium* Patauinum, ac S. *Vincentium Ferrerium* inter subsequentes; *B. Thomã de Villanoua* ex nobili Heremitarũ S. *Augustini* Ordine Antistitem *Valentinum* inter posteriores: Quorum Homiliæ, Sermones, siue Conciones frequenter versandæ, prehabitis ad illos semper peculiaribus nonnullis precibus. 2. *Sincere secum discutiat*, ab alijsque candidis, peritisq; Viris intelligat, An talentum concionandi re vera habeat; Nam non solùm illo destituti sunt, Qui *lingua* sunt parum prompti, *Voce* sunt insuaues, ac asperi, *Aspectu* sunt indecori, *Laterum Firmitate* sunt destituti, minùs *Memoria* valent, *Facilitate* in suis animi sensibus explicandi carent, *Venustate*, siue *lepore* quodam in dicendo sunt nudi &c. Verum etiam *Qui* memoria quadam valent felicissima, quæ imperitos auditores in admirationem rapit, licet pleraque extra rem proferant; *Qui* Panegyricas tantum conciones, siue Orationes, vel Academicos Discursus in pulpitis habent; *Qui* dumtaxat discursus quosdam multiplici argutiarum, siue conceptuum, vt vocant, genere redundantes e suggestu proferunt; *Qui* lectiones potius quasdam Scholasticas, & in exedris, Scholisque habendas, coram populo habent; *Qui* scurriliter gestiunt, Inepteq; pronunciant; *Qui* iudicio destituti concionis partes connectere nequeunt; *Qui* vocem quidem sonoram habent, aspectumq; etiam imperio dignum, sed præter hæc, alijs à Natura, & Arte non sunt donati addiumentis: *Qui* ex omnibus, quorum notitiam habent, vel quę legunt, Conciones explent, ita vt Concio sit veluti multorum inter se nõ nexorum congeries; *Qui* ad excitãdos Affectus haud sunt idonei; *Qui* habiles quidẽ sunt ad excitãdam voluntatem aliquantisper, at non ad intellectui suadendum &c. *Sed illi*, qui non deformi *aspectu*, *gestu* decoro, Corporis *motu graui*, voce *plena*, ac *sonora*, ad *Virtutum Studium*, *Vitiorumque Fugam*, *Christianamque perfectionem* amplectendam homines suauiter compellere queunt, ea *adhibentes* præsidia, quę Euangelicum Oratorem decent. *Vtinam* illi, quibus solis à Deo concionandi talentum est tributum, Concionatoris munus obirent, eo animas Deo lucrari cupientes! Plures enimuerò *animæ ad Christum traherentur*: *Vtinamque* adeo illustre, ac præclarum munus non demandaretur *Ineptis*: quorum multitudo efficit, vt sæpe etiam apti illud detrectent, eo quod videant; *ab illis etiam*, qui se peritos, ac prudentes putant, plausum fieri maiorem ineptis, vel parum aptis Concionatoribus, quam aptioribus; *non Con-*

ciona-

cionatoris meritorum, sed commendationum, aliarumque extrinsecarum causarum in Pulpitorum distributione haberi; à *Viris quandoque Ecclesiasticis*,& ab illis interdũ,qui maiori indigent correctione, accurataq; Veritatum non solùm Euãgelicarum, verum etiam Moralium explicatione, in paruo, aut nullo haberi pretio, aut etiam respui illos, qui *verè loquuntur ad Cor*; honoribus autem, ac præmijs affici eos, qui nullas Euangelici Concionatoris partes explent. *Tot Concionatorum minus aptorum numerus* haud esse videtur Christianæ Reipublicæ opportunus, vel eo nomine, quod multi ex his callidis, minusue ingenuis, & congruis artibus audientiam sibi faciunt, & cum non sint multi, qui conciones frequentent, illa destituantur Veri Concionatores. Si enimuerò prçter *Victum, ac Vestitum congruum etiam certò præsignandum*, nihil Concionatores more Euangelico, atq; Apostolico, accipere deberent à quocumq; oblatum; Concionatorum multitudo imminueretur. Nec dubitandum, quin semper adesset eorum numerus, qui satis foret veris Christianæ Reipublicæ commodis; Ad *Diuinam* enim *Prouidentiam*, quæ *nunquam in necessarijs deficit*, spectaret, ne ille deficeret. 3. *Qui verè a Deo* concionandi talentum accepit, eo animas Christo lucrari enitatur; grauissimè enim peccare poterit contra Caritatem in *Deum*, ac *Proximum*, qui illud abscõderit, aut etiam illud perficere detrectauerit. Artem ergo Naturæ adijciat, sibi Suadens, licet non omnia, quæ ab Oratoria facultate vt sic præscribuntur Oratori, sint Concionatori opportuna, pleraque tamen esse vtilia, plura omninò necessaria. Legitima enimuerò Oratoriæ Facultatis præcepta violant plurimi Concionatores, quædam dicendi genera, ac nominatim flosculos, inuentiusculasque sectantes, periosdos quasdam longissimas, in quibus exultat memoria, proferentes; abundantem rerum copiam haud dispositione in ordinem digerentes, ac deuincientes, instrumenta ad suadendum apta ab illis tradita, qui Rhet. Institutiones tradunt, haud adhibentes &c. Nulla quidem venia per se digni sunt (excipiuntur semper illi, qui diuino verè, peculiariq; impulsu concionandi prouinciam suscipiunt) qui veris Oratoriç Facultatis præceptis imbui detrectant, antequam Ecclesiastici Oratoris munus obeant: At venia magis indigni sunt, qui ex Instituto Oratoriam Artem profitentes illius præcepta haud executioni mandant, aut illis abutuntur. *Propria quidem habet* Orator Ecclesiasticus: Verum hæc non solum non repugnant Artis Generalibus præceptis, verum etiam necessariò saltem plurima ex illis supponunt. Neque in medium afferendi, qui Rhetoricæ non vacantes summam concionando laudem obtinuerunt: *Tum quia* perrari sunt hi, nec vna hirundo facit Ver; & arrogantis potest esse animi, nimiumq; sibi tribuẽtis, nonnullis, qui miris à natura dotibus ad concionandum sunt donati,

semet

semet comparare: *Tum quia* licet publicè in Rhetoricæ classe nō audierint Artis præcepta, priuatim tamen illis ex libris saltem informari potuerunt; *Tum quia* experimento proprio, accuratisue obseruationibus in alijs, ingenio, iudicioque pollentes non mediocri Artem didicerunt: *Tum quia* adhuc magis præcelluissent, si Naturæ Artem associassent. Laudantur inter cæteros, qui Concionatoriæ Artis præcepta vulgarunt, ex Illustrissima *Societate Iesu* P. *Carolus Regius*, & P. *Iulius Mazarinus*, qui magis breuiter, quam ille; & e Nobilissima *Clericorum Regularium Religione* P*aulus Aresius*, qui vberrimè simul, ac eruditè hanc exposuit, Artem eo maximè nomine immortalitate dignissimus, quod Episcopatus *Derthonensis* onere deposito *sibi, Deoque* Vacans tantum postremos vitæ dies ducere voluerit. Suam ergo quisque naturam tanquam Ducem sequens; laudabilia Arte perficiat: At vitiosa quædam euellat, aut minùs ingrata reddat &c. Nullus enim est, cui non aliquod ad perfectè Concionatoris obeundum munus præsidium natura denegarit. Peccabit autem tùm contra Naturam, tum contra Artem, si suam Naturam alteri, quem audit, videtq; illius Conciones cum plausu excipi, accommodare velit. Iuuat quidem maximè alios audire Concionatores e celebrioribus; verum non affectatè imitandi in ijs etiam, quæ bona sunt, quando natura consequi illa non licet, aut vis quædam naturæ infertur, si illa admittantur. *Irrisioni* se quandoque, ne dum *vituperationi* se exponunt nonnulli suam Concionem, pronunciationem, ac gestum alteri, licet egregio Concionatori, conformantes; qui si naturales suas perfecissent dotes, immortalem Famam consecuti fuissent. Cum *variæ* sint *Auditorum propensiones*, expedit etiam multiplicis generis habere Euangelicos Concionatores; *aliqui* enim ad vehementes affectus; *alij* ad lenes tum in se ipsis, tum in alijs excitandos præcipuè apti sunt: *aliqui* maximè idonei ad res, quasi gerantur, sub aspectum penè subjciendas: *alij* verò ad validis probationibus suadendum, id quod proponunt: *aliqui* ad sublime, *alij* ad tenue dicendi genus magis habiles &c. Et dum hi omnes diuersis istis dotibus ad eumdem Euangelico Concionatori finem præscriptum vtantur, laudabiles enimuerò sunt. Quare dum aliquis est aptus re ipsa ad suadendas Auditoribus virtutes Christiano homine dignas, licet non sit habilis ad deterrendos homines à quibusdam vitijs, timoremque illis incutiendum vehementioribus quibusdam affectibus, grandiloqua quadam eloquentia &c. erit inter Euangelicos, idoneosque Concionatores reponendus. 4. *Meminerit, sæpiusque animo* reuoluat, *se esse Deo cooperatorem* in salutem animarum, *se Apostolicū munus* obire, *se Ministrum esse Christi* in peccatoribus ad pœnitentiam attrahendis, *se Tibicinis, siue Vocatoris Diuini*, vicibus fungi ad Regna Cælorum homines

accer-

accersentis: ac *se* enimuerò *grauissimè*, ac *meritò*, puniendum, dum partes suas in re tanti ponderis nō explet; ac inter Ecclesiasticorum, ac nominatin Regularium munera (haud sermo est de illis, quæ Animarum Curam per Sacramentorum præcipuè exhibitionem sibi peculiariter habent annexam) *nullum* esse *æternæ damnationis periculo* obnoxium magis, quam Concionatorum, si non vt par est, obeatur; e cōtra verò *nullum* esse *Deo gratius, & coram illo magis meritorium*, quam Concionatoris, si, vt par est, obeatur. 5. *Cum Concionator sit Dei, Christiq; legatus*, ea, quæ in Sacris Codicibus reposita sunt, præ cæteris saltem nota habeat, cum illa sint Dei, Christiq; verba, ijsq; voluntatem suam hominibus declarandam decernant; & cum peculiariter *Euangelicus* Concionator dicatur, Euangelium ante cæteros Sacros Codices euoluat: & Concionatores in hoc munere, quod est Apostolicum (*adeoque* proprium Episcoporum, qui Apostolorum exceperunt locum; quare antiquiores tum *Pontifices*, tum *Episcopi* frequenter ad Populum siue Cōciones, siue Sermones, siue Homilias habebant; & modò etiam in *Episcopi* ordinatione *Euangelij* prædicatio illi apertis indicitur Verbis) cū *Apostolorum vices* subeant, *Apostolorum Epistolas*, ac prę cæteris S. *Pauli*, qui inter Apostolos adhuc ad id munus fuit peculiariter electus, frequentissimè euoluat. Si vult *docere* Concionator: quæ aptior doctrina, quę solidior ab illi proferri potest, quam Diuina? *Si delectare*; *Dulcia* sunt *eloquia Diuina* super *mel ori* purgato: *Adde* iuucunditatem, quæ percipitur ex lectione, ac auditione Historiarū multiplicium, metaphorarum, Psalmorum Poesi, Prouerbijs, Sententijsq; Salomonis &c. Si *persuadere*, affectusq; Concitare, an nō Verbum Diuinum est *quasi sagitta acuta*, omni *gladio penetrabilior*? Ne velit Deus, vt multi Concionatores solum præ manibus sumant Euangelij Codicem, cum cognoscendum est Euangelium, de quo habenda est Concio; & ne *aliqui* Sacro etiā Codice careant; Cum tamen illius lectio, panis quotidianus, vt dicitur, debere esse illi: Numerumq; ignorent Epistolarum S. Pauli. Quot insignes pietate Concionatores legimus solùm Sacrorum Codicum lectioni, ac meditationi vacasse, eosq; tantummodo secum detulisse aliquò ad concionandum ituros? Præiuit his exemplo S. *Dominicus* celeberrimi inter Mendicantes Ordinis Prædicatorum Institutor, cuius filios *futuros pugiles fidei*, & *vera mundi lumina* vaticinatus est *Honor*. 3. in Bulla Confirmat. Ordin. 22. Sept. 1216. ac pro *sui nominis attollenda gloria*, Prædicationis ministerio præsertim, & *fidelium procuranda salute* (immeritò sibi solis nonnulli hanc laudem vindicare possent) *specialiter elegisse* habet *Alexander IV*. Vtinam ex eo capite etiam paruus, ac sæpe nullus fiat in Auditorum animis fructus à Concionatoribus, quod maius ponant momentum in naturalium Scientiarum, quam Diuinarum

Litera-

literarum notitia, ac naturalia potius præsidia, quam supernaturalia adhibeant. Si à Deo ipsomet S. Scripturæ verba eo peculiariter dictata sunt consilio, vt eorum ope homines à vitijs retrahantur, & ad virtutes alliciantur, illaq; vult esse *in ore Concionatoris*; mortalisne vllus aptius instrumentum ad finem Euangelico Concionatori præscriptum adhibere poterit, quam Diuinas Voces. 6. *Literalem Sacra Scriptura sensum* assequi studeat, peculiari tum oratione, tum lectione interpretum nonnullorum; & in hoc fundet sensus alios *Spirituales*, siue *Misticos*, e quibus tamen existere possit rationabiliter fructus in audientium animis. Hinc caueat quosdam conceptus, qui *inepte*, & *contra*, ne dum *prater* literalem S. Scripturę sensum, sæpissimè audiuntur, & aliquando cum sciolorum quorumdam plausu. Ex tot interpretibus cæteris paribus præferendi antiquiores, & qui solidius, ac magis genuine, ac breuiter sacras literas explicarunt: non reijciendæ, imò vltrò admittendæ nouæ quædam interpretationes, dum sint textui congruæ: *Aliqua* quidem sunt ineptæ; *Aliqua* risu etiam explodendæ ab ijs, qui vel leui iudicio sunt præditi. Sacræ Scripturæ Historias, quę mirificè concionem ornant, maximè si cū *Enargia*, siue *illustri explanatione* proferantur, iucunditatemq; simul ac vtilitatem multam auditorum animis important, similibus exemplis ex *Historia Ecclesiastica*, & aliquando etiam *Prophana*, confirmare poterit quandoque. *Ne dum Hebraica*, & *Graca* Versio, sed & *Vulgata* multiplices, & approbatę *Versiones* legendæ; legitimorum enim sensuum materiam, copiamq; præbent persæpe. Caueat verò, ne dum verba quędam e *Canticis profert*, quosdam gestus, quemdam vocis sonum, quasdam explicationes, ac maximè longiores, minùs decoras simul proferat. Illius libri lectio apud aliques Regulares in publica mensa est vetita. Cuperent aliqui, vt nec in Ecclesijs nonnulla ex illo desumpta canerentur, & maximè quibusdam musicis cōcentibus, qui scenici potius, vel amatorij sunt, nec Templorum grauitati digni. *Cōmendabile foret*, si peculiarem aliquam Historiam Sacram, ac singularem aliquam sententiam e libris *Prouerbiorum*, *Ecclesiastici*, *Ecclesiastis*, ac *Sapientialis* desumptam in fine cuiusque Concionis (quæ tamen ad rem faceat, de qua instituta est Concio) exponeret Concionator, quam quisque, vt dicitur, domum deferre posset, secumque animo euoluere, alijsque narrare. 7. *Lectioni S. Patrum tradat*; quos nouerit eos omnes cōmuniter censeri, qui vsq; ad annum circiter 1150. floruerunt: nam qui post *Petrum Lombardum* qui *Magister Sententiarum* dictus, fuerūt, inter scholasticos potius numerantur; licet re vera qui nō scholastico more scripserunt etiam post illum nonnullis, nec irrationabiliter, inter Sanctos Patres potius numerandi videantur. Horum nonnullos quidem integrè, ac non semel, perlegere erit op-

portunum; aliqui, vbi de Dogmatibus agunt, nec concionatorio more, omittendi. *Primò* obseruandus in illis modus, quem tenuerunt in suadenda hominibus Christiana Perfectione, ad illos à vitijs deterrendos, ad *Diuinorum* Iudiciorum timorem illis incutiendum &c. Simul cum *locis Scripturæ*, quos ad id adhibuerunt, prænotato tamen quibusnam Literalem, *quibusnam* Mysticum, *quibusnam* Accõmodatitium sensum tribuerint. Sciat verò, non omnes, & à quocumque etiam celebri S. Patre admissas interpretationes esse re ipsa admittendas etiam extra Fidei Dogmata, cum aliquæ non sint congruæ; quas vt à Congruis secernat, teneat, Quænam sint Probabiles, ac Improbabiles S. Scripturæ interpretationes; de quo *Opusc.* 1. de *Probabilit. Opinion. Pon.* 12. *ac* 13. non nulla sunt dicta. *Secundo* Summam habeat *Virtutum*, quas velit Auditoribus suadere, ac *Vitiorum*, à quibus auocare illos velit; & prout legit S. Patres, adnotet quæ ad id cõducere videantur, vel integrum locum S. Patris describendo, vel si longior sit, locum indicando simul cum locis Scripturæ, qui ad idem sunt opportuni &c. *Tertio* Ne vnius tantum, vel alterius S. Patris lectioni se tradat; quamuis enim alicuius possit illa esse laus, vt integræ etiam Cõciones tum Aduentus, tum Quadragesimæ ex ipso tantum, & cum aliqua laude, depromi possint; tædio tamen solet esse Auditoribus audire vnius tantum S. Patris verba, præterquam videtur aliqua quasi fieri cæteris Patribus iniuria. *Quarto* Præcipuos, ac notiores e S. Patribus seligat. Horum potius auctoritas afferenda, quam quorumdam Incognitorum, & quorum scripta paucis ab hinc annis tantummodo in lucem publicam prodierunt; ex quorum frequenti citatione aliqui Concionatores plausum sibi quærunt, quasi ipsi noua afferant, maiorem, & meritò, à peritis habituri, si parciores forent in horum, liberaliores verò in aliorum Patrum Auctoritatibus afferendis. *Quinto* Ne ex eo quod aliquis e S. Patribus quasdam argutias sectatus videatur, illum sibi dumtaxat ad imitandum proponat; *Tum quia* quis scit, an eos sermones habuerit ad populum; vel solum aliqua ex parte habiti fuerint ad populum, & dum hi publicandi forent, aliqua addita, vel dempta, aliaque horum loco ab eodem S. Patre substituta &c. *Tum quia* cur non alij S. Patres, qui fermè omnes non eumdem profecuti sunt stylum, potiùs imitandi? *Tum quia* non omnia cuiusq; S. Patris dicta, sicuti & facta, non vndequaq; laudabilia fuerunt. *Tum quia* imprudentis est non optima sibi ad imitandum proponere. *Tum quia* ille S. Pater iam vitæ exemplo virtutes populo suadebat: Sit Concionator illis imbutus moribus, quibus S. Pater, & tunc idem illi forsan licuerit: *Tum quia* sana ratio, cui nullius auctoritas præiudicat, illius imitationem nõ suadet. *Sexto* Nõ legat S. Patres ad confirmandum leuem, futilemq; conceptum priùs

à se

à se excogitatum, nec ad eos crebrò ostentationis causa afferendos eorum sententijs non ponderatis &c. *Septimò* Eos euoluat proprio idiomate conscriptos. *Octauo* Nullius S. Patris auctoritatem afferat, quam ipsemet in illius Patris nō legerit libris, aut certò ab alijs sciat, illius esse, & ad vnguem. Nec passim habeat fidem locis qui afferuntur ab interpretibus, siue Commentarios in Sacros Codices scribentibus, vel in Concionatorijs, ac Sermonarijs libris leguntur; aliqui enim *falsi*; aliqui *detruncati*, aliqui *immutati*; aliqui *prolati ad rem inaniter*, vel etiam contra S. Patris mentem. Norit autem, posse peccari, & non leuiter saltem contra fidelitatem, si falsò citentur S. Patres, vel etiam non sincere: *Imò communionem Theologorum sententiam* ferre, *peccare mortaliter Concionatorem*, qui narraret aliquā Historiam e Sacris cum aliqua leui circumstantia contra reuelatę Historiæ veritatem; neque enim in fidei materia leuitatem admittunt, quæ nec admittitur in periurij materia; & licet aliqui afferant, peccare illum posse *venialiter* tantum licet scienter id faciat, ne dum ex ignorantia, vel negligentia culpabili; *addunt* tamen, *præsertim si non frequenter*, & passim contingat: Omnes autem conuenire, si Concionatoris error sit circa aliquod *pertinens ad Dogma fidei*, vel *Honorem Dei*, vel *Morum Integritatem*, aut *de quo sit controuersia* cum *Hæreticis*, & *sana explicanda foret doctrina*, procul dubio fore peccatum mortale, & perniciosum mendacium, *siue* id fieret ex industria, *siue* ex ignorantia, *aut* inaduertentia culpabili. Quàre sit sollicitus Concionator in cognoscendis S. Scripturæ locis, Sanctorumq; Patrum auctoritatibus, quas vult afferre; tum ne erret; tum etiam ne peritorum risui semet exponat. 8. *Theologiæ operam det*; nam in multis, & grauiter, labi poterit. Non est tamen necesse, vt toti illi vacet, quæ in scholis maximè tradi solet; neque enim subtiles quæstiones plurimæ sunt illi agitandę, vel etiam exponendæ in pulpito. Quasdam Theologiæ summas illi percurrere satis fuerit; inter quas laudari potest inter recentiores summa Theologiæ Scolasticæ P. *Martini Becani* illustris *Soc. Iesu* Theologi. Dogmata quidem fidei vera, conclusionesq; certas omninò Theologicas ex illis deductas exactissimè calleat, tum ne ipse erret, tum ne in errorem auditores inducat. Si quandoque nonnihil ad Theologiam spectans exponendum sit ad maiorem ornatum quemdā, non nisi diligenter illi studuerit materiæ, quidquam proferat in medium; nam facilè apud peritos saltem minorem sibi conciliabit existimationem. 9. *Licet Theologos*, ac nominatim *Scholarum Principes*, & *S. Thomam* inter cæteros, quandoque ad confirmanda sua dicta, afferre possit laudabile esse; caueat tamen, ne ex ostentatione quadam, & passim id pręstet. Afferre S. Scripturæ, ac S. Patrum auctoritates, quæ ad Mores conducant, illius præcipuum munus est.

10. *Ne Scholastico more* vllas tractet quæstiones e *Theologia*, siue *Scholastica*, siue *Morali*: Munus est id lectorum in exedris. *Hinc* non laudandi *Tum illi*, qui Rationes pro aliqua Theologica sententia afferunt, obiectionibusq; respondent, quasi essent in Exedra Theses Theologicas propugnantes; *Tum* illi qui Casum aliquem Conscientiæ in secunda Concionis parte explicant. *Aliqui* minùs periti deprehensi, nec sine irrisione dimissi: *Aliqui* etiam reprehensi, & aliqua ignominiæ nota, vel etiam pœna quandoque mulctati. 11. *Ne vnquam*, tanquam *de Fide* proponat, quod re vera non est de fide: non est autem simpliciter de fide, quod Catholici aliqui Doctores non damnati de hoc à legitimo fidei Controuersiarum Iudice censent nõ esse de fide, licet assererent esse probabiliter, vel probabilius de fide; *Imò si Populus esset in tali sensu, ab eo remouendus foret; eritq; pij Concionatoris populum de hoc monere*, illumq; erudire. Non solum autem contra fidem ipsam peccaret Concionator, qui tanquam de fide certam proponeret opinionem inter Catholicos Doctores controuersam, licet pleriq; illi adhærerent opinioni, verum etiam per se illam *retractare* teneretur. 12. *Dum ad Catholicos*, qui in Catholicis Regionibus degunt, Conciones habet; *Controuersias* cum Hæreticis haud vnquam in medium afferat, multoq; minùs eorum argumenta proferat; plura enim ex his populus facilè, difficilè autem illorum solutiones percipere poterit: Imò in locis pluribus etiam, in quibus Catholici permixti Hæreticis viuunt, aut frequentia cum illis habent commercia, vtilius est multas priuato reseruare sermoni: Caueat tamen, ne Hæreticis aliquas opiniones, vel etiam facta, moresque tribuat, quæ non certo habet exploratum, an huiusmodi fuerint; nam mendacijs, ac falsitatibus haud nostra fides fulcienda, aut cõfirmanda est; adeoque nunquam plausum à prudentibus Catholicis hinc reportabit. 13. *Reuelationes*, aut *miracula falsa*, vel *non satis probata* vnquam proponat: Peccaret in hoc grauissimè, ac nominatim si vel in Catholicorum Dogmatum cõfirmationem illa afferret. Hinc nõ quæcumq; etiam Typis cõmendata sunt in pulpito exponenda. Reuelationes quandoque falsæ, quandoque oppositæ inueniuntur; miracula ementita; ac nomine Miraculorum honestantur nonnulla, quæ solummodo mira, vel alicui interdum personarum generi, etiam minùs perito, talia visa sunt. Non omnia etiam, quæ in quorumlibet Sanctorũ gestis leguntur, approbatione digna sunt. 14. *De quibusdam materijs* conciones vitet, vt v. g. de *Prædestinatione, tum quia* illæ exactiorem in ipso, & in auditoribus notitiã petunt; tum quia animabus incommoda potiùs, quam commoda afferre solent. Ea die, quæ videtur huiusmodi materiam subministrare aliam, eidem Euangelio congruam seligat. Neq; in hoc aliquorum voces, qui dictitarent ip-

sum

sum, vt pote minùs in Theologia peritum, ab illa abstinuisse Cõcione, in vllo habeat pretio. Solum ab imprudentibus, minusq; etiam peritis illæ emanare potuerunt. Non potest meritò redargui, dum non contra munus suum peccat. Potius commendandus, qui declinat illa, quibus facilè plures reddi queunt minùs solliciti in pijs operibus &c. Ex alijs actionibus præterea potuit, vel potest comparare laudem sibi in Theologia periti. Præcellentis autem Theologi laus non est congrua Concionatori vt sic. 15. *Non imitetur illos*, qui Quadragesimæ nominatim Tempore *certis diebus* etiam in hebdomadas singulas Conciones quasdam habent *Euangelio*, quod illis legitur diebus, *non consonas*, ac præter expectationem, moremq; habentur; Multoq; minùs illos, qui eodem tempore vndiq; Panegyricas Cõciones habendi occasionem arripiunt, vt pote in illis præstantes. Hi enim uerò haud ad animarum salutem curandam videntur propensi, sed potiùs ad gloriam sibi captandam. Animarum salutis cupidus Panegyricas rarò Conciones habeat; nam minorem fructum præ alijs afferre solent: si aliquas habeat, eò concionem dirigat, vt Auditores verè impellantur ad talis Sancti v.g. imitationem, propositis ex eiusdem Sancti exemplo medijs, quæ Auditores commodè possint adhibere ad Christianam perfectionem assequendam. *Talis excogitetur Allegoria*, vel *Similitudo*, vel *quid simile* pro Concionis argumento, vt omnes illius Sancti Viri præcipuæ actiones Auditoribus, *quorum plerisque* illæ ignotæ esse solent, licet nonnullis nonnullæ possint esse notę, exponantur: Nec morem sequatur illorum qui aliquod peculiare factum alicuius Sancti celebrandum tantummodo assumunt; qui tamen haud laude indigni forent, si in Amplificatione saltem alias illius Actiones præcipuas afferrent. 16. *Haud illis* adhæreat, qui vel *ostentant* memoriam; nam hæc Puerilis potiùs laus est, estq; ostentatio planè Euangelico Concionatore indigna: vel in *Vestitu*, *Habituque lasciuiam* quamdam videntur sectari, vestimenta, vel superpellicea affabrè concinnata solito pretiosiora, ac veluti tunc consuta, plicataq; habentes; Nam præterquam hæc vix videntur laudari in Iuuenibus, ac Mulieribus, Euangelici Concionatoris existimationem hęc apud Idiotas Viros etiam minuere solent. 17. *Verba quædam* minùs pudicum, rectumue sensum habentia declinet omnino, sicuti etiam phrases quasdam, siue quosdam loquendi modos, e quibus Auditores arguere possint, ipsum esse in quibusdam materijs versatũ, licet nonnullarum ex illis priuata cognitio posset esse illi perutilis: Quæcumq; pro viribus à Concionatore vitanda est Auditorum offensio, vt magis sua oratio illorum animabus perutilis esse queat. 18. *Paradoxa* in Concionibus vitet: *Tum quia* hæc non videntur Pulpito satis consona, sed potius exedris, in quibus *Stoica* etiam prælegeretur Philosophia;

sophia; *Tum quia* id à more celeberrimorum Concionatorum, qui ad nostra ferè tempora vixerunt, ne dum Sanctorum Patrum, fuit alienum semper. *Tum quia* ad eorum explicationem multa afferri solent, quæ vel non omninò, vel parùm sunt ad rem; *Tum quia* sæpe quædam proferuntur, quæ nisi exactè explicentur, præiudicare possunt valde *Veritati*, *Pietati*, imò & *Fidei ipsi*; Auditoresque sine labore Paradoxum intelligunt, non verò illius solutionem assequuntur plerique. *Fieri quidem* potest, vt Cõcionator aliquis in Scholastica etiam Theologia valde peritus ita possit Paradoxa nonnulla explicare, vt Auditores verè, nec in Fide, nec in Moribus nullum patiantur detrimentum: Hic tamen ad imitandum non est proponendus; *non solùm quia* non omnes eadem præstant scientia, explicandiq; facilitate; *verum etiam quia* in hoc ille Concionator haud esset laudabilis, vel certè minùs laudabilis, quam si alium amplecteretur morem. 19. *Nolit se in pulpito* ostendere excellentem Philosophum, Theologũ, peritissimum in Mathematica, Medicina, vtroq; Iure &c. Haud hæc ab illo petuntur. Exhibeat se egregium Euangelicum Oratorem. Si plurium scientiarum habet peritiam, eam præferat aliquando & per transennam, & quam breuissimè. Minùs autem versatum se in illis Artibus, vel scientijs ostendat, quæ penitus alienæ à Cõcionatore esse debent, vel illius statui non sunt consonę. 20. *A Poetis plurimis*, & maximè illis, qui Vulgari, aut Italico idiomate cõscripserunt, ac nominatim, qui licet pium nonnihil ediderint, in obscænis, vel minùs pudicis stylo sunt versati, tum legendis, tum afferendis pro viribus abstineat. Multorum *lectio* potest esse Concionatoris moribus noxia; Saltem tempus, quod in illis impenditur, in alijs salubrius impendi posset. Dum autem *afferuntur* à Concionatore, multi existimare queunt, eorum lectionem esse laudabilem, cum videant illos, qui se Euangelicos Concionatores profitentur, eorum lectione delectari. Existimatio certè hinc imminuitur quam maximè Virtutis Concionatoris, cuius verba nunquam deinde efficaciter Virtutes suadere, aut Vitia dissuadere poterunt. Experientia non semel patuit etiam, dum Concionatores aliqua, nec per se vituperanda, primis Quadragesimæ diebus ex Italico Poeta, protulissent in nobilibus Vrbibus, cordatos Viros ab eorum Concionibus abstinuisse semper, imò & populum accedere ad illas renuisse, licet re vera in multis Christiani Oratoris dotibus pręcellerent. 21. *Sit Concionator versatus* in Historijs, tum *Ecclesiasticis*, tum *Prophanis*; harum tamen rarior, illarum frequentior, selectarum tamen, approbatarumque, vsus esse debet. 22. *Ne Ridicula quædam*, & ad *Risum prouocantia* in pulpito proferat; Propria illa sint Comędorum. Sacrarum Concionum Honori detrahitur, dum ad Conciones fit accessus, quasi ad *Comœdias*, Euangelicusq; Concionator

nator existimatur, quasi *publicus Histrio*. Repellendi essent enimuerò e pulpito homines huiusmodi, Concionatorum nomine indignissimi. *Sancta, seriaq; sanctè, ac seriè tractanda sunt.* Hac etiam de causa illi, quorum *Gestus, vel Pronunciatio* est simillima *Circulatoribus*, aut *Histrionibus*, scenisq; congrua, à pulpitis essent submouendi; Cum enim omnia, quæ Concionator profert, referenda sint ad ęternam hominum salutem, adeoque omnia sint magna, grandius quoque orationis genus exigunt; ex quo fit vt maximè grauis esse debeat Concionatoris Gestus, ac Pronunciatio. 23. *Sicuti Plebeium* omninò sermonem vitare debet Concionator; Ita haud amplectatur illum, qui proprius est solummodo virorum, qui in sermone à communi cæterorum consuetudine ex industria abhorrent. Voces communi auditorum captui accommodet. *Hinc* quarumdam vocum reconditarum, antiquarum, ac non vsitatarum vsum caueat, quę ex ambitione tantum quadam proferuntur, vt auditores scilicet intelligant, se talis linguę peritum esse; Qui tamen à prudentibus viris nullam reportat laudem; cum enim vsitata vox æquè apta, & persæpè aptior ad idem significandum adhiberi possit, cur obsoleta, ac non vsitata adhibetur? Fit non raró iubente Deo in criminis pœnam, vt hinc potius Concionator vituperationem à talis linguę peritis reportet, eo quod cognoscāt, illum huiusmodi vocis proprietatem non assequi, vel nō consequenter postea loqui &c. 24. *Conciones re vera habeat*, non Academicos Discursus, siue Sermones; licet multi illos exigerent, illosque habere & cum laude nou sset. Immerito hi exiguntur à Concionatore; magisq; immerito horum voluntati, ac genio ille indulget. Ab eo, qui in publica Vniuersitate teneretur Philosophiam prælegere, quis exigeret lectionem de Mathematica, Medicina &c. vel ornatas Rhetorum voces, dum Philosophica explicat? Imprudens enimuero, ac e magisterio submouendus, qui talibus annueret votis. *Futilis est illorum excusatio*, qui asserunt id se præstare, vt *alliciant Auditores ad Conciones*, qui secus ad illas non accederent. *Tum quia* Deus testis est, id plerumq; saltem a veritate alienum esse, cum re vera sibi habeant propositam tantummodo gloriolam, laudemque aliquam obtinendam à nonnullis, qui se Academicos, politiorumq; literarum peritos profitentur: *Tum quia* hi sępe non sunt apti ad Conciones aptas scribendas, habendasque. *Tum quia* talia proferunt, dum huiusmodi Sermones Concionum nomine cohonestant. *Tum quia* qui e superiori suggesti loco dicit, non tantùm aliquos nobiles, vel Academicos docere, vel delectare debet; *Tum quia* peritiores, prudentioresque etiam Academici haud hos Oratores laudant, nec laudare meritò queunt; Illi enimuerò vituperarent, nec immerito eum, qui in Academijs Concionem Euangelici Oratoris propriam haberet. *Tum quia*

hæc

hæc Rhetorum ornamenta re vera Verbum Diuinum dehonestant. Hinc illa S. Hieronymi *lib. 3. Com. in Gal. in Proemio* redargutio. ***Iam enim*** & in Ecclesijs ista quæruntur; omissaq; Apostolicorum *simplicitate*, & *puritate* verborum, *quasi ad Athenæum*, & ad Auditoria conuenitur, Vt *plausus circumstantium suscitentur*, Vt *Oratio Rhetoricæ artis fucata mendacio, quasi quædam meretricula prodeat in publicum*, non tam *erudiitura populos*, quam *fauorem populi* quæsitura; & in *modum Psalterij*, & *tibiæ dulcè canentis, sensus demulceat audientium*, vt verè illud Prophetę Ezechielis *nostris temporibus* possit aptari, dicente Domino ad eum, *& factus es eis quasi vox citharæ suaue canentis, & bene composita, & audiunt verba tua, & non faciunt ea*. Licet autem hi homines in fine sermonis ad aliquam virtutem amplectendã, aliquodq; vitium declinandum allicere velint Auditores, nullam eorum voces habent vim; iam enim sibi suadent Auditores, hæc non ex corde proferi, sed simulatè tantummodò; quod etiam adhuc sibi faciliùs suadent, si in hoc ipso ornatum etiam orationis sectari vident &c. *Maximum omninò flagellum* existimauit celebris celeberrimæ Societatis Iesu Generalis P. Aquauiua, *cum eos venire permittit*, quorum in Ecclesia strepitum *D. Hieronymus* amarè deflet, qui fiunt populo, quasi *tuba, & cythara* suauè *sonans*; qui profectò *adulterant* potius verbum Dei, neq; ea *annunciant*, quæ aut ad pœnitentiam prouocare, aut *Christum* in cordibus audientium formare *queunt*. Subdit autem *ea in Epist. de Fel. Prog. Soc. Missa ad Super. Societ.* 28. Iunij 1581. ab eo, vbi dictus est Generalis, hosce ad Cõcionandi munus *talentum* nactos non esse, *quamuis* in vulgus fortasse laudentur, ac suspiciantur, *quamuis* etiam eos *ingens auditorum numerus sectetur*: adeoque *eos* in aliquo Societatis ministerio vel legendi, vel alio quouis *occupandos* esse. Quid si fieret, vt istis, qui auditorum aures mulcent, nobiliora etiam pulpita tribuerentur; hisce multę conciderentur exemptiones, honoribusq; ac premijs eorum futilis labor compensaretur; maiori in prætio prę alijs Euangelicis Concionatoribus ab ipsis etiam Ecclesiasticis Præsulibus haberentur &c.! Salubre est quidem omnibus Regularibus Pręlatis *Reuerendiss. Aquauiuæ* monitum: contra quod adhuc magis peccaretur, si ad huiusmodi Concionatores audiendos mitterentur Iuniores, & quibus concionandi munus demandandum licet audirent, vel legerent, haud hosce imitandos, esse ineptos ad illud munus, adeoq; submouendos &c. Si praxis omninò contraria, & huiusmodi concionandi morem maximè fouens appareret, nec possent rationabiliter non sibi suadere, quin hic mos à Prælatis approbaretur quam maximè, dum illis preientibus, ac peculiaria amoris signa Cõcionatoribus hisce exibentibus huiusmodi cõciones haberentur. *Quam vtile fuisset multis* Rhetoricam non didicisse Artem! Cum

in hoc

in hoc grauissimè peccari possit ; non est mirum, quod Deus claris etiam argumentis declarauerit, aliquos ex hoc æternis addictos fuisse supplicijs. Vtinam qui illos fouent, eorum peccati, multoq; minus pœnę sint participes. Exhibēda *animi Magnitudo*, ac *Fortitudo*, quam in *Generali Societatis* Sanctissimus *Patriarcha Ignatius p. 9. c. 2. §. 5.* requirit, vt *ab eo*, quod *ratio*, & *diuinum obsequium postulat*, nullis *Magnorum*, ac *Potentium precibus*, aut *minis separari se sinat*; si illi omni opera contenderent, vt huiusmodi Concionatores ab hoc munere non remouerentur, multoq; magis si cōtenderent, vt illustriora pulpita illis præberentur. Ex his videre est, quam acri reprehensione digni sint illi, qui Carmina, Elogia, ac similia conficiunt, vel conficienda curant in commendationem huiusmodi Concionatorum verbum Dei adulterantium. Quid si illa fuerint quoq; Ementita ! 25. *Si oratori cuiq;* vitandi sunt cōceptus *futiles*, qui *non sint ad rem*, qui *non sint inter se connexi*, ac *nimij*, multò magis Sacro Oratori ; & tamen sæpissimè in his peccatur ; & quod dolendum est maximè, plausum, laudes, imò & pecunias, honoresq; reportant illi, quorum oratio ineptis hisce conceptibus redundat, quos etiam ineptissimè fundant persæpe in aliquibus Scripturæ, vel Sanctorum Patrum dictis ad eum sensum violenter, siue vi pertractis. In hunc errorem magis procliues sunt illi, *qui ingenio aliquantulum sibi excellere videntur* (hi tamen sæpe iudicij laude sunt destituti) & qui Sermonarios quosdam, & Cōmentarios etiam nonnullos Sacrarum literarum euoluunt, quorum lectione non pauci Concionatores sunt contenti, S. Patrum lectionem omittentes, in quibus est reperire conceptus laudabiles, & qui simul oblectare, ac permouere animos queunt : Verum vani homines, mentisq; inopes libris delectantur, in quibus hæc falsa leguntur Commenta ; quæ quidem etiam eò minorem habent laudem, quo communem hominum intelligentiam prętergrediuntur; neq; enim *naturales*, vt dicitur, conceptus, sed potius *innaturales, nothiq*; appellandi. Sacræ orationis grauitatem dedecent illi enimuero. Qui illos impense sectatur, sciat nunquam Euangelicum Cōcionatorem se euasurum, nec laudes Cōcionatoris ab illis etiam, qui Oratoriæ Artis præcepta norunt, si sincerè loqui velint, haud consecuturum. 26. *Haud se tunc perfectum Concionatorem putet*, cū sibi à vulgo (cuius nomine intelliguntur etiam quidam scioli, & qui ex Artium, scientiarumq; fontibus nonnihil pręgustarunt) plausum fieri videt, vel audit. Qui sentit idoneum esse Auditores Iudicem Concionum, insipienter sentit : legatur ad id *S. Chrysost. lib. 6. de Sacerd.* Tunc quidem eiusdem Sancti, ac S. Gregorij Nazianzeni, S. Augustini sentētiæ adherens meritam se obtinuisse approbationem censeat ; cum *Auditores muti* (silentium, tanquam Oratoris Ethnici approbatorem benè dicentis, volunt esse Plin. lib. 2. ep. 10. &

Quintil. lib. 4. c. 2.) *flexo capite in anteriorem partem, collacrimantibus oculis* à concione recedunt; *cum peccatores,* & maximè in vitijs obduratos, à sua permotos concione virtutis viam inijsse nouerit; *cum alios,* cæteroqui pios viros, magis amantes pietatis veræ redditos fuisse vi suarum concionum habuerit perspectum &c. 27. *Ne Metaphoricas* voces, allegoricosq; sensus multos Concioni inserat; multoq; magis metaphoricam, allegoricamq; quasi perpetuam orationis seriem deuitet. Id multi laboris solet esse Cõcionatori, nulliusq; ferme fructus Auditoribus, cum superent communem intelligentiam: imò etiam peritioribus valde molestum id esse solet, tum quia defatigantur, tum quia vident se non posse omnia ritè percipere. Haud eam ab auditoribus attentionem exigere debet Concionator, quam Professor Philosophiæ, Theologiæ &c. dum in exedra habet lectionem Philosophicam, Theologicam &c. imò nec eam, quam Orator in Rhetoricæ classe, vel Academia &c. 28. *Non prius certa quædam,* insolitaque concionum argumenta seligat, ac postea S. Scripturam, Sanctos Patres, aut alios euoluens, illorum verba, sensusq; licet minus congruè, tali argumento adaptare conetur: Sed priùs lectis & Sacris Codicibus, & S. Patribus, alijsq; celebrioribus Scriptoribus, nonnullisq; ad certa capita calamo reuocatis, argumentum inde conficiat, illiusque probationes. Neque omnia à se lecta, calamoque etiam descripta, licet per se digna forent, coaceruet, velitque omninò ea in Concione reponere; verum eligat selectiora. Alia alio in loco, vel in simili concione vsui esse poterunt: Multò magis abstineat ab inserendis illis, quæ nihil, aut leuissimè faciunt ad rem, de qua habetur Concio, solumq; afferuntur ex eo quod quis illa legerit, aut scripserit, ne irritus videatur labor. 28. *De certo Concionis* argumento non sit valde sollicitus: imò obuia, & quæ à populo expectari solent, vltro amplectatur. Nouas potius probationes, confirmationes, & amplificationes, easq; efficaces excogitet, afferatque. *Proferat de thesauro suo Noua, ac Vetera.* Vbi quis certum quid Auditoribus suadere statuit, rationes afferrat, quibus illud confirmetur, amplificetur &c. auditoresq; ad illud idem alliciantur &c. & in hoc colliment omnia, quæ in Concione profert. *Hinc,* si quando ad Cõcionem illustrandam magis *digressiones,* siue *egressiones* adhibeat, istæ nõ sint *multa,* nec *prolixa,* vt opus sit reuocare in memoriam priora, nec *vna super aliam inducatur* apteq; *cohæreant* materiæ de qua agitur in Concione. Multę Solent quidem ad ostentationem solam addi. 29. *Ne Concionis Proemium* efformet, quod nullũ habeat cum reliquis Cõcionis partibus nexum, multisq; accommodari possit; multoq; minus duo quasi Proemia eiusdem Concionis proferat. Caueat verò nominatim; *Ne in Epilogo,* siue in *Concionis exitu,* aliqua velit suadere, ad quæ suadenda reli-

quas

quas Concionis partes non direxit: In quo à plurimis erratur; ideoq; Auditores nullo cum fructu à Concionibus recedunt. Iudicij defectus hic est non ferendus. *Nec secundam Concionis partem* conficiat, quæ cum *Prima* connexionem non habeat. Leuis ingenij, iudicij, ac studij argumentum est cumulare simul, & congerere multa e Patribus, ac alijs, quæ in varia colliment. Talem meditari concionem, vt omnia, quæ allaturus est, certum quid petant, non nisi præstanti iudicio, ingenioq: exornatus poterit. 30. *Distinctè, ac breuiter* initio Scriptionis, aut meditationis illius concionis, quam habiturus est, proponat sibi capita, siue partes, in quas concio tribuenda est, eaq; etiam auditoribus initio concionis exponat, atque *idemtidem interroget se*, aut recogitet, quid cæperit scribere, aut dicere. *Notet* autem illa, in quibus peculiariter insistendum sit, ad idque proferat tum exempla, tum rationes ad intellectum conuincendum, voluntatemq; permouendam. Illæ duci queunt à similibus, dissimilibus, coniunctis, contrarijs, à maiori ad minus, à minori ad maius, ab vtilitate, necessitate, delectatione, facilitate, & his similibus. Conducet ad id maximè, *tum* habere notas sedes argumentorum Dialecticas, siue Topicas; *tum* ex Concione, siue Homilia alicuius sancti Concionatoris v.g. S. Chrysostomi cognoscere, qua ratione vitij alicuius fugam, vel alicuius virtutis amplexum, vel quid simile suaserit. Laudabilis hæc est eloquentia: Vituperabilis, nec illo nomine digna Concio, in qua pleraq; cursim dicuntur, nec in vllo fermè insistitur. 31. *Ne vestigijs insistat aliquorum*, qui fermè statim ac pulpitum subierunt, *clamoribus quibusdam* auditores ad lacrymas, ad pœnitentiam &c. prouocant. *Persuadenda est prius intellectui Veritas*; posteaque *Voluntas* impellenda. Huiusmodi voluntatis motiones in idiotis quoq; solent esse breuissimæ, modicumq; apud eos quoque fructum afferunt; apud prudentes, cordatosq; viros nihil ponderis habent. Nullus, vel modicus in virtutibus progressus in ijs, qui Hebdomadæ Sanctæ diebus multa *tum* deuotionis, ac pietatis, *tum* abstinentiæ, aliarumq; corporis afflictionum opera exercuerint, videtur ex eo oriri, quod ex Concionibus Quadragesimali tempore habitis non sibi suaserint, Vitia quædam maximè indigna esse Christiano homine, imò & Moraliter viuente; virtutes quasdam esse etiam homine rationabilem vitam ducente dignissimas; Christianam legem esse rectissimæ conformem rationi, nec ab illa vitari honestas animi relaxationes, quæ plurimæ sunt &c. *Rationes* ergo inuestiget Concionator, quæ quasi *cogant intellectum ad assentiendum veritati*, quam proponit; facilis deinde, ac stabilis erit voluntatis propensio ad ea amplectenda, vel declinanda, quæ intellectus censuerit. Inter rationes, quæ sibi occurrerint, efficaciores afferat, & quę sibi verè idem suadent. Si hoc pręstiterit,

haud erit illi opus erumpere, *nec in tot clamores*, qui sæpè non leuia afferunt sanitati incommoda, ac nominatim Dentibus, Gutturique sunt valde molesti, nec in tot affectus, qui si protrahantur, multum mentis, Corporisq; vires debilitare solent. 32. *Ne sit nimius in affectibus* siue multiplicandis, siue protrahendis: nihil citius lacryma arescit; experientiaq; patet, plurimos, si protrahantur, languescere, auditoresq; initio permotos in decursu longiori à motione illa desistere, ac sæpè potius irritari contra Concionatorem, dum in exitu maximè Concionis sibi suadent illi finem imposuisse, in huiusmodi affectibus, etiam lenibus, ac suauibus ad *Crucifixum, B. V. &c.* si diu consistat. 33. *Haud imitandi*; qui aliquam Concionis partem eleganti, vel sublimi etiam stylo habent, aliam ineleganti, ac pedestri, siue tenui stylo, licet sublimiorem, aut grandiorem exigeret. Significāt hi enimuerò se illas excerpsisse ex varijs libris, siue Cōcionibus; & ex hac orationis dissonantia leuis sui argumentum exhibent iudicij: Hoc vitium peculiariter in Concionum *Proemijs* est animaduertere. *Similiter* coarguendi, qui primas Cōciones v. g. quadragesimales habēt laudabiles, quibus ceteræ, aut pleræq; saltē nō respondent. 34. *Ne sibi multum* plaudat in sua, suorumue doctrina. Odium, inuidiamq; præter ambitionis specimem id excitare solet. An nō dignus reprehensione foret Concionator ille, qui scapulare v.g. attollens diceret, *Sub huiusmodi veste latet Theologia*; quasi nulli alij essent Theologi, quam talis ordinis &c. *Raro etiam* sui Ordinis, vel Religionis laudes commemoret; nec eas celebrandi vndequaq; occasionem arripiat; præterquam enim multa cum exaggeratione proferri queunt à prudentibus non approbanda, imò & falsa, cæterorum inuidiam id excitare solet, indeq; moueri aliqui ad illius ordinis hominum errata, criminaq; indaganda, ac publicanda, maximè si e laudum narratione conaretur Concionator suum Ordinem supra cæteros efferre. *Opinari præterea* multi queunt, valde ieiunum esse illus *Sancti Viri* meritum, de quo habita Concio maiori ex parte cōtinet laudes illius Religionis, quam ipse instituit, vel in qua vitam duxit. 35. *Cum duo maximè tempora* sint ab Ecclesia instituta, quibus velit Fideles præ ceteris operibus vacare pijs, *Aduentus* scilicet, siue *Quatuor Hebdomadis* ante Natalitios dies, & *Quadragesimæ*; suis Cōcionibus, quas illis habet mensibus vna cùm Ecclesia præcipuè id sibi quoque propositum habeat. 36. *Ne nimis quædam pietatis opera* exaggeret, asserendo v.g. *si quis in illis exerceat, certò* cælestem consecuturum gloriam; Diuinum ad fore auxilium, ne in æternum pereat &c. Possunt facilè multi hinc ad peccandum allici, pro certo habentes, si in tali opere pio semet exerceant, quoduis crimen committant, vel criminum quorundam numerum multiplicent, se in cælis regnaturos: Neque autem confirman-

mandum afferant aliquorum exempla : *Tum quia* vel falsa, vel exaggerata possunt esse, nec omnes circumstantiæ narrari : *Tum quia* id peculiari Dei beneficio euenit, vt ostenderet sibi gratum esse tale opus : Quod an in alios conferendum sit, quis nouit ? Nusquam *Sancto Latroni*, quem magis certum est, in cælo degere cum Christo, quem quemcumque, qui in album Sanctorum relatus fuerit à summo Pontifice, Ecclesia peculiaris, vel etiam Altare peculiare dicatum fuisse dicitur, ne hinc alliciatur populus ad pœnitentiam in vitæ exitu agendam. 37. *Ne solùm quædam pietatis* opera commendet, omissis præstantioribus. In aliquorum ore sunt ferme semper quædam, pro quibus eroganda est ab Auditoribus pecunia, eaq; vt plurimum in ipsorum Cõcionatorum, vel certorum hominum, qui minus prę alijs indigent, vtilitatem. Pro viribus à nostrę fidei Hostibus, imò & à non paucis e Catholicis, sensus hic relegandus est, quod multa pietatis, quę dicuntur opera, sint inducta tantummodò ad exhauriendas Ciuium crumenas ; ad vindicanda sibi eorum bona, hęreditates &c. Certè negari non potest, quin maiori commendatione digna sit eleemosina, quæ tribuitur pro alendis verè Pauperibus, Orphanis, Viduis, Virginibus, & maximè in luxuriæ crimen facilè lapsuris, Nobilibus, Diuitibusq; ad mendacitatem redactis, redimendis captiuis &c. quã pro à multis Concionatoribus commendatis assiduè, etiamsi pecunia in Altaris, vel Ecclesiæ ornamentum eroganda foret. Sæpè autem euenire potest, vt satis non sint Facultates, vel Eleemosinæ Ciuium ad multiplicia pietatis opera ; adeoq; dum in minus laudabile opus pium erogatur, ad magis pium illa deficiat. *Vtinam multi* in ornandis templis Vanitatem non sibi habeant propositam ; Quod non irrationabiliter suspicarentur, qui cognoscerent pecuniam illam vtilius posse impendi v.g. in subsidium Christianarum ouium à supremi Pastoris Ouili segregandarum, nisi validum habeant subsidiũ &c. 38. *Ne aliquorum etiam operum*, cæteroqui per se laudabilium, laudes nimis exaggeret ; aut *nimis frequens* sit in illis commendandis. Fieri facilè potest, vt fideles his cõtenti, legibus re ipsa obligãtibus haud se obsequentes præbeant ; & cum se nimio pondere premi videant, si omnia exequi velint, amplectantur potius illud, quod deuotione tantum exhibendum est, cùm audiant illud tam mirificè efferri, ac tot repetitis vicibus laudari à Concionatore &c. *Vrgeat ille frequentissimè Diuinorum Præceptorum, certarumq, Ecclesiæ Legum omnes planè comprehendentium executionem*. Horum obseruantia est, quæ ad cælestem patriam dat aditum. Si minùs hæc seruent fideles, eo quod illa amplectantur, ab illis potiùs dehortandi sunt. 39. *Ne ad extrahendam* ab Auditoribus pecuniam causam aliquam commiseratione dignam fingat, vel plus æquo amplificet; aut amphibologia vtatur, certumq;

perso-

personarum genus pro alio, *ac nominatim e suo ordine*, multoq; minus pro se ipso substituat: præterquam enim peccatur cōtra *fidelitatem*, ac *simplicitatem*, siue *sinceritatem*, cuius Euangelicus Concionator studiosus esse debet, peccari etiam posset contra *Iustitiam*, si non restitueretur, quod eleemosinæ etiam nomine acceptum est, si nimirum eam tradentes nō ob alium, quam à Cōcionatore narratum, eā præbuissent. 40. *Ne in Vitia nonnulla* ita inuehat, vt particulares personæ, ac nominatim *Magnates*, *Principesq;* certo designari videantur. Ex his nullus fermè fructus: Subditi, siue Populi potiùs ad debitam suis Dominis, ac Principibus subtrahendam obedientiam hinc alliciuntur. Vt plurimum Concionatores notas haud habent causas, propter quas multa à Principibus prestantur; eas si haberent notas (neque tamen expedit sæpissimè eas illis exponere) potius Principes commendarent. Si nonnulla in illis sunt reprehensione dignissima, ac publica; correctio prius secreta adhibeatur, ac per eos, qui aliquam habent apud illos auctoritatem. *Adulationis* quoque vitium est Concionatori maximè declinandum, *præcipuè* si minùs laudabiles sint res à Principibus gestæ (*sordidorum*, & nō *ingenuorum Aulicorum fuerit illud vitium*) ac Populus etiam in Principem non est valde propensus; hinc enimuerò Concionatoris amori, ac existimationi valde detrahitur. 41. *Quædam peculiaria* vitia, *tum* Christianorū, *tum* Ciuitatum, in quibus Concionem est habiturus, publica tamen, animaduertens ad ea extirpanda omnes ingenij vires adhibeat, & quæ legit, vel audit, si ad id conducant, peculiariter notet, varijsq; rationibus prolatis, ac S. Scripturæ, Patrumq; locis expensis, ac dilatatis ea euellere satagat. Ingens fructus ex vnius Quadragesimæ laboribus existeret, si in idem sæpenumero commune vitium Concionator varijs inuehens modis illud eradicaret. 42. *Abstineat* quam maximè à *Detrahendo*, ac nominatim *Primò* Alijs qui in eadem Ciuitate Conciones habent. Scandalizantur hinc grauiter Auditores, quos hortari potiùs debet Concionator, si Euangelicus est, cupitque Christi regnum propagari, Deiq; nomen pro viribus sanctificari, vt accedant ad illos, à quibus maiorem animabus suis reportent fructum. Maximam iste voluptatem interius percipiet, huiusq; voluptatis specimen exterius præbebit, dum intelliget Auditores Concionatorem alium audientes magis sub illo proficere. *Id etiam confert* ad maiorem enimverò Concionatoris istius existimationem; homines enim licet dimisè de illius ad concionandum habilitatem sentire possint, non poterunt tamen non altè de illius Virtute sentire. *Hæ præterea* contra alium Concionatorem acerbæ voces ad quid prosunt? efficientne vt ipsius Concio frequentetur magis? *Secundo* Regularibus diuersi ordinis. Christiana quidem Caritas inter nullos magis vigere deberet,

quam

quam inter Regulares Ordines, qui Christianam profitentur perfe- ctionẽ; & tamen possunt esse nonnulli, qui arrepta occasione, ac stu- diosè interdum conquisita, aliorum Ordinum Religiosos (quid si eius- dem Ordinis, ac superiores quoque!) ne dum tacitè reprehendere, verum etiam apertè mordacibus vexare verbis in Concionibus ipsis audeant. Præstare id queunt tum ex odio, vel inuidia &c. tum ex ita ad vlciscendam aliquam sibi, vel suis illatam iniuriam &c. Si Con- cionatores Christi sunt internuncij, si Euangelium prædicant; quid enimuero à Christi moribus, ac legibus est remotius, quam Carita- tem mutuam non habere, odisse inimicos suos &c.? Qua ratione sua- debunt sæcularibus, vt pro inimicis suis ne dum orent, verum etiam illis benefaciant, eosque ex corde diligant? *Ad hæc* mulierculárum huiusmodi solent esse vindictæ. *Ne vnquam etiam permittat Deus*, vt ab auaritia, ob timorem scilicet minores recipiẽdi eleemosinas, oria- tur, quod aliqui Cõcionatores vituperent *etiam Pias exercitationes*, quę ab alijs obeuntur, easq; curent etiam vetandas, sub specie etiam alicuius publici boni. 43. *Ne insistat eorum mori*, qui alicubi Concio- naturi literas curant à plurimis sibi amicis, vel amicorum amicissimis ad quosdam primarios maximè Viros, quorum opera, præsentiaque Concionum frequentia foueatur. Id sæpenumerò saltem non egre- gij Concionatoris argumentum est. Qui talis, haud hisce adminiucu- lis indiget. Opus est illis nominatim, *qui* verborum lenocinia, or- natumq; sectantur, *qui* non animarum fructum, sed gloriolam sibi habent propositam, *qui* Academicos discursus in pulpitis habẽt &c. Experientia etiam sæpe patuit, nisi verè suo merito sibi audientiam conciliet Concionator, artes huiusmodi parum prodesse, adeoque earum literarum delatores ignominia maiori notatos discessisse. Et homines quidem prudentiores de huiusmodi literis sunt parum solli- citi, scientes non rarò esse quasi extortas, & sæpè exaggerantes; *Nec reprehensione* carerent illi, ad quos huiusmodi deferuntur literæ, si dum Concionatoris meritum non exigeret, illius Cõciones frequentarent; *multoq; magis* arguendi, si alios quasi cogerent, ne dum allicerent, ad illos audiendos. 44. *Ne consuetudinem arripiat* Concionem habendi integrè saltem e scripto. Haud efficaciter, vt par esset, dici potest, quod ita ex scripto, siue ad Verbum profertur, & maximè dum Cõ- cionator timet, ne dum sibi aliqua non occurrant, vniuersa Concio- nis series, siue dispositio corruat; Nec Auditores sibi suadere queunt ex animo proferri id quod, taliter profertur: Quare *Si recitet* e Scrip- to, id occultet Auditoribus. Est Ars summa quandoque Artem oc- cultare. Semper quidem non solum res præmeditandæ sunt, quæ afferendæ sunt in medium, verum & in modum quo id præstandum sit, mentis obtutus sedulò defigendus. Videretur tentare Deum ille,

qui

qui ex improuiso Concionem habere vellet nulla ratione antea præmeditatam. 45. *Ne ex eo quod nonnulli* singulari pietate Viri aliqua Concionantes dixerint, aut egerint, existimet sibi eadem licere; *Tum quia* non omnia forsan ab illis præstita, dum ad Populum Conciones haberent, fuerunt vndequaq; laudabilia; *Tum quia* e peculiari Diuino instinctu ea protulisse, ac fecisse quandoq; potuerunt. Solus alicuius Viri valde pij aspectus in pulpito, licet sermo sit minus congruus, allicere potest facilè homines ad lachymas, cõtritionem, virtutes &c. Sit pius vt illi, talemq; rebus à se gestis existimationem de se conciliet apud populum, & tunc forsan aliqua licuerint, quæ modò non licent. 46. *Sibi ipsi id, quod alijs suadere cupit, suadeat primo*; nisi ex animo loquatur, & ex animo ipsum etiam loqui existiment auditores, irritus erit Concionis labor. Coram Deo hic animi sensus, motusque foret excitandus: adeoq; ex oratione (non ex allocutione cum alijs, non e comestione &c.) pulpitum ascendat iuxta monitum etiam S. *Aug. c.* 15. *lib.* 4. de Doctr. 48. *Vltra horam nunquam* Concionator protrahat Concionem: longiores Conciones tædio solent esse molestissimo: *Si Concionator placet*, dimittuntur Auditores cum mira cupiditate illum audiendi iterum: *Si non placet*, cur maiorem illis inferat molestiam? Multorum ex hoc capite imminuitur frequentia; qui si breuiores forent, totum ferè ad se populum attraherent. Concioni est tunc minùs congruum id quod additur, licet per se maximè appositum foret. Prudentiæ est multa omittere, eo nomine etiam, ne cogatur cursim illa proferre, & hac de causa etiam non peruadant mentes auditorum, qui minus tunc attendunt, tædioque ex longiori sermone afficiuntur. Adnotet ergo Conciones, quæ vltra horam expatiatæ fuerint, & ex illis deleat, vel non proferat, quæ minus idonea deprehenderit. 49. *Habeat vnum saltem* sib vera iunctum amicitia, qui se moneat de defectibus, quos ipse, si sit peritus, ac prudens, vel alij viri periti, ac prudentes (possunt autem de Concionibus legitimum etiam ferre iudicium Viri, qui nunquam Conciones habuerunt, vel etiam ad illas habendas haud idonei sunt) animaduerterint; Huic etiam *Communicet* Concionis argumentum, & quæ ad illud adnotarit; Concionem coram illo habeat, antequam in publicum prodeat, vt de Actione etiam iudicet; emendetq; initio correctione digna, ne vitijs insenescat; ac meliora reddat, quæ cæteroqui etiam bona. Norit autem quicumque etiam egregius Concionator, se habere aliquod vitiũ emẽdatione egens ac plura posse perfici in dies. *Non multam verò fidem habeat* nonnullorum laudibus; *tum quia* possunt esse fictæ, adulatoriæ, exaggerantes; *tum quia* afferri possunt à Viris non solùm *inexpertis*, verum etiam minùs *beneuolis*, atq; potius *inuidis*, *ac maleuolis*, adeoq; *cupidis*, ne ipse aliqua emendet vi-

tia

tia, siue in Verbis, Concionisque contextu, siue in Gestu, ac Pronunciatione, eo quod hinc maiorem assecuturus sit existimationem, quæ ipsorum existimationi, siue in Concionando, siue in alijs præiudicet.
50. *Caueat Concionator* diligentissimè hæc *Quatuor* 1. *Obliquam intentionem*: Possunt enim multi hoc suscipere, ac exercere munus, vt liberiorem, minusq; legibus, nominatim Regularibus, sint subiecti, multas habeant exemptiones, vt magis opiparam habeant mensam, supellectilemq; in Domo, vel cubiculo pretiosiorem, vt possint per Ciuitates vagari cum aliquo honoris titulo, vt maiorem contrahāt familiaritatem cum quibusdam personarum generibus, ac nominatim Magnatibus, quorum Operam deinde adhibeant ad sua commoda, vel ad vlciscendas iniurias sibi quandoq; illatas, vel ad se Superiorū imperio subtrahendos &c. Velit ergo Concionator non prædicare, *se ipsum*, sed *Christum Crucifixum*, neque laudes sibi, sed Deo comparare; & tunc ornatus quosdam verborum, periodorumq; reijciet, arripietq; media, quæ Auditorum salutem promouere queant; placidoq; animo semper erit, siue multos, siue nullos etiam habeat Auditores: Qui certè nunquam deerunt, si talentum ad id à Deo acceptum adiumentis ipsi gratis Deo perficere studuerit. 2. *Auaritiam*, siue pecuniæ amorem, auiditatemque. Vtinā multi ne in concionando habeant pro Causa *Finali*, non *Motiua* tantum, corrogare sibi pecuniam, & expendendam sæpe non in necessarios tantùm, verùm etiam superfluos, minusq; eorum statui consonos vsus. Qua ratione hi suadere audebunt, diuitiarum rerumq; terrenarum contemptum! cum sint illis adeo affixi; *Vt nō stent promissis* etiam alicubi concionandi, si copiosior pecunia alibi Concionantibus spondeatur; *conueniant* quoque de certa, nec leui, pecunia prĕter Victum; *pulpitaq;* omni opera, artibusque non congruis maximè Regularibus habere satagant, in quibus Cōcionatoris stipendiū est copiosius, eleemosinas pro alijs petitas, ac tributas sibi arrogēt &c. Causa potissima, propter quam Apostoli, alijq; Apostolici Concionatores numero paucissimi tam ingentem animabus fructum attulerint, fuit, quod in illis verum pecuniæ, diuitiarum, propriorumq; commodorū contemptum viderint. Nunc cum sint tot Cōcionatores, vt in prouerbium quoq; abierit, *Plures esse Concionatores, quam Auditores* & modicum re vera animæ ex illis audiendis reportent fructum (& vtinam persæpe etiam scandalum non reportent) id tribui primariò non potest, nisi auiditati pecuniæ &c. *S. Ignatius* Sanctissimæ ex instituto *Soc. Iesu Fund.* vt Sui Cōcionatores *maiori cum libertate, & proximorum ædificatione in diuino seruitio possent procedere,* præcepit, vt nulla *prorsus eleemosina* (nedum stipendium) *admitteretur* à Superioribus Societatis, qua Prædicationes viderentur *compensari*: Declarauit autem *Reuerendiss.* P. *Claud.*

(habetur *in lib. Ordin. Gener. c.* 1 *n* 14) etiam nomine eleemosinæ quicquam non posse recipi, quod intuitu Concionum mittitur, siue à Prælatis, siue à Ciuitatibus, siue ab alijs: & illius quidem legis dispensationem etiam ipsimet Generali vetuit Congr. 5. dec. 39. Vtinam *multitudo* alēdorum in Collegijs, ac Domibus illius tam salubris legis violationem non admittat, illiusq; nō obseruantiam sibi non faciant ex natura rei sibi licitam multi etiam Superiores. 3. *Gulam*; quo vitio, homine ingenuo equidem indignissimo, laborare queunt multi Concionatores, *Qui* lautitias quasdam in victu quærunt, quibus merito alij offendūtur; pretiosa *vina*, pretiosasq; *Carnes*, pretiososq; *Pisces* volunt sib emi, parari &c. nec volunt in hoc vllis *parci* sumptibus, *conqueruntur* si minùs illa habeant, se *cessaturos* à cōcione asserunt, nisi e locis etiam remotis deferantur; *ipsoque etiam Quadragesimæ tempore* Pœnitentię, quam ipsi enunciant Auditoribus, dicato, nō solùm Carnes persępè comedunt, verum *exquisitiores* volunt, quæ vndiq; conquiruntur cum *multo ciuium scandalo &c.* Duos, aut tres volunt vltrò sibi in *mensa* adesse; multiplicis generis *dulciaria*, ne dum *vina*, & *aromata* in cubiculo qualibet esse hora volunt, quæ aduentantibus etiam offerunt &c. Et in aliquo quidem Religioso cętu in Prouerbium abijt *Ingluuies Concionatorum*. Huic vitio alia non possunt non esse annexa, quæ hìc haud sunt enumeranda. Notissima hæc esse multis queunt. 4. *Non habere Virtutis Opinionem*, quam facilè amittunt, *quando* frequenter cum sæcularibus, nominatimque mulieribus colloquuntur, *sæpissimè* extra Domum concedunt, *quasdam relaxationes* nō solùm minùs honestas, verum etiam illorum statui minus consonas complectuntur, *immoderatos* quosdam animi motus præferunt, & *pauperibus Euangelizare* detrectāt *&c.* Sapienter *B Vmbertus* 5. *Ord. Fratr. Prædic.* Generalis Magister *in Lib. de Instrut. Offic. Ordin. c.* 4. §. 1. ait. *Prædicator* Communis habet Officium *Speculi*, quantum ad bonum exemplum, & habet Officium *Lucernæ Ardentis*, quantum ad prædicationis Verbum. Vnde necesse est, vt concordet in ipso *vita, & doctrina*, ne quod per *vnam manum ædificat*, per *aliam destruat*. Prætendat itaque Prædicator in *habitu* humilitatem, in *moribus* honestatem, *in Verbis* discretionem, *in Zelo animarum* charitatem, in *Cibo, & potu* sobrietatem, in *agendis* maturitatem. Totū illud Caput à Sancto Viro scriptū esset euoluendum attentè, qui initio §. 6. monet Concionatorem, vt prædicet *Breuiter, Feruenter, Vtiliter, Faciliter*, & *Decenter*; ac in fine §. 7. vult, vt Prædicator Concionaturus attendat circunstantias, quę continentur hoc versu, *Respice Quid, Cur, Vbi, Cui, Quomodo, Quando loquaris.* Ad hæc legi possunt, quæ ad suos scripsit P. Aquauiua *tum* anno 1581. 28. Iunij *tum* 1587. 28 Martij; *tum* 1590. 3. Maij; *tum* 1599. 14. Augusti, *tum* copiosissime 28. Maij 1613. *ac in lib. Instruct. Instr.* 2. *ac* 14.

Reuerentissimo Patri D. D.

ALOYSIO SQVADRONIO

CASINENSIS CONGREGATIONIS;
Illius nempe Prçclari Ordinis, qui inter suos numerat saltem
Cælites 52000. Pōtifices 30 ex ijs Sãctos 25. Cardinales 200.
Patriarchas 50. Archiepiscopos 1600. Episcopos 4600.
Imperatores 18. Imperatrices 25. Reges 46. Reginas 51.
Imperatorum, ac Regum Filios 146. Duces, ac Principes 243.
Cui Romana Ecclesia plurimum debet,
Cùm ob Ordines alios Regulares 6. ac 6. Militares,
Tum ob Hispanias, Trigintaq; tria alia Regna
Partim ad Christianã, Partim ad Catholicã Religionẽ euocata;
Cuique Primam Euangelij Lucem ascribunt
Occidentales, & Orientales Indiæ;
Quem vt Fundatorem, ac Magistrum agnoscunt
Academia Romana Vetustissima, Parisiensis,
Ticinensis, Cantabrigiensis, Oxoniensis;
E cuius Monasterijs, velut ex Vnica Sapientiæ Arce,
Plurium Sæculorum spatio innumeri prodierunt Viri
Omnigena instructi Sapientia,
PRÆSIDI GENERALI;
Atque Abbati Monasterij Sancti Nicolai de Littore;
Viro ob Monasticam Disciplinam, Oeconomicam Prudentiam,
Scientiarum Peritiam, In Sapientes Studium
Ad Ampliores iure optimo euehendo Dignitates:
Animaduersiones Quinquaginta
PRO POESIS STVDIOSO
Quam plures e Scriptoribus 15700. S. Benedicti Alumnis
Sanctissimi, ac Doctissimi Vltro sunt prosecuti
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
Comes Placentinus
Illius, Vniuersiq; Ordinis Benedictini Venerator
D. D. D.

Caput Decimum.

1 CVltu *singulari* prosequatur e veteris testamenti Sanctissimis Viris *S. Moysem, S. Iob, S. Isaiam &c.* ac præcipuè *S. Dauid*, cuius Poesis in Psalmis expositæ qualis sit *ornatus*, qualis sit *suauitas*, & ante cætera qualis sit *vtilitas*, satis explicari nòn potest; Illius preconia inter cæteros Patres proferunt *S. Crysost. Hom. 6. de Pœnit. S. Ambros.* & *August. in Præfat.* ad Psal. Illam & Christus, & Apostoli laudarunt; Ecclesiæque vniuersalis, & Latinæ, & Grçcç ab Apostolorum ætate mos tenuit, vt eorum menti, ac ori, qui peculiariter Diuino addicti sunt seruitio, panis sit illa quotidianus. Verissimum quidem est, non omnes 150. Psalmos, qui in Psalterio enumerantur, esse Sancti Regis, ac Prophetæ Dauid. Inter Sãctos noui testamenti peculiarem deferat cultum *S. Gregorio Nazianzeno, Basilio, Cirillo, Isidoro, Nißeno &c.* e Grecis: e Latinis *S. Augustino, Hieronymo, Gregorio Magno, Ambrosio &c.* Pijssimorum Virorum, ac doctrina etiam celebrium, qui in omni ferme ętate florentes Poesis fuere studiosi Index proponitur in *Præfatione*, quam Nobilissimi *Collegiũ Romani Patres* pręposuerunt Carminibus *Vrb. 8.* in eodem *Collegij Romano* impressis, quæ tanti viuente eodem Pontifice fecerunt, vt loco Principis Poetæ ex antiquioribus in Rhetoricę classe illa (mirantibus multis) Romę pręlegi iusserint Societatis Moderatores, cui statuam quoq; in eodem statuerunt Collegio: Quę tamen mortuo Pontifice sublata illico &c. 2. *Diuinam* Legem custodire omni opera satagat ad Diuinum numen sibi maximè conciliandum; cum enim celeberrimi Poetę, nonnisi *Diuino afflati* spiritu in carmina erumpere dicantur, *afflatus* verè *Diuinus* Diuina mandata magis diligentibus ęquiori iure deberi videtur. A quibusdam verò vitijs nominatim declinet, quę mentem ita perturbant, vt in pręcipuam saltem Poesis materiam obtutũ figere nequeat illis obstrictus; imò & ab illa reuocent, nobilissimamq; detineant potentiam in rerum homini etiam Moralem ducenti Vitam non congruarum meditatione, ijsque in Ciuilis, ne dum Christianę Reipublicę, perniciem exornandis, quę cum meretricio cultu in publicum prodeuntia plurimos ad flagitia rectę rationi etiam penitus dissona alliciunt, pertrahuntque. Meminerit, *Musas* inter *Virgines* fuisse repositas. Multorum quidem vitio factum, est, vt Artem istam pręclarissimam nedum multi minùs laudent; verum & illius dissuadeant studium: imò & *Poeta* nomen apud multos malè audiat; ac multi summas quasdam Dignitates non fuerint assecuti, licet illis essent dignissimi, eo quod Principes suo Honori satis consultum non censuissent, si eas conferrent in Viros, qui simpliciter Poetę appellabantur &c. & tamen pręterquam Poesis est *Deo gratissima*, nulli fermè Arti (si Theologia dematur) tot laudes, nec immerito, tributę sunt à Sapientibus, Prudenti-

dentibusq; Viris, quot Poesi. *Haud quidem publico consulerent bono*, qui quoddam Poetarum genus amplecterentur, celebrarent, ampla in eos beneficia conferrent, larga stipendia illis donarent &c. Iuuenes enim nominatim ad eorum mores imitandos, ad Carminum ab illis scriptorum lectionem frequentandam, discendamq; talis Poesis speciem allicerentur; *Nec mirum*, si vitia quædam passim in oppida, ac Ciuitates irrumperent, ijsdemq; Ciues communiter essent imbuti, quando ad ea inuehenda nulla videtur esse aptior Ars præ Poesi, maxime dum non, vt par esset, propria illius adhibentur præsidia. *Publici ergo amatores* boni nunquam *Poetas quosdam* commendent, nec illos in familiaritatem sibi adsciscant, quamuis ab illis fuerint laudati, vel se laudandos putent: Possunt quidem nonnulli Poetæ, vt sagaces, callidiq; Viri, consultò aliquorum, maximè Magnatum, laudes celebrare, vt horum auctoritati, ac patrocinio innixi virulenta suæ Poesis semina in Iuueniles maximè animos fundere facilius queant. 3. *Attendat*, si ars quæcumque, ac scientia peculiarem animi, corporisq; constitutionem, ac propensionem, vt quis in ea laudes obtineat, exigit; ante cæteras exigere id Poesim; *nasci* enim *Poetas* cõmune fert prouerbium; Quare hisce à natura destitutus adiumentis se in pangendis carminibus, licet multum desudet, haud multas assecuturum laudes vnquam pro certo habeat; adeoq; in aliud incumbat studium; potestq; ingentes sæpè Deo gratias agere de huiusmodi talento haud sibi concesso, quo forsan cõtra ipsius præscriptum vsus fuisset, & animas *non Deo*, sed *prauo Dæmoni* lucratus fuisset. *Humor melancolicus, adustus* tamen, & qui quandoque quasi *insanientes* reddere Poetas dicitur, eo quod viuacioribus quibusdã spiritibus, veluti œstro, perciti curis mortalibus dimissis quasdam rerum species sibi efformant, quarum intelligentia communem hominum conditionem longè superat, est celebrium Poetarum proprius. 4 *Animaduertat*, licet *mediocritatem* attigisse in cæteris artibus, ac scientijs sit commendabile; *id tamen* haud licere Poetis eorumdem testimonio Poetarum: & experientia quidem patet, cum multi fuerint Poetæ dicti, ac modò Poetarum numerus adeo sit amplificatus, vt nulla ferè Ars, nedum scientia, habeat tot sectatores, paucissimos tamen esse illos, qui in ore omnium versantur, & vix vnum; vel alterum in qualibet ætate numerari, cui Apollinea laurus debeatur. Hinc Nobilis maximè, ingenuusq; vir, si in infimo inter Poetas stare debeat loco, eo quod corporis complexione, haud ad superiorem occupandam sedem, sit habilis, vel alijs detentus curis nequeat Poesis vacare studio ea sedulitate, quæ par foret; carmina quædam scribens, multoq; minùs edens infra mediocres omninò esse detrectet. Potest quidem euenire faciliùs, vt quis Poeticæ Artis præcepta, & exactè teneat, cum ad hoc

non

non ea ingenij vis, ac solertia petatur, quàm ad praxim illa reuocet. Ideoq; pauci excusari queunt ex illis, qui politioribus literis operam dant, quo minùs illorum notitiam assequātur: Qui qui destituti sunt, haud vnquam de carminibus, quæ à celeberrimis Poetis conscripta sunt, ac ab iisdem publicata, iudicium ferant. 5. *Perpendat diligenter,* eos non verè, ac simpliciter perfectèq; esse Poetas, qui carmina quidem pandunt, at Poeticæ artis præcepta ignorant, vel Generalia, vel Specialia; multoq; minùs illos appellari posse Poetas, qui nostri more sæculi carmina passim fundunt, imprimuntque, in quibus præter manifesta, ac frequentia contra Artis leges errata, ne dum iudicij, verum & ingenij defectus apparet, cum conceptus, quos ipsi vocant, illis inserti, sint re ipsa futiles, non connexi, nihilq; vt plurimum arguti propriè continentes. *Nobilissima Typographorum ars* dehonestatur sæpè, tum à Poetis quibusdam, tum ab hisce inanium Carminum conditoribus; *fitq; sæpè*, vt horum impressioni cedere debeat locum vtilium, doctorumq; librorum impressio. 6. *Cum plures sint Poesis species*, & euenire facilè possit, vt quis sit aptus ad *Epopeiam*, vel *Epicam*, & non ad *Tragediam*, vel *Comediam*, & e contra; ac præterea cum *sint multiplicia Carminum genera*, vnus sit aptior ad quoddam, ad aliud verò minùs aptus, vel etiam ineptus; & Poesim, & Carmina peculiari prosequatur studio, ad quæ magis idoneus est, & in quibus, conficiendis maiorem quamdam facilitatem, iucunditatemq; percipit. *Hinc si quis* edere velit Carmina à se scripta, nolit omnia in quocumq; genere scripta euulgare, sed illa in quibus excelluit. Dedecori fuit nonnullis Epigrammata quędam euulgare, imminutusque fuit illis honos ex Elegiacis, vel Heroicis versibus reportatus &c. 7. *Norit*, aliqua generum Carmina scribere, haud quoldam decere, licet in se etiam honestissima forent. *Ætas* attendenda; attendendus *hominum status &c.* Humanissimus quidem cæteroqui Soc. Iesu 6. *Generalis* P. *Vitellescus* scripsit aliquando ad Suos, quando *simplicem probibitionem* haud satis fore deprehenderet, se *Italicorum Carminum scriptionem sub obedientiæ præcepto vetiturum*; & Reg. 13. Rect. Societ. in lib. studior. reposita hęc habet *Tragediarum, & Comediarum*, quas nonnisi *Latinas*, ac *Rarissimas* esse *Oportet*, argumentum sacrum sit, ac pium; neque quidquam interponatur, *quod non Latinum sit*, & decorum; nec *persona* vlla *muliebris*, vel *habitus introducatur*. Prudenter ille pręuiderat, vix fieri posse, vt *Sui* Italicorum carminum scriptioni se traderent, quin aliquos pertractarent libros e *quibus nunquam* (sunt eiusdem Generalis verba in *Liter. ad Vniuers. Soc.* 2. *Ianuar.* 1617. primò scriptis) *doctrinæ tantum accedet, quantum vt castimoniæ decedat in procliui est.* Et P. quidem *Euerardus* Socius *S. Ignatij*, ac quartus eiusdem *Soc. Generalis* (reponitur hæc *Ordinatio in lib. Ordin. Præp. General.*

n. 1. c. 2.

n. 1. c. 2.) iussit *Recentiores obscęnos, quocumq; idiomate scriptos* nemini concedi; Cuius obseruantiam etiam, atque etiam commendauit *P. Aquauiua* Quintus Generalis in fine literarū, quas scripsit anno 1601. die 11. Decembris ad *Superiores* pro *Recta Institutione Iuuenum Scholasticorum* (inter quos enimuerò numerantur Magistri etiam, qui studia non absoluerunt) e *Societate*. Et omnes quidem alij extra Societatem tenentur per se abstinere à lectione librorū quorumcumque, siue Italicorum, siue alio idiomate scriptorum, licet ex ea multum proficerēt in Poesi, dum certum esset periculum, vel experientia vt plurimum patuisset, hinc in peccata labi mortalia; à quorum tamen lectione non tenerētur per se abstinere, cum solum in grauissimas tentationes inducerētur, quibus ipsi licet difficillimè, non assensum præstarēt; & facilius quidem, experientia etiam teste, quandoq; Regulares homines, quam extra Claustra degentes, eos dum euoluunt libros, tentationibus obnoxij esse, illisq; assentire queunt. 8. *Sciat, haud Poesis fines* (sic aliqui vellent) intra *Res*, vt dicitur *Spirituales* coarctandos. A vera Poesi non abhorrent illa, quę legitima, ac laudabilia sunt ad Matrimonium Præludia, cum hæc non sint per se inhonesta, sicuti neque descriptiones, vel laudes *faciei*, quæ fit cum partium Simetria, colorumq; albi, & rubri maximè suauitate; *oculorum* in viridem declinantium colorem; *nasi* imitantis aquilinum &c. *Verum quidem est*, illos, qui hæc scribere tantùm norint, haud esse simpliciter Poetas; nec illos, qui in alijs excellunt Poesis partibus, dum in his detinentur, in maximè congrua Poesi materia versari. 9. *Ne miretur*, quod quędam Poesis species, adultera tamen, ac notha iam latè vagetur, & plurimorum vocibus, calamisq; insederit; nam vitia faciliùs adhæ-rescunt, facilioremq; reperiunt aditum, quam Virtutes. *Sic etiam ne miretur*, quod multi dicatur Poetæ præclaro illo indigni, aut minùs digni nomine: nam & pauci sunt Veri Theologi, Philosophi &c. Irrepsit vocum quarumdam abusus; nam quæ impositæ erant ad significandos illos, qui in aliqua vere arte, vel scientia excellerent, translatę sunt etiam ad denotandos nō tantùm eos qui vel leuissimam illarum habent cognitionem, verùm & eos qui Artium, scientiarumq; Principijs, Axiomatib. ac Præceptis perperā vtuntur, & contra illis præstitutum finem apertè peccant. *Sophistæ* etiam, Philosophi, & quandoq; egregij, dicuntur. Vitia quoq; Virtutum nomine colorantur; An non incautos decipiunt nonnulli, *spirituales* dicti: quibus si vel leuis iniuria inferatur; mille alias rependunt; si in minori se in pretio ab alijs haberi cognoscant, quælibet pro viribus incommoda his inferre conantur, siue in re familiari, siue in fama &c. hoc ipso prudentibus omninò suadentes, semet in spiritualium verè numero haud recensendos, licet spirituales impropriè, & abusiuè, siue per

analo-

analogiam quamdam imperfectam, si in aliquibus semet exerceant pijs operibus, dicantur. Æquiuoca valde est *Poeta* Vox instar aliarum. 10. *Sicuti perrari* sunt veri Theologi, Philosophi, alijq; Scientifici; multi autem, qui aliquem ex habitibus ad Scientias spectantibus imperfectis, minusue principalibus, vel qui ad Sciētias reductiuè, ac per accidens spectant, obtinent; Sic nouerit Paucissimos esse, qui Primarios Poesis habitus possideant, licet plurimi sint, qui secundarios, & aduentitios habitus obtineant: enitendum autem esse cuique, vt præcipuos, & à quibus simpliciter quis Poeta dicitur, acquirat. Licet autem videat ex Poetis, qui celebrantur, nonnullos, quædam carminibus illustrasse, putet sibi fas esse ex legitimis, ac pręcipuis huius Artis præceptis eos imitari: *Tum quia* hæ laudes possunt esse immeritæ; & possunt esse tributę à viris Poeticæ artis imperitis, aut leuiter peritis: *Tum quia* videndum, an Poetarum Principes communi suffragio, vt Homerus, ac Virgilius, & ante illos Hesiodus, Orpheus &c. idem præstiterint; at ad imitationem quidem optima quęque proponenda: *Tum quia* illi forsan, dum huiusmodi fuderunt carmina, à recto Poesis tramite deflexerunt, adeoque legitimi Poetę nomen haud sibi iure ex illis vindicant; *aut actus* exercuerunt ab habitibus secundarijs, aduentitijsque profectos; adeoq; imperfecti Poetæ nomen hinc inde solummodò sibi vindicare queunt. *Tum quia* cur in his illorum vestigijs insistat, & non in alijs? 11. *Sciat Materiam*, in qua primò versata est Poesis, fuisse *Laudes*, tum Dei veri, tum falsorum Deorum. *Præcepta* Moralia, *Legesq;* ipsas, & antiquissimos, celeberrimosq; Poetas in his primò operam collocasse suam: quos qui exceperunt, & summi inter Poetas habiti sunt, rectam in moribus institutionem sibi habuisse propositam, ex eorum Heroicis, Tragicisq; Carminibus maximè patet; & ex definitionibus quidem *Heroici Poematis, Tragediæ,* imò & *Comediæ,* quæ sunt pręcipuæ Poesis species, satis idem innotescit, licet aliqui contra hunc finem peccare potuerint. *Et certè* cum Poetica Ars inter Præcipuas semper habita fuerit, à Viris sanctissimis primò etiam culta, in rebus honestissimis fuerit versata &c. *Nec negari possit,* quin Ars aliqua potuerit inueniri, quæ in probis moribus audientium, siue legentium Institutionem sibi haberet propositam per ea media, quæ Poesis sunt propria: asserendum videtur, vel in *Vtilitatem,* non in *Delectationem*, vt sic prout abtrahit ab honesta, & inhonesta (illa autem *Delectatio,* siue *Voluptas Rationalis, quæ sita est in cognitione proportionis inter rem expressam ab hac Arte, eiusque Idolum,* quicquid dicant nonnulli recentiores, videtur esse finis illius remotus, & quasi per accidens, similisq; finis posset multis alijs Artibus, ac scientijs accomodari contra commune omnium placitum) collimare veram Poesim, ita vt Delectatio sit

medium, ac præcipuum Poesis instrumentum ad finem suum, aut certè *eius finem adæquatum* constitui ex *vtroque*, ita vt nec *Vtilitas à Delectatione*, nec *Delectatio ab Vtilitate* sit seiuncta; adeoque dici sapienter, *Poetæ* proprium esse, *Miscere* Vtile *Dulci*. Et licet possit dari habitus etiam, qui in Delectationem tantum tendat abstrahentem à Rationali, & Irationali, adhibeatq; multa ex illis medijs, quæ sunt Poesis propria; vel istum non esse veræ Poesis, sed qui *per accidens*, & *abusiuè* ad illam reuocatur, sicuti ad *entia Realia* reuocantur *Priuationes*, *Negationes*, imò & *Entia rationis*; vel esse *habitum spurium*, vt Sophisticæ Artis vtentis habitus; vel certè haud *esse præcipuum* in hac Arte. Quidni ergo *primarium* maximè nobilium Virorum studium sit in *primario* saltē Poesis habitu acquirēdo, illiusq; exercendis actibus? 12. *Haud sibi vllus* existimet liberum esse ab exemplis, multoq; minus præceptis (hæc illis præferenda semper) ab antiquioribus, & qui Poeticæ Artis præcepta tradiderunt ab omnibus approbata sapientibus, recedere in *Epica*, vel *Tragedia*, vel *Comedia &c.* secus enim nihil firmi haberet hęc pręstantissima Ars: Quare si recentiores Comediæ v.g. haud conformentur præceptis, quę communi sapientum suffragio fuerunt illis iam præscriptę, non tali nomine simpliciter dignæ sunt, aut non nisi æquiuocè tales sunt. 13. *Maximo habeat in pretio Aristotelis* Poeticam, eam sępiùs euoluat; ex nullo libro maiorem reportabit vtilitatem, *tum* ad Poesim exercendam, *tum* ad iudicium de aliorum Poesi ferendum. Ad illius intelligentiam *Græcæ linguæ* sit valde peritus; cuius si expers sit, Interpretes perlegat, qui magis sinceram, magisque Aristotelis menti consonam interpretationem prębuerunt. Illius autem non paucos textus à nonnullis etiam illustribus cæteroqui Commentatoribus fuisse corruptos, vel non integrè, & ad vnguem redditos norit, qui postea ab alijs emendati &c. Post Aristotelem Horatius *de Arte Poetica* pręlegendus, cum nobilibus etiam illius interpretibus; & cum Aristotele, cui multa addidit, conferendus. Non integrè tamen Aristotelis Poeticam ad nos peruenisse fertur. 14. *Cum Poeticæ Artis Principes non inter* se cōsentiunt in præceptis, *vel* non satis constat ex Interpretibus Aristotelis, quænam sit illius mens, *aut* probabilior Græci textus expositio, *vel* quoque an sit probabilius, quod textus Gręcus sincerus ita se habeat; *nec ratio* suadet, aliquod pręceptū esse seruandum; tunc liberum erit, vtramlibet amplecti partem: Imò dum probabile solum fuerit, hanc esse Aristotelis mentem &c. Licet probabilius foret, aliam esse; non videtur condemnandus, qui illi se conformet, quamuis per se laudabilius faciet, qui probabiliori illius menti se conformauerit. 15. *Ne vllus putet* sibi vetitum, quin alias Poesis species excogitare possit præter ab antiquis propositas. Vnde enim hęc lex? Suis non debent

priuari

priuari laudibus, Qui *Tragicomedias* in Theatrum inuexerunt multorum cum plausu, quarum finis est *Mæstus* simul, ac *Lætus*, & quarum Actores sunt duo diuersa personarum genera, *Præstantiorum* scilicet, ac *Humiliorũ*; & Qui ita *Ridiculis seria* miscuerunt, sicut *Alexãder Tassonius* in Poemate, quod inscribit *Secchia &c.* vt secerni non possit, quænam ex his præstent &c. *Animaduertat autem*, aliud esse efformare Poesim aliquam *Contra*, aliud *Præter* Antiquorum Præcepta; Illud non licet, istud & cum laude licet, sicuti & aliqua addere ad finem Poesis, singularumq; illius specierum faciliùs, gratiusq; obtinendum &c. Et summis quidem laudibus inter illustres æui nostri Poetas dignissimus est *Michael Angelus Torcilianus* Nobili Genere in Nobilissima Lucensi Ciuitate Ortus, qui paucis ab hinc annis *Epinicia* primò inuexisse in Poesim videtur laudatissimam quidem Poesis speciem. 16. *Valde* etiam commendabile putet Poesis species quasdam, quæ quarumdam nationum, siue Linguarum videntur esse propriæ, Carminibus alterius linguę imitari; Quod nominatim præstiterũt *Vrb.8.* sapientissimus Põtifex in *Pindaricis Odis*, *Io: Baptista Marinus ex Theocrito in Idilijs*, ac in *Pæanis*, vnaq; *Anacreontico Carmine* idẽ *Torcilianus*, quem multis multi efferunt, vt videre est in *Epist.* pręfixa libro, cui titulus, *Vezzi d'Erato* Venetijs impresso 1649. scripto à *Leonardo Quirino Veneto* Viro tum ob Patriciam Nobilitatem, tum ob alias dotes satis conspicuo. Satis sit *Torcilianum* Carminibus celebratum fuisse ab ipsomet *Odoardo Farnesio* Serenissimo *Placentiæ, ac Parmæ* Duce Quinto, sapienti cuiusque meritorum æstimatore. 17. *Antiquiores, & Selectiores* in vnaquaq; Poesis specie euoluat, quibus quo quis perfectius semet conformauerit, eò præclarior euadet Poeta. Sciat tamen nonnulla in ipsomet etiam *Virgilio* minùs laudari, nec immeritò. Non in eo tamen pretio habeat antiquiores, vt *Recentiores* spernat, quorum laboribus, ac ingenio multum enimuero Poesis debet. 18. *Eo quod* reperiat in aliquibus ex antiquioribus nonnulla ad Philosophiam Naturalem, Mathematicas Disciplinas, Medicinam &c. spectantia, existimet eos præcelluisse in Philosophia, Mathematica &c. vel dum quasdam voces attulerunt, attendisse ad nonnulla, quę aliqui Interpretes illis tribuunt nimis in eos propensi; hic enim sensus haberi posset de alijs, ac etiam de Recentioribus multis, quos tamen in Scientijs non valde peritos fuisse scimus, nec vlla ratione mentis obtutum in nonnulla fixisse, dum quasdam periodos, vel voces, vel earum nexus scripserunt, exploratissimum habemus, licet quis facilè fingere possit illa peculiariter fuisse ab illis obseruata. 19. *Indicem habeat* Præstantiorum Poetarum, qui in omni ætate ante, & post Christum natum floruerunt, cum anno in quo vixerunt &c. Peculiariter nouerit gesta ab illis Poetis, qui Principes inter cæteros habiti

sunt in quacumq; Poesis specie, & quinam illis *successerint* commendatissimi: simulq; animaduertat, *Quanam*, vel *Quosnam* aliquis ex illustribus Poetis imitatus fuerit, & *Quanam ratione*; *Quid* addiderint subsequentes antecedentibus; *An quod noui* excogitatum fuit, à cæteris fuerit approbatum &c. Ad multorum cognitionem conduceret valde, omnium saltem celebrium Vitam, Moresque, ac Fortunas notas habere. Si Index hic exacte fuerit Scriptus, cognoscetur an *Historici*, an verò *Poeta* priori extiterint tempore; nam ex Oratorum ipsorum testimonio satis constat, *Oratoriam Facultatem* post *Poeticam* in lucem prodijsse. 20. *Figuras tum verburum*, *tum* sententiarum maximè Poetarum proprias, & quæ illis cum laude permittuntur, perspectas pro viribus habeat; ac simul norit, *quanam* huic Carminum generi, *quanam* huic Poesis speciei, *quanam* Versibus hoc idiomate scriptis &c. idoneæ, vel magis idoneæ sint. Plurimas ex his recenset *Io: Rauisius* Textor lib. 3. 4. & 5. Sed longè plures, nam ferme tercentas, enumerat *Petrus Franciscus Giambullarius* Florentinus in libro, qui inscribitur, *Della lingua che si parla e scriue in Firenze lib. 6. 7. & 8.* Ex his licet nonnullæ sint Oratoribus, ac Historicis *communes*, plerçque tamen à Poetis solum laudabiliter vsurpantur. Negari tamen non potest, quin multæ saltem videantur additę tantum, eò quod talis verborum, sententiarumq; structura apparuerit, quæ cum cæteroqui minùs laudabilis videretur, illius studiosi Poetæ consulto figuratè illum fuisse locutum dixerunt, nouasq; inuexere figuras. Has certè si quis tenuerit, non facilè damnabit celebres Poetas, tum Antiquiores, tum Recentiores; imò non solùm facile excusabit, verum etiam in quo accusantur à nonnullis laudis potiùs materiam reperiet: In quo tamen caueat, ne e nimio erga quemcumque Poetam studio afficiatur; nam nullus est, qui vndequaq; perfectus omninò sit. 21. *Cum quilibet celebris Poeta* habeat in quo alijs præcellat, etiamsi in eadem Poesis specie versetur; vnus enim in *inuentione* pręcellit, alius in *dispositione*, hic in *versuum maiestate*, ille *in Claritate*, iste in *Figurarum varietate &c.* habeatq; simul aliquod peculiare vitium, siue minorem virtutem in qua minus alteri præstat, illud à se remouere, illud in se exprimere conetur. 22. *Non facilem habeat Fidem* illis, qui damnant celebres Poetas etiam recentiores, ac nominatim illos, qui Heroicum Poema, Tragicamq; Actionem ediderint; cum enim pauci ex illis, qui iudicio pollent hasce Poesis pręcipuas specis scribant, & qui benè illas scribunt, plurimas ac merito laudes consequantur, facilè multorum etiam non infimæ omninò notæ Poetarum inuidiam in se excitant, qui ad subtrahendam illis gloriæ partem conantur ostendere illos peccasse contra leges *Epopeiæ, Tragediæ &c.* quasdam Voces; quasdam periodos minùs apte dispositas obseruant &c. Apologias

gias, quas talium Poesum auctores, vel alij eorum patrocinium (ad quod aliqui ex Caritate in Auctorem, quem immeritò vituperari videt, vel ad retundendam aliquorum petulantiam teneri queunt) suscipientes ediderunt, perlegat; nec nisi discussa satis causa iudicium ferat; ab eoq; se abstineat, si minùs sit peritus. *Caueat* quidem, ne *muscarum* instar (quas equidem multi imitantur) in fœtida, & graueolentia nonnulla, quę paucissima quandoq; sunt in celebri meritò Poeta, feratur, gratissimis, suauibusque dimissis. 23. *Ne Ætatem*, licet *senilem*, ineptam pangendis Carminibus putet. Argumento sit ex antiquioribus *Sophocles*, qui ad summam senectutem tragædias fecit; & cum propter studium rem familiarem negligere videretur, à filijs in iudicium vocatus fuisset, vt illum quasi desipientem à re familiari remouerent Iudices, *Senex* fabulam, quam in manibus habebat, & proximè scripserat *Oedipum Coloneum* recitasset Iudicibus, quæsissetq; (habet hæc *Cicero in lib. de Senect.* qui inscribitur *Cato Maior*) num illud Carmen desipientis videretur, sententijs iudicum est liberatus: Ac e recentioribus nostra ætate adhuc mortalem vitam (immortalem ob pijssimos, candidissimos, humanissimosq; mores consecuturus) *Patauij* viuens Perillustris, ac Reuerendissimus D. *Toldus Constantinus*, qui sexaginta longè prætergressus annos scripsit, ediditq; Sacrum Poema, cui titulus, *Il Giudicio Estremo* Dantem imitatus, ac septuagenario maior *Sex Cantus*, qui duodecim Cantibus, quos iam vulgarat, anno 1642. ad Poematis integritatem deerant, scripsit, typisq; commendauit anno 1648. vnà cum *Annotationibus* ad 1. 2. ac 3. e Cantibus, modoq; etiam in alios similes meditatur; In eo autem Poemate non *multiplicis* tantummodo *eruditionis*, verum etiam *acris ingenij iudicijq*, manifesta periti deprehendunt argumenta. *Huic* addi potest Perillustris, Admodumq; Reuerendus D.D. *Petrus Quatrocchius* Pataui j quoque degens, qui vir Eximię pietatis, ac peritię in Morali Theologia septuagenariæ proximus ætati idemtidem *Anagrammata*, *Carminaq*, condit Romano digna Theatro. Nec negari potest, quin sicuti quædam imperfectæ Poesis species Iuuenilem, ac mediam ętatem per se postulare videntur; sic perfectæ, & in quibus non iudicij saltem minus, quam ingenij exigitur, à Viro iam maturam consecuto ætatem per se sint conscribendæ. *Imò addi potest*, non cuiq; ętati par esse, vt cuilibet Poesi operam det, multoq; minus, vt stylum in quacumq; exerceat, vel quamcumq; euulget. 24. *Sicuti obscæna quædam* scribere, ac euulgare esse indignum Poeta plane, nedum Christianam, verum & Moralem ducente vitam (quia in hoc contra Artem quoq; ipsam peccat) quisque prudens existimabit; ita non sentiet, Christianum Poetam vitari, quo minus indifferentia quędam ad licitum, ac illicitum viuum vincta oratione publicet; secus

enim

enim non essent laudabiles libri multi Philosophici, Medici, imò & Theologici &c. Si autem arbitretur prorsus, plerosq; e tali materia Carminibus depicta peccandi occasionem certò arrepturos, ex caritate saltem tenebitur illa non publicare, nisi vrgeatur ab aliqua necessitate, ac non leui, quæ sapientum iudicio præponderet scandalo, quod pleriq; hinc paterentur, cui obuiare difficillimum, siue moraliter impossibile foret. 25. *Intelligat*, tunc se minores in Poesi laudes iure merito consequi à cordatis Viris, cum nonnulla, ad quæ naturales Potentiæ irrationales, ac sensitiuæ aliquam, siue insitam habent propensionem, Carminibus describit. *In arduo Poesis*, cum *virtus sit*, (*Apollo* quidem cum *Musis* in monte considere dicitur) *magis elaborat.* 26 *Ne sit instar illorum*, qui passim Carmina fundunt, scribunt, edunt, & *Versificatores* appellari queunt: verum, licet quando Poetico, vt dicitur, furore quis est percitus, Carminum Scriptioni laxandę sint habenæ (nam inuitis Musis *Caballinę aquæ* nunquam sunt prægustandæ) diligenter tamē postea scriptio diligentissimè recognoscenda, & in annum quandoq; premenda. Infimæ notæ vegetantia quędam, ac animalcula breuissimo prodeunt tempore; verum breuissimo quoq; tempore intereunt. Vix typorum lucem aspiciunt subiti quidam Poetici fœtus, cum sepulchrali obliuionis lapide teguntur, ex quo sæpè nonnisi ad irrisionem extrahuntur. Virgilius, alijque insigniores Poetę plures annos in suis conscribendis Poesibus impenderunt; imò aliqui de nimia quandoq; diligentia reprehensi sunt. Perpolendi quidem Poeticæ Artis Præceptis forent, qui non ex Arte carmina fundunt non omninò contemnenda. 27. *Quamuis dissensio sit celebris*, an Poesis necessariò Carmen requirat, illudq; ita, vt ad Artem aliam non spectet; cum tamen saltem negari non possit, quin Carmen præcipuum sit Poesis instrumentum; & quamuis *Historia* v.g. possit re ipsa Carmine describi, attamen minus commendabilis sit, ac veluti monstrum habenda: Carmini pangendo peculiarem operam det, variaq; Carminum genera habeat notissima, quorum pleraq; recensentur in fine libri de *Arte Poetica* editi a *P. Alexandro Donato* e Soc. Iesu iam defuncto olim Pręceptore meo Humanissimo, ac eruditissimo. 28. *Iuuat quam* maximè materiam eamdem vario describere carmine, eamq; modo longiori, modo breuiori Carminum ambitu circumscribere, modò his, modò illis illustrare Poeticis frasibus, figuris &c. Ac ex istis præclarioribus. Et initio quidem expedit longiorem amplecti, ita tamen vt non quæcumque se offerunt voces, earumq; vocum connexiones, harmoniæ &c statim sine vlla prorsus meditatione arripiantur, maximè à minùs versato in celebriū lectione Poetarum. Magis quidem postea *breuis, pura, ornata &c.* minus impetu illo scribēdi efferuescente reddi poterit oratio. 29. *Antequam*

tequam quis Poesim scribat, conducit antea Poetam illustrem, ac in ea nominatim Poesis specie, ac in eodem Carminum genere, in quo ipse scripturus sit, euoluere diligenter: Iterúq; vbi quis scriptionem perfecit, eumdem, vel alium pariter euoluere, Scriptionemq; suam cum illo comparare, emendare, illustrare, ornare &c. quæ emendatione, maiori luce, ornatuq; digna censuerit ex collatione, animaduersione peculiari &c. 30. *Ita sublime*, & grandiloquum dicendi genus varijs refertum allegorijs, metaphoris, figurisq; præcipuis, audacibusque in Dythirãbica, Epica, ac Tragica Poesi nominatim amplectatur, vt non obscura reddatur illius oratio; ideoque non passim illa vsurpanda. Ea laudabilior vincta oratio, quæ sublimis, decenterq; ornata simul perspicua est, in quo mirificè, ac meritò laudatur Virgilius. *Meminerit autem*, in eadem Poesi adhibendam orationem sublimem, mediam, ac infimam pro personarum, rerumq; varietate, vt videre est peculiariter in *Homeri Iliade* ex primentis orationem *Menelai, Nestoris*, ac *Vlissis*; imò eidem accomodandam quoque versuum harmoniam, ac desinentiam. 31. *Græcæ studio* linguæ se tradat: ab illis plurima, ac selectiora Latini acceperunt Poetæ. Quot Virgilius ab Homero, Oratius à Pindaro &c. Discet hinc, *qualiter* imitandi Poetæ, *qua ratione* exemplar prototypo reddi possit perfectius &c. Multa ex Poetis quoq; Græcis donare poterit linguę Latinę, vel Italicę &c. adhuc non translata, vt præstitit cum multorum commendatione idem qui supra *Torcilianus* circa lyricum *Poetam Anacreontem*; aut nouas etiam Poesis species inuehere apud Latinos, Italos &c. 32. *Licet Poeta insignis* notitiam, nec leuem habere debeat multorum quæ spectant ad Philosophiam Naturalem, & pręcipuè, quę ad Meteora & ad Cęlum, & ad Mathematicas disciplinas, ac pręsertim *Cosmographiam, Geographiam &c.* aliasq; artes etiã quandoq; infimas: quę tamen ad Moralem Philosophiam (inter cuius species à nonnullis reponitur Poesis) attinent, ante cęteras Disciplinas habeat perspecta, maximè cum ponatur illius finis, *Humanum in rectis moribus instituere genus*, instar Moralis, licet per hęc determinata media; in quo iam Poesis à Morali vt sic distinguitur &c. Et rectè quidẽ viuendi præcepta sub fabulis Poetarum pręcipuis recondita esse nemo non peritus norit. *Legatur Natalis Comitis Mythiologia*. Prima etiã Philosophantium secta à multis numeratur *Poetica*; & Antiquissimos quidem, celeberrimosq; Poetas tum *Naturali*, tum *Morali* Philosophia instructissimos fuisse satis liquet. 33. *Quædam illustrare Carminibus omittat* Poeta; vt sunt Theologica quędam, nisi in Theologia sit valde peritus; facilè enim errare poterit agens de *Mysterio S. Trinitatis, Incarnationis, Eucharistię &c.* Nec etiam in Theologia pręstans sępè habere poterit ex Poesi idoneas ad multa explicanda Theologica voces.

Si necessitas aliqua, aut laudis cupiditas ad aliquid verè Theologicum Carminibus explicandum vrgeat, non ante in publicam proferat lucem, quam scriptio illa recognita fuerit ab aliquo pręcellenti Theologo Poesis etiam perito. *Cantica* quoque *Canticorum* haud videntur Carminibus etiam Latinis, nedum Italicis, ac Vulgaribus declaranda; *tum quia* purissimi illi affectus, ac verè Diuini minùs puris humanisq; affectibus non videntur exprimendi; *tum quia* facilè multi scandalum hinc paterentur &c. Multa quidem e *Sacris* literis, ac nominatim e *Dauidica Poesi* Italicę etiam donare lingue laudabile erit, maximè si quis insistat vestigijs circa *Septem Pænitentiales Psalmos* Illustrissimi, atq; Excellentissimi *Ioannis Francisci Lauredani* Nobilissimi Patricij Veneti, qui inter domesticas, publicasque Curas, quasi sibi vacaret soli, eos ingenij, iudicij, ac pietatis fructus protulit, vt maiorem e *Libris* nonnullis (hi quatuor comprehensi voluminibus sunt iam sæpè editi, pręter aliud, cui alienum suppôsitum nomen) quam e *Libris* laudem sit reportaturus in æuum; cum iam quoque de ipso *octoginta, & amplius* Scriptores cum laude meminerint. 33. *Ne voces quasdam, sensusq;* S. Scripturæ proprios *humanis* quibusdam, ac præcipuè *amatorijs* accommodet. Id Christianum Poetam haud decet. Sic etiam quædam Gentilium Deorum inuocationes, & commemorationes, cum possunt æquè inuocari Cęlites, qui à Christianis admittuntur, aut commemorari &c. videntur omittendę, vel saltem non frequentandę. 34. *Cum Poesis* ab ipsis Poetis dicatur primo inuenta ad Dei laudes celebrandas; Quidni Poeta ingenij vires exerat in illis celebrandis? Quot Diuinæ *Actiones ad extra* Carminibus illustrari queunt? Et tamen pleriq; Poetarum in leuibus quibusdam, & quæ vix ad Poesim legitimã spectant, & quandoq; illi repugnant, carminibus exponendis insudant, relictis illis, quę sunt maximè Artis nobilissimę propria. 35. *Sicuti Panegiricos texere hominum quoq;* cum laude non vulgari viuentium Poetarum munus est; ita a *Musarum Simplicitate*, & *Candore* alienum putet quosdam celebrare, qui simpliciter inter improbos, siue illos, quorum actiones minùs commendabiles sunt, connumerantur. Ne vnquam ingenua Poetarum conditio inhonesto *Adulatorum* nomine cohonestetur, maximè cum soleant multi existimare sibi verè laudes illas inesse, quas ab adulatoribus sibi tribui norint; indeq; haud impia etiam facinora omittunt patrare, eo quod immortales futuræ sint suæ laudes in horum libris. Nec ad hoc vllo præmiorũ genere liberalis Poetę animus se allici à quocumq; permittat. A sapienti Magnate huiusmodi essent repellendi Poetę. O quam multi Christianæ Reipublicæ consulerent magis in Dauidicæ Poesis Meditatione, quam in nonnullorum Panegiricis contexendis. 36. *Res pias*, & maximè in *Ecclesijs*, vel ab *Ecclesiasticis* occi-

occinendas, puro, perspicuo, honesteq; ornato prosequatur stylo. Animos quidem Deo, ac Diuinis rebus attentos auocabit aliò, ac distrahet Ecclesiastica Poesis, si omninò impura, incultaque, & obscura sit; Expedit autem, vt minùs culta sit, si magis nos Diuinis attentos rebus reddat. Hinc ab Ecclesia fuerunt diù approbatæ Poeses quædam minus Poeticis quibusdam legibus conformes: Si & Poeticę leges, & attentio ad Diuina accommodari commodè queunt in Ecclesiastica Poesi, laudabile id erit. *Simplex* quidam cultus commendabilis. *Inornatus* quidam esse potest illius ornatus &c. Illud quidem maximè caueat, ne dum *Diuina, vel Res pias* describit, admisceat quædam prophanarum rerum, personarumq; maximè propria, & quorum memoria magis ad inhonestos, quam honestos affectus, moresq; alliciant. *Reprehenduntur*, ac meritò Pictores (quibus ante cæteros artifices assimilantur Poetæ) qui quarumdam *Sanctarum* maximè Imagines efformant ad *Luxuriam* potiùs, quam ad *Castitatem* aspicientium oculos prouocantes, & cum *quodam vestium genere* minùs honestissimis Virginibus congruo. Ingratissimum id non potest non esse huiusmodi Sanctis. 37. *Caueat, ne dum in Fabulis, Cõmentisq; Poetarum*, maximè antiquiorum nonnullorum, perlegendis assiduus sit, in errores aliquos contra Catholicę Fidei Dogmata incidat, ac illos præcipuè, quæ ad Dei veri attributa spectant, Fortunæ, Fato fauent &c. ac licet vocum nonnullarum vsus sibi permittatur, earum tamen significationem aliam esse norit apud Christianos, Catholicosque, qui aliter sentire debent, ac senserint Ethnici. 38. *Licet Satyrica* Poesis re ipsa inuenta sit laudabiliter ad aliquorum, contra quos haud leges possunt, coarguendos; cum tamen hoc nomen iam à plurimis vsurpetur pro poesi aliorum famæ detrahenti, quæ instar famosorum libellorum se habeat, ab ista abstineat; non solùm quia peccare poterit & contra Iustitiam cum retractationis etiam obligatione, nec nõ subire; poterit quoque varia pericula exilij, carceris, mortis &c. verùm etiam quia Poesim hanc conscribens inter *Spurios*, vel certè haud *ingenuos, nobilesque Poetas* erit numerandus. Commendatione quidem, & non leui, poterit esse dignus, si inuehat carminibus contra Vitia, haud designatis illis, qui imbuti sint illis, nisi sint publica, expediatq; publico bono, instar Historicorum, ea in Apollinis Templo (ita loqui modò sit fas) immortalitati consecrare. 39. *Declinet peculiariter* dissensiones cum alis Poetis in Voluntate sitas, nam quæ sitæ sunt in intellectu (cum hinc Poetica Ars magis amplificetur, Poeticorumq; Præceptorum Veritas magis elucidetur) per se sunt laudabiles; adeoq; nunquam Carmine iniurijs, & Scommatibus, calumnijsq; referto contra alios Poetas inuehat. Huiusmodi *Ira* haud sunt illi *Poetici Furores*, qui in ipsis commendantur.

In *Musis modestia* nominatim laudata fuit. Tueatur quidem famam suam, sed vt par est inter Musas educato. Præcipuum Poetæ ab alio iniuria affecto Præsidium sit *Fama Bona* collecta ex probis moribus, eiusq; laudabili apud Prudentes, peritosq; Viros Poesi. 40. *Decorum* maximè *obseruet*, tum respectu personarum, quas loquentes, vel quid gerentes carminibus effingit, tum respectu materiæ, de qua scribit &c. Defectus in Decoro (non minus, ac in *Fabula, Actionisq;* vnitate) iudicij defectum necessario in Poeta arguit; & cum non facile sit reperire hominem, in quo Ingenium, Iudiciumq; præcellant, nesciaturq; secerni, quodnam in illo præstet; hinc commendatissimi sunt Poetę, qui præcipuas Poesis species in publicam lucem cum laude protulerunt. 41. *Cum amplissima sit Poesis materia*, vnaq; sit alia præstantior (nam quædam minùs illi consona saltem, si non dissona penitus) e tot materijs, siue sacris, siue prophanis præstantissimis aliqua seligatur carminibus illustranda; ostendaturq; re ipsa nostra ætate etiam, ne dū in superioribus sæculis, posse laudes obtineri Summas, etiamsi amatoria quædam non tractentur; ac male de Poetica Arte mereri nonnullos, qui ingenium suum ad sublimiorem natum Poesim Amatorijs circunscribunt finibus. 42. *Haud suadendum videtur* Poetæ, qui vitijs contaminatus est, nec ex illorum cæno velit emergere, ac amatoria versat assiduè, *vt res Sacras* Carminibus illustret; quia præterquam experientia patet, illas minùs aptè tractari, quam prophanas, obscænasque (cū tamen possent illæ præ his vberius, cultius, ac ingeniosius &c. tractari) vt pote res ab illius animo, ac mente remotas, minusq; illi gratas; non videtur par vt homo impurus res castissimas tractet &c. Nō sunt *Margarita ante porcos* proijciendæ. *Laudandi tamen* qui Iuuenes, cum Iuuenilem, vt dicitur, Poesim fuerint amplexi, Virilem amplectuntur, ea penitus dimissa maturam consecuti ætatem. Nulli tamen in illo, quod primò præstiterunt, imitandi, si Poesim exercuerint in materia Christianis, aut Ciuilibus non congrua moribus. 43. *Si velit perfectissimam conscribere Tragœdiam*, vel *Epicam*, illius materiam haud fingat, sed verus sit Heros, verus sit Tragicus Casus &c. secus enim propositum finem illis Poesibus perfectiori prę viribus modo non assequetur; nec vnquam deerunt Heroes, maximè apud Christianos, ac lamentabiles Magnatum Casus, etiam ętate nostra, si in historijs, siue sacris, siue prophanis versatus sit. *Nec instar aliquorum*, solummodo Ethinicos Viros, etiamsi aliqua in virtute excelluerint, carminibus illustret, quasi Christianis, Catholicisque prę̨stantes in omni virtutum genere desint; cum longè illis præstantiores, ac plures Christiana, Catholicaq; Religio numerare possit. *Sciat ad hæc*, nonnullos, eosq; in Poetica illustres Arte, censere *Christianum*, non *Ethnicum* debere esse *Heroem* nominatim,

natim, qui in *Epica* proponitur &c. 44. *A faciliori* tum *Poesi*, tum *Carminum genere* ordiatur, ac paulatim ad difficiliora progrediatur; & licet *Homerum* in Græca, *Virgilium* in Latina, *Tassum* in Italica Heroica, *Oratium* in Lyrica, *Tibulliũ*, ac *Propertium* in Elegiaca, *Martialem* in Epigrãmataria Poesi &c. æmulari debeat; nouerit tamen, se meritis non priuandum laudibus, si post eos primas occupauerit Ædes: *Si se* animaduertat pedestri, tenui, minus sonoro &c. laborare stylo, præ cęteris Poetas, qui turgido, audaci, pleno numerorum scripserunt, vt *Statius* inter alios, & qui Dythirambicæ Poesi fuere addicti idemtidem peculiari euoluat studio. Caueat verò, ne multum sibi plaudat de quibusdam Epigrammatibus, quibus multi afferunt respondere apud Italos *li Madrigali, o Sonetti*; illa enim Poesis est difficilior, quam aliqui putent. Plerumq; tamen *leues, futiles, vulgares, nimiæ, obscuræ, non ad rem, nõ connexæ, non inexpectatæ &c.* sunt *argutiæ*, quæ in illis, & maximè in vltimis reponuntur versibus. Solet tamen hinc ad prętantiores Poesis fieri aditus; sed sicuti negari non potest, quin qui in hac Poesi verè præcellit, magis etiam propitias in alijs præstantioribus Poesibus Musas aliquando experturus sit; sic etiam sępe contingere, vt in illa solum quis laudes obtineat. Ad literariæ autem Reipublicę commodum spectat, vt *in* qualibet etiam infima Poesis specie, *in* quolibet etiam ridiculo Carminum genere, *in* quocumque præsignato Poetico numero, multi præcellant. Dolendum est tamen, quod nonnulli in infimo subsistant, dum vnum e summis, vel summis proximum occupare possent. 45. *Eò quod homines quidam vulgares*, vel parum periti, licet nobilitate, vel auctoritate præstantes, sibi plausum facerent, haud se multi faciat Poeta, iudicetq; scriptores suas publica luce, ac nominatim typorum, esse dignas. A Peritis Poeticæ Artis, qui sint fideles, sinceriq; Viri (nomine *Peritorum* haud intelliguntur scioli nonnulli, qui carmina condunt, ac leuissimè sunt Poeticæ pręceptis imbuti, licet inter Peritos vulgo censeantur) iudicium ferat, tum laudum, tum suę Poesis, & iuxta eorundem sensum selecta solùm, dignaq; Apollinis approbatione, ac suffragio illorum, qui in Parnasso monte Iudices Poetarum, vt pote inter eos Principes, sunt delecti, typorum luci exponat. Id si pręstaretur, nobilis, ingenuaq; Typographica Ars plebeis, sordidisque non dehonestaretur Carminibus. *Non minorem* verò iudicij maximi laudem feret, qui solum optima in quocumque Poeta ad imitationem seliget, quam qui optima solùm e suis velit vulgari typis. 46. *Antiquos Principum Poetarum Interpretes*, & qui in eos Commentarios scripserunt, euoluat diligenter; plurima, ac præstantiora ab illis, qui nostra ętatę in illos scripserunt, accepisse deprehendet, quorum mentionem haud faciunt; & tamen antiqui Interpretes iacent, noui assiduè

euoluuntur, sed à parũ prudentibus, doctisq; ludi literarij Magistris, quorum ingens est numerus. Verum id commune est vitium circa *Ciceronis*, *Aristotelis*, S. *Thomæ*, *Scoti*, imò & *Sacræ Scripturæ* Interpretes. *Animaduertat* tamen, aliquos ex interpretibus damnare quandoq; Poetarum Principes peccati contra Grammaticæ Regulas, quasi Grammatici non potiùs Grammaticæ Regulas ab illis recipere debeant. Nonne inter Latinæ linguę Principes numerantur *Virgilius*, *Lucretius*, *Catullus*, *Tibullus*, *Propertius*, *Horatius &c.*? Multi quidem ex illis, qui Grammaticæ peritiam profitentur, *Syntaxim Figuratam*, non tantummodo Poetarum propriam, verum & *Communem* omnibus emendatè, ac Latinè loquentibus ignorant. 47. *Inter Poetas illustrissimos* comparationes vitet; Res plena est inuidiæ, liuorisque. Se plerumque habent, vt *Excedens*, ac *Excessum*. Vix vnquam satis controuersia statui poterit; nam vniuscuiusque studiosis nunquam deerunt rationes, nec improbabiles, propter quas hic alteri præferri possit, imò facile quis sibi suadebit in hoc alium alteri præstare dissentiente alterius fautore. Quis ergo Iudex æquus? Quod idem asseritur de comparatione inter se *Epopeiæ*, ac *Tragediæ*; similibusque Poesis speciebus. Non adhuc apud *Philosophos*, ac *Medicos* dirempta lis de Principatu *Cordis*, ac *Cerebri*; apud *Thomistas*, & *Scotistas* de Principatu *Intellectus*, ac *Voluntatis*: apud Politicos de Principatu *Monarchiæ*, *Aristocratiæ &c.* 48. *Licet Epithetorum*, siue *Adiunctorum* vsus frequentior debeat esse apud Poetas, quam apud Oratores, ac Historicos, illi enim ad ornatum quoque tantummodo, ac suauitatem adhibent; caueat tamen, ne nimis sint *frequentia*, ac *futilia*, parumque *apta &c.* *Sic* licet apud Poetas debeant *Descriptiones* esse frequentiores, quam apud Oratores, ac Historicos, illi enim solum necessitate, hi autem opportunitate etiam suadente illas adhibent; cum tamen Poetis concedantur etiam Delectationis causa; & ex maxima etiam parte fictæ; *Animaduertat tamen*, vt ea, quæ rei veritati addit, *verosimilem* reddat descriptionem, adeoque exactè norit materiam, quam describit, secus irrisioni peritorum se exponet; *ne nimis frequentes*, ac *longiores*, vel etiam *breuiores* sint pro merito, aut obscuræ sint; *inserantur que locis* haud opportunis. Celebrium apud celebres Poetas descriptionum Indicem habere erit vtilissimum, vnà cum similibus, quę apud Oratores, Historicosque illustres leguntur, easq; inter se comparare &c. 49. *Cum imitari maximè* soleant Poetę (quod sibi aliqui prę alijs Artificibus ingenuis, tanquam iure debitum, putare possent, eo quod *Poesis* dicatur *Imitatio*; quę tamen *Vox* Poesi essentialis, non hunc omninò habet sensum) haud *puerilem*, vel *iuuenilem* prosequatur imitationem, sed *virilem*, ac *maturam*; hoc est, ita aliena transferat in sua, vel ad sua, vt in meliorem (non peiorem,

nam

nam vituperabilis hęc immutatio foret) reuocata ſpeciem non amplius ex alieno deſumpta artificio videantur. *Ars imitatrix* laudanda ſimilis eſt Potentiæ naturali nutritiuæ reſpectu cibi. Hæc *furacitatis* ſpecies (ſi tale nomen inditur illi) haud crimen, ſed *Virtus* eſt: Cui accedit proximè, *Quæ quis* celebris Poeta incidenter, ac per tranſennam protulit, ſiue ſolummodo innuit, *Poetico amplificare artificio, exornare &c.* inſtar *formatricis* virtutis, quæ e paruo ſemine corpora etiam ingentia, ac pulcherima proginit &c. Æmuletur autem *ſtylum* (ſi tamen natura in illum maximè feratur) qui Principis cuiuſq; Poetæ in qualibet Poeſi proprius eſt habitus. 50. *Attendat* ſollicitè; Quodnam ſit *Veróſimile* Poeticum, *Hiſtoricum*, & *Oratorium*. Nam Veroſimili Poetico admiſceri poſſunt multa falſa, imò & mendacia; nec nomen Poetę honorificum amittet, eò quod mentiatur; imò & Oratoribus aliquando eadem proferre nonnulli permittunt; cum tamen mendacium prorſus à quocumq; veroſimili (ne dum à narratione Hiſtorica rei geſtæ &c.) quod in medium proferat Hiſtoricus, remotiſſimum planè eſſe debeat. Hinc Poeſim exercere omnibus planè conceſſum, ſicuti & fermè cunctis oratoriam profiteri facultatem; cum tamen Hiſtorici munus ſolū quibuſdam ſelectis fuerit conceſsū, olim, à quibus probabilis ſuſpicio mendacij abeſſet. Nam Hiſtorias conſcribendi munus apud *Hæbręos* fuit penes illorum Principes, tum penes Prophetas, ac deniq; penes Sacerdotes, quibus Deus ipſe Hiſtoriæ Sacræ contextum, ſi non ſingulas prorſus voces, ſuggeſſit; *Quod* munus penes Sacerdotes tamdiu perdurauit, quamdiu Hæbræorum (in quorum Templo illę cuſtodiebantur) viguit: Apud *Ægyptios* penes Sacerdotum Collegium, quod ſecundum poſt Reges honoris, ac Dignitatis locum tenuit; Reponebat autem in libis quæ memoria digna accidebant ſpectantia tùm ad Diuinum Cultum, tum ad Ciuilem Vitam: Apud *Perſas*, vel apud Magos, qui in ſummo ab illis honore, ac veneratione habebātur, ita vt nihil Perſis videretur legitimū eſſe, & ęquum, quod non à Mago confirmatum, ſtabilitumque foret; vel penes pręcipuos Regum Miniſtros, ipſis tamen pręſentibus: *Apud Romanos* penes Pontificem Maximum, in cuius domo illæ videntur aſſeruatę priùs, at imperantibus Principibus in eorum Archiuis, ac Bibliothecis, ſicuti & apud Perſas (Et primus quidem omnium libertinorum ſcribere Hiſtoriam orſus eſt *Octacilius libertus Pompeij*, non niſi ab honeſtiſſimo quoque ſcribi ſolitam, vt ex *Cornel. Nep.* habet *Sueot. lib. de Illuſtr. Orat.*) Apud *Chriſtianos* primo penes Euāgeliſtas, ac deinde penes *Septem Notarios*; quorum loco ſunt nunc Romæ Duodecim *Protbonotarij Apoſtolici*; & apud *Monacos* quidem hoc munus poſtea plurium ſæculo annorum fuiſſe ſatis teſtantur Hiſtorię, tum editę, tum non hactenus impreſsæ, quę in vetuſtiſſimis

mis Monasteriorum, nominatim eorum quę sunt in Germania, Bibliothecis seruantur. Ex pręscripta autem lege Serenissimæ Reipublicę res gestas conscribendi officium demandatur Primario alicui Patricio: & Historiam quidem Venetam e Patricijs primus vulgauit publica auctoritate, vt fertur, *Bernardus Iustinianus*; postea Decemuirum Decreto *Petrus Bembus* Cardinalis vir Orbi Clarissimus; quem excepit *Paulus Paruta*, tùm *Andreas Maurocenus*, deinde *Nicolaus Contarenus*, qui Dux huic Venetiarum pręclarissimus, cuius tamen Historia adhuc non est edita. Hoc munus modò obtinet Illustriss. atq; Excellentiss. D. D. *Iacobus Marcellus* Vir prudentissimus pręcipuis fermè semper Sereniss. Reipub. officijs detentus. Absque publica auctoritate, & quod sibi libuit, ediderunt *Paulus Maurocenus*, *Aloysius Mocenicus*, ac *Petrus Iustinianus*; cui peculiariter haud incorrupta fides videtur habenda, cum non videatur studium, iramque siue amorem, & odium à scriptione procul habuisse omnino.

Cum variæ, grauesque sint inter Poetas, & eos qui de Poesi egerunt, & agunt de *Poesi*, Controuersiæ, quas sæpè dirimere nequeunt libri ab Aristotele, vel ab Horatio &c. conscripti, *vel quia* aliqui eorum iudicio stare nolunt, *vel quia* eorum non satis mens explorata haberi potest, *vel quia* de talibus nō egerint illi quęstionib. Animaduertendū an admissa distinctione Poesis Perfectissimæ, Perfectioris, Perfectæ, Magis, Minusq; Perfectæ: *Imperfectæ*, Imperfectissimę &c. *Magis*, ac *Minus* Principalis, siue *Primariæ*, ac Secundarię; *Propriæ*, ac similitudinarię; *Propriæ*, & Improprię, siue Abusiuę; *Per se*, & Per Accidens, *Per se*, ac Reductiuę &c. possint multę solui quęstiones, & inter se discrepantes conciliari celebrium Scriptorum sententię. *Decimoseptimo* ab hinc anno, cum in *Parmensi Academia* Philosophiam pręlegerem, allata in mediū huiusmodi habituum in qualibet Scientia distinctione non sine multorum laude, multas solui quęstiones spectātes ad Scientiarum obiecta, ac nominatim etiam *Logicæ* ipsius, quam tradens quoq; ad *Libros Periehermenias* dum agerem de *Vocibus*, docui iuxta hanc habituum distinctionem (quod idem de *Oratoria Arte, Historica &c.*) posse statui, *Quinam sint Poetæ Perfectissimi, Perfectiores, Perfecti, Magis, Minusue, Perfecti, Imperfecti, Imperfectissimi &c. Proprij, Abusiui*, siue *Nothi &c.* ac posse multas Scriptorum auctoritates inter se dissentientes intelligi, explicari &c. Quod idem in pręsentia quoque tentaui.

Perillustri, atq; Excellentissimo D. D.

IOANNI BAPTISTÆ VERO

PATAVINO I. V. D.

Illustrissimi, ac Reuerendissimi

GEORGII CORNELII

Prouidi PATAVINAE ECCLESIAE Antistitis

Cubiculario Præfecto;

Qui SERENISS. REIPVBLICAE VENETAE Res Gestas

Ab Origine PRAECLARISSIMAE VRBIS

Ad hæc vsq; tempora latius apud alios diffusas

Libris Quatuor

Patauij primùm, ac deinde Amsterodami impressis

Perspicuo, Puroque contraxit Stylo;

In quibus Perspicacis Ingenij, Maturiq; Iudicij,

Ac Summæ Historicæ Artis Peritiæ

Argumenta profert manifesta;

Nominatimq; Legibus ab Oratorum Principe

Historico præscriptis:

Ne quid falsi dicere audeat, Ne quid VERI *non audeat,*

Ne qua Suspicio Gratiæ sit in Scribēdo, Ne qua Simultatis,

Se obsequentissimum præbet:

Animaduersiones Quinquaginta

PRO HISTORIÆ STVDIOSO

IVLIVS CLEMENS SCOTVS

Comes Placentinus

Erga Virum in Rhetorica Arte Præstantissimum,

De Omnibus Benemerendi Cupidissimum,

In Amicos Humanissimum

Sui Amoris Anathema

D. D. D.

Caput Vndecimum.

1 INter *Sanctos e Veteri* Testamento veneretur quam maximè S. *Moysem*; cuius quidem Historia, licet sit omnium (saltem si *Sinensis* excipiatur) modò extantium antiquissima, ipseque Græcos longè antecesserit Historicos, non tamen Sacræ illius Historiæ, Moysiq; ipsi primus inter Historias, Historicosque debetur locus, cum Historiæ aliæ, alijq; præcesserint Historici; ac S. *Iosue*, qui S. Moysem in munere, tum populum regendi, tum Historiam scribendi excepit; aliosque *Prophetas*, qui scripserunt Historias *Iudicum, Ruth, Regum &c.* E *Nouo* S. Euangelistas, ac nominatim S. Lucam, qui ab Apostolis quoque gesta literis consignauit; ac deinde S. *Hieronymum*, qui *Eusebij Chronicis* latinè redditis multa addidit, eosque protrahens vsque ad Valentis, Gratiani, ac Valentiniani imperij finem, causam profert, propter quam viuentibus tunc Imperatoribus Gratiano, ac Theodosio res gestas non prosequatur, sic in fine *Præfat. ad Euseb. Chron.* inquiens, *non quò de viuentibus timuerim liberè, & verè scribere (timor enim Dei hominum timorem expellit) sed quoniam debaccantibus adhuc in terga nostra barbaris incerta sunt omnia.* Post S. Hieronymum peculiari etiam veneratione dignus est S. *Antoninus* ex Ordine Prædicatorum nobilissimæ Ciuitatis *Florentiæ* Archiepiscopus, qui à condito mundo vsq; ad annum 1459. Chronicum opus in tres partes diuisum edidit: Cum aliqui etiam Sancti Viri aliorum Sanctorum Vitas scripserint, & *Sanctus* cuius Vita legitur, & *Sanctus*, qui Vitã scripsit, peculiariter implorandus. 2. *Norit*, quamuis verè sit discrimen inter *Ephemeridas* res etiam publicas continentes, siue Commentarios, siue Acta Diurna, siue Diaria; *Annales*; *Chronicos libros*; ac *Vitas*; peculiaresq; esse horum omnium leges; Historiæ tamen nomine latè accepto hæc, aliaq; huiusmodi comprehendi solere, eumdemq; dici habere finem cum Historia simpliciter, ac antonomasticè, presseq; dicta, hoc est, *ex rerum humanarum gestarum narratione* docere, *quid à quoque faciendum, fugiendumq; sit in Vita Politica*, siue *Ciuili*, aut *cum alijs Sociali, licet* à singulis peculiaria quædam adhibeantur præsidia, quæ à singulorum scriptoribus adhibenda. 3. *Animaduertat*, nec *Historiæ Dignitati*, nec *Sapientiorum dictis* fauere illos, qui asserunt; Historiæ *finem* esse, *vel* tantummodo rerum præteritarum memoriam custodire; *vel* solum aliquos laudare, aut vituperare; *vel* ex rerum gestarum narratione auditoribus, aut legentibus iucunditatem afferre; licet enim admitti tales queant Artes id dumtaxat propositum sibi habentes (neque enim in hoc apparet repugnantia) imò & Historiæ appellari queant (sunt enim Voces ad placitum) *illi tamen*, quæ à peritioribus Historica Ars appellata est hactenus, Nobilior est præscriptus finis, hoc est, ille idem, qui Morali Philosophię. Quę modò allãta sunt, ad hunc assequendum adiu-

menta sunt; in quibus solis si quis sisteret, & scribens solùm in illa-menta obtutum defigeret nonnulla etiam e proprijs Historię simpliciter præceptis praxi commendans, ad summum Historicus *Imperfectus* dicetur, sicuti *spurius* Historicus, qui Historiam texeret aptam ad retrahendos homines à Virtutibus Christianis, vel Moralibus. *Verum quidem est*, cum perfectior Historia dici possit, quę simul & delectationem, & vtilitatem affert; *vel* adæquatum Historię finem ex vtraq; constitui, *vel* medium præcipuum, ac necessariò adhibendum esse *Delectationem* (quę etiam Intermedius Finis dicetur à Philosophis, cum multa doceantur ad eam conducentia) ita vt haud Perfecta Historia dici queat, e qua sola vtilitas, non delectatio oriretur. *Non Historiæ*, sed *Panegyrici, Discursusque* ad Epidicticum Oratorię Facultatis genus spectantes dicendi sunt libri quidam, licet Historiarum nomine inscribantur, quorum Auctores quosdam laudibus, & summis, efferre contendunt. omnibus fermè Demonstratiui Generis ornamẽtis vtentes. 4. *Cum Historia* sit *Morali Philosophiæ* subalternata, vel potius illius pars, aut species (Historia enim *Philosophia Moralis Exemplaris* aptè dicitur) Historicus sit in illa peritus, *tum* secundum *Ethicam, tum* secundum *Politicam*, & *Gubernantis, Militarisq;* Prudentiæ nominatim præcepta calleat; debet enim scire *Quanam* Actiones verè laudabiles, ac verè vituperabiles, & *Quę* cuiusque Virtutis, ac Vitij proprię; *Quæ* virtutes hominem communem cum alijs vitam ducentem, aliosq; regentem, siue in Pace, siue in Bello &c. maximè deceant, *Quę* Vitia maximè dedeceant &c. vt suum pondus actionibus, quas describit, tribuat. Verum hæc, aliaq; ad Moralem spectantia Philosophiam, non solùm e Philosophorum, verum etiam *ex* aliorum, ac nominatim Historicorum libris, *ex* consuetudine cum viris peritis, publicarumq; rerum conscijs, quales solent esse multi præcipuè in Principum Curijs morantes &c. Ediscat: Sufficit autem illi mediocris cognitio Philosophiæ tum *Naturalis*, tum *Postnaturalis*, tum *Rationalis*, & infra quoque mediocritatem harum Philosophiæ specierum, prout modo traduntur in Scholis. 5. *Ne in locorum* in qua scilicet Terræ, ac Cęli parte sita sint &c. descriptione erret, e *Mathematicis*, tum *Cosmographiæ* notitiam habeat, tum *Geographiæ*, illiusq; specierum *Corographiæ*, ac *Topographię* potissimùm, si res in nostris Prouincijs, ac Ciuitatibus non describat. Cuiq; certè Historico conducet maximè, *Abrahami Ortelij* Thesaurum Geographicum, atq; Theatrum Mundi *habere*; in illas Regiones, aut Ciuitates, in quibus res gestę scribuntur, *concedere*; vel saltem cum Viris, qui in tali Regione nati, ac morati, aut diu ibi vitam duxerunt, regionumq; notitiam adepti sunt, locorum descriptiones, antequam cuulgentur, *conferre*. Cum verò non possit ex Vniuersalibus Terrę Tabulis, quas

Mappae

Mappas dicimus, de Regnorum, aut Prouinciarum magnitudine iudicium ferre congruum, eo quòd illæ cum sint planæ, plus æquo regiones prope polos amplificant, *Geographicum Globum* potiùs adhibeat; simul autem cognoscat, Quæ & *Naturalia*, & *Humana*, huius & illius regionis, quam ex industria obseruat, maximè propria sunt. *Ne vero* in *Temporum Ratione*, *ac supputatione* erret, sit quam maximè in *Chronologia* versatus. 6. *Affinitas*, quam Historia cum *Oratoria*, ac *Poetica* Arte habet, eo quod multa habeat vtriq; Cõmunia, exigit necessariò, vt Historicus excellat, nec leuiter, in cognitione saltem præceptorum, ac eorum, quæ sunt in illis pręcipua Facultatibus, ac nominatim, quę ad Tria Dicendi Genera spectant, cum interdum hęc illi sint vsui futura: & laudabilius quidem per se videtur esse, vt re ipsa sit potius præcellens Orator, quam Poeta, sicuti etiam corporis constitutio apta ad Historiam videtur potius Oratoris, quam Poetæ constitutioni similior statuenda. Historica quidem narratio à Poetarum Fabulis, eorumq; verosimili (quod Falsum, sicuti Verum dicitur verosimile Historicum à *Mascardo tract. 2. de Arte Historica c. 4.*) alienissima esse debet &c. *Maturitas* potiùs *Iudicij*, quam *Ingenij Perspicacitas*, ac *Sublimitas* ab Historico exigitur. Et cum Historicus Virtutes multas & Oratoris, ac Poetæ proprias debeat habere adiunctas, existimari nec immerito potest, difficilius esse per se, in Historica, quam in Oratoria, vel Poetica Arte pręcellere: Quare optimo iure irridentur non pauci, qui plane in Rhetorica arte rudes Historias scribere, ac vulgare audent, solummodo quidem imperitorum laudibus dignas &c. 7. *Nobilioris, vtilioris q; Philosophiæ* pars cum sit Historia, narratio historica rerum maximè illustrium, insolitarumque Causas, Adiunctaque explicet. Si ex Historia tollatur, *Quare*, *Quomodo*, *Quo fine*, *Quidque fuerit actum*, & *quem exitum* habuerit, quod superest veluti congeries erit, quę quidem oblectationem aliquam pręsentem, sed nullam in posterum vtilitatem afferet. In rebus quidem magnis, memoriaq; dignis *Consilia* primùm, deinde Acta, postremò Euentus expectantur: *De Consilijs* autem Historicus significet, quę habita fuere potissima, & quę feliciorem exitum habuerunt: In *rebus gestis* declaret nõ solum, *Quid* actum, ac dictum sit, sed etiam *Quomodo*, *Causasq;* explicet omnes, vel Casus, vel Sapientię, vel Temeritatis, vbi Euentum narrauerit &c. Initia pręcipuè bellorum, seditionumque inter ciues declaret, & qua ratione non solum bella gesta, verum & pax restituta, seditiones repressę, tranquillitas publica reddita &c. 8. *Non minùs se peccaturũ* contra Historię leges *attendat*, si rerum gestarum maximas, & memoria dignissimas prætermitteret, aut quasi in transcursu tantum attingeret; *Quam si* pręimperitia, aut ineptia, aut ignorantia eorum, quę vel

dicenda, vel tacenda sint, admodum prolixè, & laboriosè immorando verbis, quæ *minima sunt* exponeret, ac ignobiles *minutias* proferret, siue humilium minutias indagaret *Causarum &c.* 9. *In narratione,* vbi pauca sufficiunt verba, non vtatur multis; rursus vtatur pluribus, quoties materia exigit; adeoq; cursu preteruehantur ea, quæ *parua* sunt, & minùs necessaria, copiosè autem, siue idonee exponantur, quæ magna. Sæpè autem obest, in narrando maximè, ea breuitas, cum tantum verborum est, quantum necesse est; non solum quod obscuritatem affert, sed etiam quod eam virtutem, quæ narrationis est maxima, vt iucunda & ad persuadendum accommodata, tollit. In Narratione maximè vituperabile concisum, amputatumq; dicendi genus. Præcisa oratio, non tam *narratio* vocari potest teste *Quintil. lib. 4. Instit. c. 2.* quam *Confusio.* 10. *Sit narratio Historica* maximè *perspicua.* Debet quidem Vniuersa Historica Oratio ita esse, perspicua, vt non possit non intelligi ab eo, qui mediocrem linguæ habeat cognitionem, cum Historia dicatur *lux temporum,* ac *Magistra Vitæ*; lucem enim rebus afferre, salutaribusque monitis, & exemplis lectorem instruere illius potissimæ partes sunt: At multò magis narratio, cuius semper perspicuitas maximè propria est. Erit autem *Subobscura* narratio; *si* cōpressione rerum sit breuis; *si* obsoletas, antiquatasq; illa adhibeat voces; *si* verbis aperta occultos habeat sensus; *si* fracta, siue in minutas partes incisa &c. Ineptè sibi suadent multi, illud eleganter, atq; exquisitè dici, quod interpretandum sit, & se à viris peritis ingeniosos habendos, si ad intelligendum eos opus sit ingenio. Huiusmodi ingenia ad obscuritatem nata, vel illam ex industria sectantes, vt pote iudicio iam destituti, ad conficiendam Historiam sunt ineptissimi. 11. *Æquè vitanda* est Historico narratio *incredibilium prorsus, & non verosimilium,* ac omissio eorum, quæ contra communes naturę leges acciderint, siue Diuina tantummodo vi gesta fuerint; neque eo quod aliqui minorem illis sint habituri fidem, à vera illorum narratione abstineat: Exploratissimas quidem habeat circumstantias omnes; multorum enim facta, siue alicubi gesta, si nō falsa, certè valdè exaggerata esse queunt. Nec quia Ecclesiasticarum Scriptores Historiarum, vel Ecclesiastici aliqua quandoque ementita scripserint, vel publicarint miracula, abstinendum a Verorum narratione. An Christianum quemcumq; Historicum *Dei, Christi, B V. aliorumq, Cælitum miracula* in medium proferre dedeceb. t, si Historici Gentiles congruum sibi existimarunt suorum Deorum portenta, insolitosq causarum naturalium effectus sæpissimè (de quo tamen nonnulli coarguuntur) afferre? Nunquam ille pius, prudensque Historicus enimuero erit, qui verorum miraculorum fidem eneruare contenderet. Hoc ipso indignus planè Christiani nomine erit. Si

verò

verò aliqua vel contra, vel etiam præter communem naturæ cursum effingat, in hoc *Poeta* cohonestabitur nomine. 12. *Qui* ad Poetarum Fabulas, ac verosimilia propensi sunt, Fabulosam efforment Historiam, quæ simul & delectet, & instruat, instar *Luciani*, & *Eliodori* inter Græcos, *Apuleij*, & *Barclaij* inter Latinos, quibus addi queunt *Marchio Gaufridus* (cui tamen non licuit, quam fermè confecerat, euulgare) & *Augustinus Mascardus*, qui penè perfecit quamdam, quę inscribebatur *Tiburno*, cuius quidem connexio erat omnino fabulosa, at verò singulæ partes veræ, vt ipsemet ait *tract.* 5. *de Arte Historica*; Et hi quidem vel inter Poetas, vel inter Historicos reductiuè collocandi sunt tantummodo. Quomodo autem initium Genesis, & aliæ S. Scripturarum Historię Poeticem cũ veritate narrationis copulent, *Ioannes Eusebius Nierimbergij* ex illustri Societate Iesu *lib.* 7. *de Orig. Sac. Script. c.* 11. explicat. 13. *Cum Veritas* sit *Prima*, ac *Pręcipua* Historię Qualitas, & qua deficiente narratio quæcumq; dicatur Fabulosa, & Poetica potius; vt ab hac non deficiat Historicus. 1. *Oret Deum*, qui est summa Veritas, ne in Falsitatem se labi permittat. S. *August.* quidem *ep.* 131. fatetur, *se omninò non videre, quemadmodum in plurimis decepti non fuerint*, adeoq; etiam fallantur, *Historici Scriptores Spiritu Sancto non adiuti.* 2. *Sit liber* pro viribus ab animi passionibus, quæ ab *Aristotele* ipso *lib.* 2. *Rhet. c.* 1. definiuntur esse *Cuncta, ob quæ immutati discrepant à semetipsis in rebus existimandis* homines. Meminerit illud *Cæsaris* apud *Salust. in Coniurat. Catil.* Haud facilè animus verum prouidet, vbi officiunt *Odium, Amicitia, Ira*, atque *Misericordia.* 3. *Sit re ipsa Deum timens*, recordeturq; se grauissimè ab eo puniendum de crimine etiam contra Iustitiam, si aliquorum laudes etiam taceat, vel minuat, et non solùm si crimina aliorum secreta euulget, aut publica exaggeret. Cum multiplices sint detractionis species à Theologis recensitæ, earum notitiam habeat timens Deum Historicus, ne in illis peccans possit quoque ad Famæ restitutionem teneri. 4. *Ea* quæ suis auribus, vel oculis non audiuit, aut vidit, à Viris sinceris, rerumq; illarum, de quibus Historiam texit, peritioribus, ac si fieri potest, ab illis, qui eadem tractarunt, aut illis interfuerunt, exploret, non verò à vulgaribus siue hominibus, siue vocibus, siue literis, similibusq; scriptis, quorum Auctores solent esse homines passionibus præpediti; *qui* aut falsa omninò scribũt, aut vulgi voces reponunt, vel non omnia reponunt adiacentia, vel ad aliquorum nutũ, maximè si pecuniam offerant, multa publicant &c. A Principum Oratoribus, eorumq; Instructionibus, ac Relationibus; à Principum Consiliarijs, Ministrisq; præcipuis, ac nominatim ex eorum Diarijs, siue Diurnis Commentarijs, maximè si ab ipsis, vel ab alio sint fideliter scripti; ex illorum Archiuis, repositisq;

Biblio-

Bibliothecis, e literis præcipue publicis ad Primarios plures viros missis &c. Veritatem indaget: Ex multorum simili relatione, & maximè si illi animis discordes cęteroqui sint, illam eruat. Recordetur Historicum e Græca voce reddi posse Videntem. Haud illi scribenda, quę proprijs non viderit oculis, aut non sit de illis adeò certus, quasi proprijs oculis illa viderit. Si nequit veritatem in omnibus assequi (quę non rarò Principibus etiam ipsis occulta est, vel occultatur ex industria, & tamen ab illis tantummodo potest haberi in multis) ea de quibus dubitat, non absolutè affirmet; probabiles aliorum sensus proferat, declaretq; quid verosimilius putet. *Taceat potius, quam vnquam e proposito mentiatur.* Intelligat autem Historicus; vt sibi danda est vltrò venia ex ignorantia nõ culpabili falsa quędam proferenti; ita illam omninò, ac merito denegandam, si ex industria à veritate aberret; Cuius argumentum est, *Si data opera exactam inquisitionem* negligat, aut ommittat, licet eam pecuniæ hamo expiscari deberet. 14. *Historiæ munus* cum sit præcipuum ea tradere, e quibus animus recti, prauique contemplatione formatus, illustria virtutum prosequatur exempla, praua vitiorum deuitet, spectãtia ad laudem, ac vituperationem Magnatum nominatim, Historię inserat. *Animaduertat* autem *Primò* ne *quæ* in ipso appareat *suspicio gratiæ*, aut *simultatis*: Hinc caueat à propensione, siue *Naturali*; quam haberet erga Principem, vel nationem, quorum res gestas describit, siue *aquisita*, eò quod horum stipendijs alatur, ab his euectus fuerit ad honores, ac Dignitates, sui affines, vel consanguinei ab illis sperent nonnulla &c. siue etiam Debita cæteroqui, qualis est in Patriam, Nationem suam, Principem suum &c. *Se solum, vnicumque Deum* in scribenda Historia attendat, ne vlla gratiæ suspicio sibi verè obijci possit. Multoq; magis caueat, ne erga Dominantes, vel Nationes nonnullas, aut Populos odium, vel erga priuatos inuidia &c. ad eorum laudes silentio tegendas, vel ad vituperationis materiam in verè laudabilibus eorum gestis excogitandam impellat: Haud par est, vt priuatæ cum aliquo simultatis, etiam meritę, publicum exhibeat argumentum Historicus. Illius munus est, *maximis* etiam *Inimicos ornare laudibus*, cum id res ab illis gestę exigunt; *Nationis, Patriæ, Consanguinitatis, Amicitiæ, Obseruantiæ &c.* vinculo sibi obstrictos vituperare, cum eorum crimina, aut mala gesta id postulant. *Cæsar* non nisi honorificentissimè *Pompeium* appellauit. Nec melius instrui aciem, neç acrius potuisse pugnari, *Scipio de Annibalis, Annibal de Scipionis* exercitu prædicauit. *Asinius Pollio*, licet *Ciceroni* infensissimus, in Elogio illi texendo (à cuius vestigijs longissimè *Sallustius* recessit) Tullianam videtur æmulari eloquentiam. *Secundo* ne secreta omninò quorumcumq; Crimina describat, secus contra iustitiam peccaturus: nec

illa

illa indaganda. Nunquam sub falsa *libertatis* specie Detractioni det locum: neq; ex eo quod *obtrectatio, ac liuor pronis excipiantur auribus*, improbitatis suæ monimentum prodat posteris. Mirum est, quod nonnulli, cum illis bene dicendo, & celebranda veritate innotescere licuisset, *plaustris conuiciorũ* (vt *Andronicus Paleologus apud Niceph Greg. lib.1.Hist. habet*) *in innocentes effundendis* semet ipsos publicè traducere maluerint. Illam enimuerò libertatem nunquam amplectatur, quę *libertatis nomen* excedat. *Tertio* Vitet Malignitatem, non solùm non publicando occulta clarorum virorum vitia, quæ præsertim à scelere immunia sunt, *verùm etiam* omittendo, quæ ad eorum excusationem, aut laudem pertinent; *non* facti per se laudabilis intentionem calumniando; *non* simulando se non credere aliqua, quæ narrantur, vt credãtur; *nõ* ex pluribus rumoribus deteriorẽ amplectendo; *nõ* vituperationes graues leuiculis laudationibus diluendo; *non* parcius laudando, quam par esset &c. Legat *Plutar.* de *Malign Herod.* *Quarto* Publica etiam Magnatum crimina, quæ ad Politicum regimen non spectant, aut ex quibus res memoria dignę haud ortum habuerunt, vel fileat, vel leuiter, & ex parte, vel generatim, vel breuiter, vel quasi per transennam narret, idq; præsertim, dum obscæna, nefandaq; crimina proferre velit. *Quinto* Valde cautus sit in publicandis viuentium maximè Magnatum improbè factis; nam facilè multa subire poterit incommoda, quæ iure meritò illi dicentur inferri: *Si non sincerè* ea proponat; *Si non simul* virtutes exponat, quibus quandoque Magnates *Vitia multa redimunt*, & habent potius, quod in ipsis *laudandum*, quam quod ipsis *ignoscendum sit*. Tutius per se est de Magnatibus iam Mortuis historias texere, quam de Viuentibus; quorum metus, gratia &c. ad exaggerandas laudes, ad reticenda praui sime gesta compellere potest facillimè. *Sexto* Ita vituperet prauas actiones quascumq; cum indignatione semper animi quadam illas proferens, & si quæ etiam illarum Diuinæ Vltionis argumenta exponens; vt nunquam tamen in earum Auctores, & maximè si Ecclesiastici sint, siue vniuersum similium hominum genus, siue Magnatum, siue Ecclesiasticorum, siue Italum, siue Gallum, siue Hispanum &c. vel leuissimè inuehat. *Septimò* In describendis improbè factis Publicum Bonum habeat prę oculis; nam nisi nonnullorum prauis dictis, factisque *ex posteritate, & infamia metus sit*, horum numerus mirificè amplificaretur; *Multi* quidem *Famam, Conscientiam pauci* vereri queunt: Sciatque amplam sibi Deum quoque mercedem elargiturũ, si Christianæ Reipublicæ commoda in relegandis vitijs, à quibus Christiana lex abhorret, & amplectendis virtutibus, quæ Christianum hominem, vel Ecclesiasticum, vel Regularem decent, sibi proposita habeat. *Octauo* Qui faciẽ *Potentiũ extimescit* (vt in simili habetur *Eccl.* 7.)

ne

ne Historici munus suscipiat, multoq; minùs quærat: Sic neque in aurum propensus &c. *Nono* Cum magis Historiæ proprium sit quæ iustè, ac honestè facta sunt, quam quæ iniustè, ac improbè, commemorare; plus enim vtilitatis homines ex rebus studio, & æmulatione dignis, quam ex iniquis, & fugiendis consequuntur; Operam Historicus per se præcipuam ponat in rebus præclarè gestis referendis, minorem in vitijs &c. *Decimo* Sit maximè remotus, tanquam vir ingenuus, ab *Adulationis* vitio, & à *Satyricorum* crimine (in quod nonnulli vel ex natura, vel ex consuetudine cũ Detractoribus propensi sunt) ne singularem suã improbitatem expleat falsas laudes, aut falsa maledicta in alios congerendo. 15. *Aliquarum memorabilium narratio actionum* habeat adiunctam sibi laudem, aut vituperationem, tum actionum ipsarum, tum eorum qui illas exercuerunt. *Elogia* quoque Virorum virtutibus illustrium inserantur quandoque Historijs, *vel* cum primùm eorum mentio fit, *vel* ex occasione illustris facinoris, aut præclaræ rei gerendæ, *vel*, & maximè, in eorum interitu enarratis tunc etiam omnibus præclarè ab ijsdem gestis: Hæ tamen exornationes ad Epidicticũ genus spectantes non solùm nõ sint *frequentes*, sed nec *prolixa* instar Panegyricorum, ac præcipuè si vni tantum laudes tribuantur; sed *breues* pro viribus, ac præclarissimis tantummodo recensitis. Quod pariter seruetur in vituperationibus actionum valde improbarum, hominumq; scelestissimorum; multoque magis in laudibus extinctarum Ciuitatum, cadentium Imperiorum &c. 16. *Ethica*, *Politica*, similiaq; laudabilium Actionum præcepta ne instar Moralis Philosophi Historicus tradat; nec Militaria instar periti inarmis illa alij tradentis: Sed ita Historiam conficiat, vt eius Lector tacitè illis imbuatur. *In concionibus*, ac nominatim illis, quæ à senibus, reiq; publicas, ac Militares administrantibus habẽtur, locũ habere queunt illa. Verũ hęc manifesta adhuc sint rara. 17. *Sententiæ* non sint *crebæ*: Non *palam falsæ*; nec *passim*, *& a quocumq;* dicantur; nam sententiam dicere congruit ętate seniorem de ijs rebus, quarum peritus est, ac eos, quibus est auctoritas, non verò puerum, aut adolescentulum, aut rerum, de quibus loquitur, ignarum; Sint *Breues*; Non *obscuræ* ita vt interprete egeant; *Nullæ* sint *leues*, *frigidæ*, *ineptæ*: Nec poterunt non esse huiusmodi plures, si plurimæ fuerint. Quarũ etiam multitudine colôr ipse dicendi, quamlibet clarus, multis, ac varijs velut maculis conspergitur: *Potius* in aliorum reponantur ore, quam ab Historico proferantur; cauendum est enim illi ad cõciliandam etiam sibi legentium beneuolentiam, ne sententias, aut Ethica, aut Politica &c. præcepta afferens *viuendi præceptor* esse videatur: *Non* emineãt extra corpus orationis expressę, sed intecto vestibus colore niteant; neque enim sententiarum gratia verbosissimi loci arcessendi,

cessendi, cum ex locis debeat nasci sententia: in quo peccare possunt facilè illi, quorum studium reponitur (quod tamen puerile est) in sententijs vibrantibus, & argutis simul colligendis, vel etiam proprio marte excogitandis; his enim sæpissime adeò delectantur, vt nõ solum frequentissimè, verum etiam non ad rem illas orationi inserant; existimantque sanè pueriliter, se tunc præclarissimas consecuturos laudes, cum non sit ferè sensus in fine sermonis, qui non feriat aurem. Cum huiusmodi quidem oratio non possit non esse dissoluta, & e diuersis congesta, ab ea Historiæ Grauitas, ac Maiestas aliena esse debet. *Entimematicæ autem sententiæ* Entimematis potius vim, quam speciem habeant. 18. *Epiphonemata*, quæ sunt *rei narratæ, vel probatæ summæ acclamationes*, aut potius *sententiæ in fine expositæ rei cum affectu enunciatæ*, non vsurpentur, nisi præclarissimum re vera dictum, factumue præcesserit; breuibusque, sed grauibus, vehementibusque, proferantur verbis. 19. *Comparationes* inserantur aliquando, cum necessariæ, vel opportunæ censentur, verùm paucissimis. 20. *Conciones* non omittendæ *cum* agitur de legationibus, *cum* in Senatu, vel plurium Consessu, siue Consilio aliqua agitantur; *cum* accusantur Rei; *cum* Innocentes defenduntur, similesq; magni ponderis Casus requirunt: In his autem satis est, vt Moralem siue verosimilem quandam Veritatem prosequatur; homines enim sicuti a Sapienti Historico Sincerissimam in enarrãdis factis veritatem exigunt; ita vt nihil illis addat, vel demat; ita concedunt illi, vt in proferendis aliquorum dictis aliqua addat ad rem, sensumque potius veritatem, quam verborum ordinem custodiat. *Attendat* quidem 1. *Ne frequentes sint*, inseranturque non opportunæ; nec in hoc suo indulgeat Historicus genio. 2. *Ne sint prolixę*; neque enim integrę Orationes istę sunt; in quo peccasse *Liuius* dicitur, licet illæ soleant cęteroqui omnibus præferri. Breuissimæ prę omnibus sint; quæ nominatim ab exercituum Ducibus imminente Belli conflictu, aut alio periculo, quod breuì subeundum, aut subterfugiendum sit; aptæq; sint tunc potius ad voluntatem inflammandam, quam ad suadendum intellectui &c. 3. *Seruetur* in illis personæ, ac rei cuiusq; dignitas; neque enim tam plenum, & erectum, & audax, & præcultum eloquentiæ genus senibus conuenit, quam pressum, & mite, & limatum &c. *Versantis in Republica Viri oratio* non debet esse ad theatrum conformata, veluti corollam ex delicatis, ac floridis vocabulis vndequaq; colligens, neq; constans circuitionibus ad normam, ac circinum accuratissimè exactis, sed plena ingenuitatis, & verę animi magnitudinis, & paternę libertatis, in bono proposito gratiosam adhibens, & ad persuadendum aptam rationem ex verborum maiestate, & sententiarum proprietate, ac probabilitate &c. de quo legatur *Plutar.*

de *Præcept. Reipub. gerend.* Imperatorum, Senatorum, similiumque separata est aliqua ex parte eis ratio eloquentiæ, vt habet *Quint. lib.* 11. *c.* 1. & *Proem. lib.* 8. Hinc inuentiunculæ, siue Argutiolæ quędam repellendæ prorsus à Concionibus, quę in rebus magni ponderis versantur. Se tunc præcipuè Historicus Artis suæ intelligentem ostendet, *cum maximè persona decora, & rei conuenientia, & propria dixerit*. Se Iudicij inopem clarè ostendet, si hominibus indoctis e media Philosophia, exercituum Ducibus e Theologia sermones, tribuerit &c. Se verò valere quam maximè iudicio declarabit, si nonnulla haud silentio tegenda, quæ non est par vt ab ipso referantur, in aliorum ore reponat. 4. *Proemium* sit aut nullum, aut breuissimum. 5. *Ornatus* sit grauissimus, adeoq; magnificæ quædam sententiarum figurę, vt Allegoriæ, Prosopopeię, Apostrophes longę, Ironiæ, ac similes relegandę. Admittendę potiùs Interrogationes, Exclamationes, Incisa, ac similia, quę aptissima sint ad animorum cõmotionem. 6. *Oratio* sit *Demosthenea* potius, quam *Tulliana*, rationibus potius, quam verbis redundans; sententijs, in quibus tamen proferentis seruetur dignitas, afluens. Eadem quidem sit fermè in Concionibus, quę in Orationibus vis, pressior tamen, & circumspectior, & adductior: & cum illę in triplici Dicendi Genere versari possint, propria vniuscuiusq; adiumenta, cautè tamen, adhibenda. *Si Historicus* minus in hisce efformandis peritus sit, potiùs illas omittat; nam si non sint aptæ, vituperationem maximam reportabit; poteruntque asserere nonnulli; illum se conformasse illorum sententæ, qui Conciones haud probãt in Historijs, vt pote veritati nõ consonas: Omittat pariter illas licet per se opportunas, quę versari deberent in rebus, quarum notitię est expers. 21. *Sobrie internos animi sensus*, ac illos tantum, quos occurrisse probabilissimum est, in medium afferat. Nisi valde in hoc cautus sit, facilè ex Historico Poeta euadet. Prudenter faciet, si hęc, aliaque verosimilia Historici permissa indicet particulis quibusdam dubijs &c. 22. *Egressiones Necessarias*, hoc est, rerum singularium notitias, ac sine quibus multa, quę in Historia scribuntur, aut nullatenus, aut prauè, aut obscurè intelligerentur, nunquam omittat; nam cõtra Historię leges peccabit. Eas quoq; vltro admittat, quas *Vtilitas* aliqua, aut *rationabilis Delectatio* postulare videtur. Nec illas reijciat, quę ad *laudabilem Historię ornatum* conducere queunt. Hę quidem non sint instar Poetarum connectę: *non* nimię; *non* longiores, & quę longè animum in aliud auertant, conficiantur magnã, vel maximã Historię partẽ, de quo accusatur nominatim recentior Belgici Belli scriptor: *nec* ita in incognitis breues, vt claram eorum notitiam nequeat lector assequi: *non* à pręcipua narratione seiunctæ; *non* in illas Historia desinat: Hę denique ita disponãtur, vt

ab

ab illis non videatur posse Historia di fiungi. *Non vituperabitur autem* si singularia quædam facta, etiam priuata, valde eximia, licet non historiæ connexa, illi aliquando inserat. 23. *Elocutio, ac Oratio Historica* 1. *Sit Perspicua*; adeoq; voces antiquatę, magisq; recōditę, dum aliæ magis obuiæ ęquè vsurpari queunt, non adhibendę. Vix in Perspicuitate potest esse excessus. 2. *Sit Pura*, non solæcismis, aut barbarismis &c. inquinata: secus iniuria fit tum illis, quorum res gestæ narrantur, tum legentibus. Indignæ sunt quorumdam Vitæ, licet per se Commendabiles, à quibusdam idiotis hominibus conscriptæ prudentis Viri lectione. 3. *Sit æqualis*; nisi styli inęqualitatem exigat materia. Ex hac arguitur, alicuius Historiæ haud eumdem esse scriptorem, vel non fuisse idoneum Historiæ Scriptorem, vt pote qui vixerit rapto hinc inde &c. 4. *Sit ornata*; ita tamen vt ornatus non videatur accersitus, ac veluti coactus, sed quasi illi insitus. 5. *Sit aptè disposita*; itaut suis quęque inserta locis habeat, nō bis eadem repetat, nec res multas inter se discrepantes complectatur, vt cogatur lector præteritorum refricare memoriam, denuoque iam lecta relegere &c. 6. *Oratoriæ*, ac *Poeticæ* Facultatis virtutes vnica simul complectatur. Et historica quidem Verborum structura sit *Poeticæ affinis*; hoc est *Eorum* collocatio Poeticam præseferat gratiam, & apta sit similem in legentibus admirationem excitare, quæ Poetica; *Floridas*, ac significantes, sonorasque adhibeat voces, quarum coniunctio, sicuti versus numerosè cadat, quadret, & pęrficiatur: Optimę Poesi soluta illius oratio similis sit: *Non tamen* vlla verborum coniunctione versum efficiat Historicus; non quibusdam Poeticis phrasibus, Vocibusque sine delectu vtatur, nominatimque ab illis abstineat, quæ sunt purè Poeticę, ac Poetis vix permissę. Sit *Oratoriæ Affinis*, hoc est, *sit Tracta, Fluens, Fusa*, siue *Currat*, ac *Feratur* à Dialectico genere longè remota. Sit lenis tamen, non aspera, aut vehemens instar Oratorię; adeoque sit longioribus membris, sed breuioribus periodis contracta; non ad numerum cadat, nec certos periodorum affectet fines: sit denique media inter circumactam, ac remissam vehementer. Si tamen peccandum sit, ampla potius sit, ac effusa, quam breuis, & concisa. *Cum verò Historicus Oratoris* partes apertè suscipit, vt in Concionibus, laudibus &c. *vel Poetæ*, vt in descriptionibus &c. tunc quidem liberius propria vtriusque Artis præsidia adhibere poterit. 7. *Energiam* maximè ex elocutionis figuris sibi adiunctam habeat; Ea, quę facta sunt ita describat, vt quam fieri potest clarissimè spectanda exhibeat, & lectorem, quasi spectatorem faciat. 8. *Celeritatis* figuram quandoque pro re nata adhibeat, ita tamen vt varia sit, incisaq; nouum afferant sensum, & ex his rarissimè adhibeantur vnica voce constantia. 24. *Haud existimet* Historicus ita esse proprium

Oratoris *Flexaminis* vti verbis, vt eorum quandoque vsus sibi non liceat, & cum maxima etiam laude. Exaggeratorũ quidem vsus in illo Reprehenditur, si ementitam reddant orationem. Propria Historici *Amplificatio* est *Ponderatio*. 25. *In sublimi stylo*, siue *Maiori Caractere* (excepta asperitate, & vehementia) per se sit Historica oratio, eaq; adhibeat instrumenta, quibus grandiloqua reddatur, ac in sublime elata. Sit Platonicæ, Sophisticæ, ac Epidictice persimilis; cum in rebus magni ponderis illa maximè versetur. *E Maiori* Caractere *Mediocri*, vel saltem *Tenui* in Narrationibus; *Sublimi verò* in Descriptionibus, & Concionibus vtatur. Non videtur tamen negandum, quin aliquę Historiarum materię exigant potius *Mediocrem*, aliquę etiam *Minorem* Caracterem, & ex his quandoque etiam *Sublimem*; quandoque *Mediocrem*, & quandoque *Tenuem*. 26. *Transitiones perfectas*, quę magis ad Oratores in Iudicialibus, ac Deliberatiuis Causis versantes spectant, rarò vsurpet; Ex Imperfectis vsurpet, *tum* illas, quę *Naturales*, ac *Simplices* dicuntur, *tum* illas pręcipuè, in quibus ingenium magis elucet, dum diuersissimę res in vnius corporis speciem colliguntur, & ita afferuntur postrema, vt illis sequentia commodissimè iungantur; e quibus reperire est nonnullas apud celebres Poetas, ac Historicos; possuntque esse etiam vsui Oratoribus in Epidictico genere. 27. *In Ecclesiasticis Historijs describendis* se conformet pręcipuè Methodo Historias scribendi, quę seruatur in Sacris Codicibus à Canonicis Scriptoribus, scriptor, si maximè Ecclesiasticus sit. Hinc *Primò* Publica saltem (nam de semipublicis inter Theologos dubium est) Ecclesiasticorum Crimina, quę vtilitatem legentibus sint allatura, Diuinę secutus exemplum Historię proferat, licet nonnullis scandalum essent allatura. Nulli meritò conqueri possunt, quod quę publica cum actiuo fidelium scandalo perpetrare ausi sunt facinora, alij in publicas referant Tabulas. Erubescunt nonnulli audire, aut legere clam sincerè, ac fideliter descripta, quę facere palam non erubuerunt. Vtinam multi in rebus gerendis illum Ethnici sensum prę oculis haberent, *Quid verò Historia de nobis ad annos DC. prædicarint? Quas quidem ego magis vereor, quam eorum hominum, qui nunc viuunt, rumusculos*. Nullus putet, *præsenti potentia extingui posse etiam sequentis æui memoriam*. Imò existimet quicumque, si differatur iustas ob causas editio illorum, quę malè in omnium oculis ab ipsis gesta sunt, eò auidiorem fore huiusmodi librorum lectionem; ac sueмet etiam officere famæ, qui Veracium Historiarum Scriptoribus aliquod incommodum afferre nituntur, non solùm quia *punitis ingenijs glisc it* auctoritas, verum etiam quia hoc crimem nouum alijs additur, quod simul cum illis posteritati commendabitur. Qui benè agunt, Historię lucem haud odeunt. *Secundo* Quędam verborum lenocinia,

nocinia, siue fucos, phrases, ac similia e reconditiori Rhetoricę artis officina deprompta, quæ Ecclesiasticæ Historiæ Maiestatem, Grauitatemq; haud decent, declinet omninò. Quò illa minùs quibusdam ornata, eò magis ornata. Cum res *Ecclesiasticę florerent* (sic S. Greg. Nazianz. Orat. in laud. S. Athan. habet) *ac præclarè se haberent, superflua hæc, & verborum lepore fucata dicendi ratio ad Diuinas Causas ne aditū quidem habebat.* Non est quidem adhibenda locutio barbara, & contra communes Grammaticorum leges; facile enim irrisioni exponeretur, cordatosq; viros à lectione reuocaret &c. Non habeat illa *rugam,* nec *maculam.* *Cardinalis Baronij* stylus à multis commendari solet: Magis etiam commendari potest stylus *P. Sacchini* in 2. tom. Hist. Soc. quam *P. Orlandini* in 1. tom. Reprobantur etiam à Sacris Canonibus Vestes, nedum in Regularibus, verum & in Clericis, cum quibusdam ornamentis, certi coloris &c. nec tamen volunt illas esse immundas, laceras &c. 28. *In Sanctorum Historijs,* siue Rebus gestis, siue Vitis describendis attendatur; *Primò* Ne mendacia, vel falsitates inserantur, ac nominatim in nonnullis mirabilibus, quæ non nisi certò explorata, essent typis mandanda; nam si à veritate aliena in huiusmodi libris deprehendantur (& maximè si deprehensa falsitate illa non corrigantur, pręcedentiumque librorum lectio non suspendatur, donec corrigantur) fit, vt *veris adimatur fides,* vt habet celeberrimus, ac eruditissimus e Prædicatorum Ordine *Melchior Canus de loc. Theol.* lib. 11. c. 6. Qui dolet, Quod *multò à Laertio* seuerius *Vitæ Philosophorum* sint scriptæ, quam à Christianis *Vitę Sanctorum*; longeq; incorruptius, ac integrius *Suetonius* res *Cæsarum* exposuerit, quam exposuerint Catholici res, non Imperatorum, sed *Martirum, Virginum, & Confeßorum*; *Illi enim* (subdit) *in probis* aut Philosophis, aut Principibus, nec vitia, nec suspiciones vitiorum tacent; in improbis verò etiam colores virtutum produnt: *Nostri autem* plerique, *vel* affectibus inseruiunt, *vel* de industria quoque *ita multa confingunt,* vt eorum me nimium non solum *pudeat,* sed etiam *tædeat.* Hos enim intelligo Ecclesię Christi cū nihil vtilitatis attulisse, tum *incommodationis plurimum &c.* Certum est autem, qui fictè, & fallaciter Historiam Ecclesiasticam conscribit, *Viros bonos, ac sinceros eße non poße &c.* Plura ad idipsum *Canus* sapienter addit. In his quidem non amplificatio, quæ est Oratorum propria, & in qua admittunt aliqui apertè mendacium, ac nominatim ipsemet *Quintil. lib. 2. c. 17. lib. 3. c. 7 & lib. 12. c. 1.* approbat in Oratore mendacia quandoque, sed illam tantùm, quę est Historicorum, hoc est *ponderatio,* locum habet ad summum. Haud omnes omnium Sanctorum res gestæ publicè fuerunt laudabiles. Cur ergo hæ alto obruantur silentio; & tamen probę eorum res gestę clam, ac priuatim omnes in medium proferuntur

feruntur? Cur quandoque omnes ingenij vires intenduntur ad excusandas omnes illorum actiones, quasi fuerint impeccabiles? Minoris sinceritatis in piorum hominum describendis Vitis suspicio posset esse eorum, qui Rhetoricam callentes artem, suæ, suorumq; laudis essent auidissimi; eoq; probabilis illa magis redderetur, si experientia docuisset, *eos minus fuisse sinceros* in suis Annalibus, siue Historijs euulgandis; *edidiße* iam nonnulla de remotarum Prouinciarum rebus falsa; *plurimos e suis*, licet non æquè dignos, inter Cælites referendi esse cupidissimos &c. *Secundo* Ne prolixè describantur: sunt nonnullæ, quarum scriptor videtur voluisse Panegyricum eorum hominum condere; aliæ tot *Concionibus, Egressionibusq;* & non ad rem redundantes, vt hę maximam, nedum pręcipuam talis Historię partem contineant. Videtur fieri iniuria ijs, quorum Vita describitur, quasi his ornamentis, ac fulcimentis indigeant eorum res gestæ, vt in publicam prodire possint lucem. Hinc quæ ad Familiam, Patriam, Parentes &c. breuissimè indicanda, sicuti, & quæ non rationis vsus adhuc compotes egerunt &c. Propter prolixitatem aliquorum Sanctorum Vitæ non leguntur, nec emuntur, licet per se dignę. *Tertiò* explicet res ab illis gestas in vitæ decursu, ac ea maximè, quæ indolem eorum, moresuè ob oculos ponant, adeoq; exigua subindè facta, dictaque cum omnibus adiacentibus scribat; & quamuis Humanam omninò exuperantia virtutem ad illos spectantia nō sint omittenda; in illis tamen potissimè immorandum, quæ quilibet cōmunibus Diuinæ gratię pręsidijs suffultus pręstare potest. Huiusmodi scriptionum fructus pręcipuus saltem esse debet illorum imitatio. *Quarto* Vitanda est prælatio, & aliquando etiam comparatio vnius Sancti cum alio; leues sępè apparent huiusmodi comparationes. Multò magis declinandum, ne quis afferat Vnum e recentioribus Sanctis fuisse secundum Saluatorem, *extitisse secundum* à Petro, Paulo, alijsq; Apostolis, ac illis, qui Spiritus primitias acceperunt; *si hucusq; vixißet* ille, fore vt non superesset amplius in Ecclesia, quod Pastorum, Prędicatorumq; industriam desideraret; Tota Gentilitas fuisset conuersa, Hæresis extirpata, omnesque fideles, quasi reformati, tanquam si Religiosi essent &c. Auderentne hæc, ac similia prudentes Panegiristę voce, nedum scriptis, proferre? 29. *In improborum quorumdam vitis* describendis; *Caueatur nominatim, tum vt* non nisi explorata omnino crimina proferantur, nec aliqua fingantur, vel vera etiam exaggerentur ad excitandum contra illos odium, inuidiam &c. Si falsitates certò deprehendantur in his descriptæ, fit, vt quęcunque ab Auctoribus plane veracibus edita sunt de prauè eorum gestis, reuocentur in dubium, idq; non raro cum graui Catholicę etiam Religionis detrimento; & peccari quidem in his potest grauissimè cōtra Iustitiam &c.

&c. *Tum vt* nefanda quędam maximè crimina, licet publica breuioribus quam fieri possit verbis (non necessarijs tamen, ac omnino opportunis, & quæ obscuram reddere possint narrationem, omissis) explicentur; *Tum vt* eorum infelices exitus, vel pœna vel infamia &c. subsecuta prorsus indicetur; *Tum vt* quæ laudabiliter gesserunt, et ã cũ laude referantur. 30. *In corũ Vitis, Qui* aliqua in *Arte*, vel *Scientia* excelluerunt, licet priuati fuerint homines, *animaduertatur* potissimè, *vt mentio fiat omnium planè*, quorum ope Præstantiam in tali Arte, vel Scientia fuit quiuis consecutus; *Eorum*, & maximè Principum virorum, sub *Quorum* patrocinio fuit, *Qui* illius operam adhibuerunt; *laudum*, quæ illi peculiariter à Viris in tali Arte, vel Scientia peritis tributæ sunt; Ac *defectuum* quoque, siue minoris peritię in nonnullis etiam spectantibus ad talem artem &c. Licet Pictores prę stantissimi soleant prę stare in *delineatione*, *coloratione*, *compositione*, *morisque expressione*, vnus tamen magis alio prę stat in exacta delineatione, quam in idonea coloratione, vnus magis in congrua compositione, quam in viuaci morũ expressione &c. Ac ex his præstantissimus vnuiquisque est dissimillimus alteri; ita vt vel leuiter peritus norit, hæc est *Tabula Raphaelis*, hęc *Titiani &c.* 31. *In Vitis Magnatum* scribendis; Attendatur peculiariter: *Tum vt* eorum educatio significetur; *Tum vt* eorum interior, ac familiaris Vita indicetur, prętermissis secretis omninò sceleribus, & quibusdam omninò leuissimis, Aut parui ponderis, licet publica ab illis præstita: *Tum vt* in regendis populis, pace tuenda, bello gerendo &c. ratio seruata præcipuo enarretur studio: *Tum vt* indicentur ministri, quos ad illustria quædam facinora adhibuerint, & quorum Consilio fuerint vsi &c. *Tum vt* quę in prospera, aduersaque fortuna prę stiterunt, diligenter euulgentur; *Tum vt* eorum fœlices, vel infelices exitus cum laudibus, ac vituperationibus, maximè post mortẽ, illis tributis à viris sinceris, rerumq; peritis publicarum, fideliter in lucem proferantur. 32. *In Chronicis*, siue Annalibus Regularium Ordinum perpendatur exigi *Primò* Ab eorum Scriptoribus Veritatem maximè, nam Christianam perfectionem ipsi prę cęteris profitentur, dicuntq; se proximius, quam cęteri, insistere vestigijs Christi, qui Veritas est. Si Christiana Historia tota, vt ait *Canus*, non voluptate, sed veritate perpenditur, quantò magis Regularis? Quare à simplicibus quibusdam hominibus, ac facilè credulis illa nunquam conscribenda, licet cęteroqui in Arte scribendi Historias forent periti, atque etiam valde pij Viri. Quod idem de Vitarũ Piarum Scriptorib. asserendum. *Secundò* Vt initium, progressusque Ordinis in Virtutibus præcipuè Religiosis hominibus dignis enarretur diligenter, non autem multa ponatur opera in describenda multitudine *Virorum*, qui tali Ordini nomen dederunt,

Reddi-

Redditum, Bonorumq; Temporalium, quæ illis legata sunt &c. Per se enim horũ copia minùs est congrua Regulari statui, quam alijs, ac magna eorumdem Regularium multiplicatio potiùs imminutionem spiritus in ordine indicat. *Tertiò* Vt illustrium solummodò Virorum tum pietate, tum doctrina mores scribantur tum publici, tum priuati quoq; si quid habeant insoliti; nam vt hos imitentur viuentes, eiusdem Ordinis Regulares maximè, similes Historiæ solent describi; nec prauè facta a nonnullis publica, & etiam quandoq; intra priuatos Domorum regularium parietes, maximè si aliqua diuina vltio subsecuta, ad deterrendos alios à simil facinore metu in tamię, omittãtur, & præcipuè si illa iam in vulgus emanarint. *Quartò*, Vt puro quidem stylo, sed simplici, hoc est, a quibusdam Rhetorum fucis, ac ornamentis etiam, quæ Sæculares, Ecclesiasticasq; Historias nonnullas decerent, vel non dedecerent, scribantur. Si fuissent nonnullis enarranda, quæ a *Ferd. Castil.* Ordinis Prędicatorum, cuius initia fuerunt vndequaq; gloriosissima, Historiam describente, ab anno 1216. quo confirmatus ab *Honorio III.* Ordo fuit vsq; ad 300 spatio viginti triũ Generalium Magistrorum, qui Sanctissimo illi pręfuerunt Ordini fuerunt enarrata, viginti tria volumina confecissent. Quis Vitæ Regularis Instituto consonam existimauerit illam vestium pompam, vel illum etiam vestium colorem, qui in secularium vestibus laudatur, vel non reprobatur? Nec homines cordati, ac prudentes in Regularium Ecclesijs, in quibusdam etiam ad Diuinum Cultum proximè spectantibus, laudant ornamenta nonnulla, quæ in Ecclesijs quidem Cathedralibus, Episcopalibus, Cardinalitijs, Pontificijs possunt cum laude admitti: Multoque minùs laudant Ædificia Regularium Domorum, ac nominatim Mendicantium, aut eorum, qui inter Mendicantes volunt se haberi, fauorabilibus illorum Priuilegijs vtentes &c. ab ipsismet constructa Regularibus valdè sumptuosa, curiosa &c. quæ sint instar Palatiorum, in quibus habitant Principes nedum Ecclesiastici, sed & Seculares, & quãdoque etiam illis augustiora &c. Qui in Historia, cæterisq; rebus haud decorum seruant, se iudicij expertes prorsus declarant; nam illud huius prima veluti Soboles est. legatur ad id *Aristot. lib. 3. Rhet. & Quintil. lib. 11. c. 1 & Proem. lib. 8.*

33. *In describendis Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Historijs &c.* Attendatur *Primò* Ne ex Amore Gentis, siue Nationis, vel Patriæ &c. circa earum originem effingat, vel efficta admittat, sed potius reijciat Historicus; de quo *Petauius* de Gallica, *Mariana* de Hispana Gente agentes potissimè laudantur. Haud verosimile Poeticum est Historico amplectendum. Moraliter saltem certum debet esse omne id, quod ab Historico profertur, nisi personam sustinere velit Poetę, aut mendacis &c. Idem sibi præstandum, cum de nonnullis agen-

dum

dum est familijs. Si satis esset Historico quædam verosimilia (& falsa quidem aliquando verosimiliora veris apparere queunt) sequi, omnes fermè Europæ nationes modò existentes, vel etiam maiorem Ciuitatum partem e *Troianis*, omnes fermè nobiles familias ex *Troiana*, vel *Anicia* gente originem ducere, confici posset. *Secundo* Præstantium quorumcumque virorum actiones referat præclarissimas, nulli Familiæ, vel Genti discrepantium etiam morum, & quæ fuerit, sitve inimica, infensus: Multoq; minus priuatas iniurias sibi, vel suis ab aliqua Familia, vel Gente illatas, Historicus, qui est publicus Scriptor, Vlciscatur; *Sciatq;* se faciliùs peccaturum in imminuendis laudibus eorum, in quos haud propensus est, quam in exaggerandis; cum tamen leuius peccatum sit veras amplificare laudes, quam minuere. Dum de quibusdã Familijs, quæ de se, vel suis optimè sunt meritę, vel in quas iure, & optimo propensus est, loquendum est sibi; *Caueat*, ne passim in leuibus etiam mirificè illas commendandi occasionem arripiat, earum res gestas amplificet, aut illis addat, calamumq; potiùs cohibeat, quam laxet. Cum verò res aliquæ gestæ censeri possint egregiè, imò & heroicè *alicubi gestæ, quæ alibi haud tales existimabuntur*, dummodò Christianis non repugnent institutis, eas tanquam præclaras referat actiones, vt eas imitentur homines eiusdem Ciuitatis, Nationis &c. *Tertiò* Narret tum Regiminis modum, quem tenuerunt Ciuitates, Regna &c. narratis causis, propter quas ille subinde immutatus; adeoq; etiam, qua Principes vsi fuerint quicumq; gubernationis specie, manifestet &c. *Tum* quales initio fuerint mores, cur magis, ac magis lapsi deinde, tum *cœperint* ire præcipites. *Quartò* Exponat Ciuitatis, Regni &c. *Sitũ* cum illius *Territorio*, huius fines finitimosque populos, *Singularia* quædam, siue *Naturalia*, siue *Artificialia*, siue *Humana*, vt infelicissimos quorumdam felicissimorũ exitus, cum causis prosperę, & aduersantis Fortunæ. Vires tum præsentes, tum præteritas, earumq; causas data occasione &c. 39. *In Contrahendis* aliorum Historijs *Primò* Non efficiat id, quod effecisse dicitur *Iustinus* circa *Trogi Pompeÿ* Historiam. imitatus in hoc e Philosophis (quod tamen multi non admittunt) *Aristotelem* circa libros *Speusippi*, *Democriti*, aliorumq; *Secundo* Siue ex vno, siue ex pluribus Historiam contrahat, e sinceriori, ac veraciori, siue sincerioribus, ac veracioribus illam contrahat; Quoad res gestas nihil addat, aut demat: si hoc præstet, significet id, rationemq; reddat. *Tertiò* *Historiam* latius diffusam animo complexus obseruet diligenter, *Quæ* omitti possint, vt *Conciones, Egressiones, Descriptiones &c.* Nonnullæ, & quæ breuiori verborum circuitu comprehendi queant; nam aliqua occurrere possunt, quæ breuius explicari nequeant, imò, & aliqua longiorem exigentia orationem. *Quartò* Alium a prolixioribus Historicis

storicis dicendi Caracterem, seu stylum adhibeat, vitatis nominatim vocibus ijsdem, phrasibus &c. In alteram veluti naturam prolixiorem Historiam immutet, ita vt hæc solum videatur illi materiam suppeditasse. Æmuletur Historici laudes, quas perpendat se maiores consequi posse in breui libello, quam alij in grandi volumine, licet ceteroqui valde commendabili. In huiusmodi Compendiario Sermone Laudabiles sunt breues quandoq; argutiæ, sententiolæ, non leues tamen, Epiphonemata &c. laudatur in his *L. Florus*. Non inornata certè debet esse *Breuitas*; nam secus teste *Quintil. lib. 4. Instit. c. 2.* erit *indocta*. 35. *In describenda* veluti Historia *Exemplari*, siue ex Exemplis. *Primò* illa sint verè sincera, ac selecta. *Secundo* Ad quędam reuocentur capita: Imò & *Latinorum* v.g. exempla seponantur à *Græcorum* exemplis; *Ecclesiasticorum* à *Sæcularium*; *Regulariũ* à *Clericorum Sæcularium &c.* *Tertiò* Addantur Incisa, Epiphonemata &c. interdum. *Quarto* Euidentia, siue Enargia, siue illustris rerum explanatio in illorum narratione, quam maximè eluceat. 36. *Licet Historica narratio* Temporum ordinem desideret, non tamen illi ita est alliganda, vt nõ liceat interdum illa, quę minùs temporibus cõgruunt, coniungere. Prosequatur Historicus inceptam rei gestę narrationem vsque ad exitum non temporis seruato ordine; *cum cognoscit*, si aliæ interantur narrationes, singulas fore amputatas, ac breuibus quasi segmentis concisas, adeoq; Historiam non posse purum illud exhibere lumen, Quod ab ipsa exigitur; *aut rationabiliter suspicatur*, fore vt lectoris animus vagetur, nec facilè quæ traduntur, animo consequatur, atq; ex diuisione rerum perturbata mens imperfectas, & quasi mutilatas notitias ipsa sibi commodè, perfectèue referre non possit; *aut putat*, diuisa haud perinde cõmendanda memoriæ; facilius enim cuiusque rei in vnum cõtracta species, quam diuisa temporibus, oculis, animisq; inhęret. Nec Annalium etiam scriptores ab hoc abhorreant, si nonnullę ex his occurrant causis. Experientia quidem patet, plurium Historiarum lectorem cogi iterum recognoscere plurima, quæ multo ante perlegit, vt subsequentia cũ antecedentibus cognoscat, vniuersamq; rei seriem habeat perspectam; & dum ad res, quæ nullam habent cum antecedentibus, vel cõsequentibus cõnexionem, mentis obtutum defigit, obliuisci priorum; simulque animum summam percipere voluptatem, cùm totam rei faciem sibi ob oculos habet expositam. Mediorum adhibendorum ratio prudenter dimetienda semper ex fine cuiq; præscripto Arti. Nunquam tamen præposterum narrationis modum Poeticæ congruum, vel necessarium Historicus amplectatur. 37. *Sit valde cautus* in ferẽdo de *Actionibus*, quæ & laudabiles, & vituperabiles existimari queunt, iudicio; & in significando de *Concilijs* quid probet; neque enim illorum prudentia,

vel

vel maior prudentia ex euentu, aut feliciori euentu, dijudicanda: Meminerit, *faciliùs illos pronunciare, qui ad pauca respiciunt*, & non nisi omnibus perpensis sententiam ferendam ab æquo Iudice, qui non in facies hominum respicere debet, nec esse acceptator personarum. Laudabile est, quando non habeat explorata omnia rei gestæ adiacentia, nō tanquam certos, sed tanquam probabiles, vel dubios animi sui sensus exponere. 38. *Si quid* falsum ab aliquo Historico narratum fuerit, ad publicum confert bonum, vt alter Historicus illud corrigat, erroremq; manifestet. Imò si Historicus ipse post Historiæ editionem falsum quid protulisse ex inaduertētia etiam, minor q; tunc peritia &c. nedum ex malitia, vel culpabili negligentia animaduerterit, errorem in secunda omninò saltem editione corrigat. Possunt quidem Historicæ narrationes multa subsequentibus temporibus, nisi sinceræ sint omninò, afferre præiudicia Iurisdictioni nominatim Ecclesiasticæ, ac Sæculari; maximè cum aliqui sagaces Viri, & ad suam Iurisdictionem amplificandam semper intenti, ex vno, vel altero actum possint iam præscribere &c. 39. *Cum Historici* nonnulli inter Veraces antiquis fuerint habiti sæculis, eorumq; narrationibus à viris prudentibus habita fides; non sine valde efficaci ratione, vel paris auctoritatis testimonio illorum nunc eludenda fides; neque quia illorum narrationes viderentur minus fauere aliquorum cōmodis præsentibus, vel Iurisdictioni præsenti, ac recentiorum nonnullorum sensibus, asserendum est, illis tanquam minùs beneuolis in quoddam hominus genus, haud præstandam fidem in eorum narrationibus. Probandus est primò hic animus infensus; ac deinde etiam probandum falsa eos protulisse: nam cuilibet Historico verissima etiam narranti id potesset obijci, & ad hominē, vt dicitur, illis, qui Historicam afferrent narrationem pro sua iam antiqua Iurisdictione &c. 40. *Quænam* sint *notoria*, ac *publica crimina*, licet plurimis ignota, ac in remotis patrata regionibus, quæ sine vllo crimine inseri Historijs possint, imò &. debeant aliquando; *Quæ semipublica*; Quæ *secreta*, ad quorum occultationem quisq; per se tenetur; a peritis Theologis Historicus intelligat. Si autem censeatur *Probabilis* sententia asserens, Historico esse *licitam narrationem etiam semipublicorum*, dum aliquam vtilitatem illa essent allatura, poterit hæc manifestare. Caueat tamen semper, ne ex vlla narratione maiora sequantur per se incommoda, quam commoda; secus enim contra publicum bonum, quod Historia per se intendit, peccaret. Non facilè autem illis nominatim, quorum causa agitur, in hoc fidem habeat. Pingi possunt, & exaggerari incommoda. Nulla fermè commoda videri queunt posse præponderare incommodo, quod Humanum genus vniuersum, ac præsertim Christiana, Catholicaq; Respublica subiret, si Historici

non solum *quid falsi dicere*, sed etiam *quid veri Vitiosi*, ac *Publici* non auderent. 41. *Nunquam Historicus*, maximè in Historia vniuersali contexenda, habeat sibi propositum vllorum auctoritatem, vel Iurisdictionem declarare, multoq; minus amplificare; plura, quæ nostris gerantur, vel afferantur sæculis, ostendere conformia fuisse antiquioribus &c. Nam facilè narrationes illis repugnantes, aut silebit, aut quibusdam cauillationibus illas eludere conabitur. 42. *Nõ inhærendum* illorum vestigijs, qui gestas scribẽtes, siue à Principe, siue à Sancto librũ edunt, in quo decem v.g. folia hasce referunt, quinquaginta verò &c. argutiolas, sententiolasque nonnullas, ac similia Scriptionibus additamẽta exponunt: hęc cum sępissime puerilia sint, iniuria sit magnatibus, ac Sanctis, de quibus sermo debet esse grauis, sicut & elocutionis ornatus. Soluta horum oratio, & e singulis non membris, sed frustis collata, structura carens, similisque à *Quintil. lib.2. Instit. c. 11.* dicta Cõmentarijs puerorum, in quos ea quæ alijs declamantibus laudata sunt, regerunt, haud oratio re ipsa est dicenda, multoque minus Historica: Huiusmodi Scriptoribus *omne ludicrum* solet esse in pretio; solet esse gratissimum, quicquid Poeticum est, imò quicquid vix Poetis concessum. Quid quæso magis iudicij inopem ostendit Historiæ scriptorem, *Quam alia, atq; alia oratio*, tam subito desinens, vt non breuis, sed abrupta sit; non desinens, sed cadens; vbi minimè expectes, relinquens; illis referta sententijs, vt post vnamquamq; aliud sit initium? Ab hisce Scriptoribus, si enimuerò petatur, non solùm *Qualia* sint Historicæ Artis pręcepta, ac nominatim illa, quę ad Vitas attinent, verum etiam *Quænam* sint laudabiles argutiæ, ac sententiæ, nedum quonam reponendę in loco, ignorant vt plurimum saltem; imò & sæpè ignorant, *Quid sit Argutia, quid Sententia*. Horum lumina ingenij per similia sunt Cadentibus Stellis, nõ vero fixis, aut errantibus syderibus. In oratione nominatim Ecclesiastici sententiolas argutas, etiam in clausulis, damnat *S. Hierony.* Epis. ad *Pam. & Nepot.* Huiusmodi scriptiones ad summum nomine Discursuum Academicorum decorentur, nullatenus Historiæ, aut Vitæ. 43. *Expediret*, vt qui Historiam vniuersalem scribit, in *vno* v.g. libro reponeret, quæ ad Italiam; in *alio*, quę ad Hispanias, in alio quæ ad Galliam &c. in *vno*, quę ad Res Ecclesiasticas, in *alio*, quę ad sęculares &c. spectant; Sic enim faciliorem, clarioremque notitiam lector rerum acquiret, magisq; connexa erit Historici oratio. Solum tunc referenda forent illi, dum agit v.g. de Gallicis rebus, quæ illis ex Hispanicis v.g. necessario adiuncta sunt. 44. *Cum aliæ virtutes* deceant Virum Magnatem, ac Vulgarem: *alię* in Dignitate Cõstitutum, ac Honori publicorum expertem, *aliæ* Virum sęcularem, *aliæ* Ecclesiasticum; *aliæ* Regularem, *aliæ* Sæcularem Clericum; *aliæ* Epi-

Episcopũ, *aliæ* Pontificẽ: *alia* Pontificẽ, vt personã priuatam, *aliæ* vt publicũ totius scilicet Ecclesiç Prçsidem; *alia* Principem, vt alios regentem, *alia* vt proprios tantummodò moderantem motus &c. habeat Historicus cognitionem virtutum maximè in vnoquoque laudabilium, adeoq; vitiorum maximè vituperabilium, vt possit pro merito vnumquemq; laudare, ac vituperare. Ex his commemoranda quç ad publicum bonum conducunt. 45. *Nullius seruitio Principis* se addicat Historicus, nec ab eo stipendium accipiat, longèq; ab auaritiç crimine, Honorumq; cupiditate &c. sit remotus; nam secus prçcipuas Historiæ leges violabit. *Principum* quidem, Magnatumque, eorumque præcipuorum Ministrorũ, Consiliarorumque; *Illorum* qui militibus præfuerunt in Bellis maximè cum summo imperio &c. (ac præcipuè si hi *Cæsarem* imitati Commentarios scribant, aut iubeant, etiam exactè illos scribi; quod fecisse e recentioribus nominatim dicuntur *Sereniß. Emanuel* Dux Sabaudiæ, & Marchio *Ambrosius Spinula* celeberrimi exercituum Imperatores) amicitia curanda ad exactiorem rerum omnium notitiam assequendam. 46. *Haud mos est eorum* amplectendus, qui toti fermè sunt in narrandis Bellis, exercituum conflictibus, obsidionibus; parci verò in Consilijs, negotiorumq; Tractationibus, Causis memorabilium effectuum, quos cçteroqui multi exponant &c. Multoq; minùs eorum, quorum præcipua ponitur opera in descriptionibus Vrbium, Prouinciarum, ac similium. Hi omnes in iudicio peccant, & cõtra Historiç finem; nam videntur habere sibi propositum potiùs Delectationem, quam Vtilitatem. 47. *Sibi imitandos* proponat illos, qui ante cæteros multis efferuntur laudibus, vt e Græcis *Polibium*, qui non minùs in Theorica, quam in praxi excelluit, *Herodotum* nobilissimum Historiæ inter Grçcos Parentem appellatum, *Diodorũ*, ac *Tucididem*; e Latinis *Cæsarem*, *Liuium*, *Curtium*; ex Italis *Guicciardinum*, *Cardinalem Bentiuolum*, *Auilam &c.* Nouerit tamen in eorum vnoquoque aliqua minùs laudari, imò & aliqua vituperari, & vnumquemq; etiam alteri in aliqua virtute excellere. Videtur *Curtius* minus accusari, quam quilibet alius. Quæ in singulis laudabiliora ad imitationem proponenda. *Sallustius* nominatim accusatur de breuitate in verbis, nõ in rebus, de malignitate in *Ciceronem*, de nimietate in cõcionibus, de abrupto loquendi genere, de obsoletarũ vocum vsu, earumq; nouatione; de Græcismis; de Carminibus insertis, ac prçsertim de obscuritate; & à nonnullis dicitur reponendus potius inter Moralium, quam Historiarum scriptores. Magis *Tacitus* reprehenditur: nam in illo aliqui deprehendunt mendacia; adulationes; malignas interpretationes; adeò exactas deprauatissimorum descriptiones morum, vt non tam illos narrare, quam docere videatur; nimiam verosimilium prosecutionem; ni-

miam sententiarum, siue præceptorum frequentiam; Poeticam orationem; obscuritatem, ac nominatim illam, quæ verbis aperta occultos sensus habet, & adeo frequentem, vt viri etiam in Latinis Scriptoribus versatissimi afferant se in illius lectione caligare. His addunt; *Tacitum* esse in delicijs Hominibus. 1. *Natura sua* acutis. 2. *Ad obscuritatem pronis.* 3. *Obtuso, hebetique ingenio* præditis, qui videri volunt ingeniosi, eo quod Tacito delectentur, eumq; se intelligere præseferant. 4. *Recondita, & abstrusa* rimantibus, & quibus vile videtur quicquid patet, & qui cum intelligunt, acumine suo delectantur, & gaudeant, nō quasi audierint, aut legerint, sed quasi inuenerint. 5. *Natura scribacibus*; hi enim amant *Tacitum*, quoniam sibi videntur posse in eum Commentari, ac famam, lucrumq; eo modo parare. 6. *Sententiarum*, & frequentium amatoribus. 7. *Curiosis* simul, ac maleuolis, siue malignis. 8. *Ab omni* penitus virtute *destitutis*: Subijciuntque; *Neminem ex Taciti lectione* factum *esse meliorem, aut etiam prudentiorem.* Quæ omnia an Vera sint, haud est in præsentia discutiendum. *Satis sit asserere*; laudes, quæ meritò *Tacito*, tanquam Historico deberentur, æquiori iure deberi *Liuio*, & *Curtio*; qui pretereà sunt optimi linguę Latinæ Auctores; quæ quidem laus haud *Tacito* tribuenda. Addendum; Vt aliqui sunt nimis *Tacito* infensi, sic alios esse nimis in illum beneuolos; hi aperta contra Historicam artem vitia in *Tacito* deprehensa, tanquam virtutes maximas *Taciti* (cui etiam Principem locum inter Historicos tribuunt) publicant. *Vtinam*, vituperabilis Politicę à Christianis moribus alienæ vius modò non ascribatur frequentiori illius Auctoris lectioni; & coram Deo saltem non luerint, vel luituri sint pœnas, qui plus ęquo illum commendarunt, commendantque. Haud priscis temporibus fuit is de *Tacito* sensus, qui recentioribus nostris. *At astuti, malitiosiq; Genij* censeri possent illi, qui voce *Tacitum* vituperarent; at callida illius cōsilia sequerentur, & à *Taciti* lectione reuocare conarentur alios, ne ipsorum versutia ex collatione cum *Taciti* dictis deprehenderetur: *Et hac quidem de Causa* aiunt quidam prudentes Viri; A *Nonnullis* quam maximè vituperari cuiusdam Historici, & Politici libros, qui, si diligenter enimuerò euoluantur, non sunt reprehensibiles, cum ille loquatur ex suppositione, & *Sapientis re ipsa Politici sit*, dum aliqui non possent, aut nollent adhibere media re vera Publicæ Tranquillitati opportuna, suggerere alia ad eamdem conducentia; quę licet vituperabilia per se, ex suppositione possunt esse laudabilia, cum laudabile sit e duobus malis minus eligere: Sic enim & Medici extremis malis extrema, periculosa, dubia adhibent medicamenta, cum cæteroqui ex Artis, vt sic, præscripto illa non forent adhibenda. 48. *Præceptis* potius, quam *Exemplis* in scribenda Historia se conformet illius scriptor. *Illorum*,


rum, & saltem præcipuorum, lex ferme stabilis est; *ista*, vt pote voluntaria, inconstantiæ obnoxia sunt. Præcepta quidem simul, & exempla antiquorum, si hæc non sint legitimè reprehensa, præ oculis habenda. Cum dubia sunt, vel verè probabilia Historicæ Artis præcepta (quorum certitudo, ac probabilitas maior à fine illius proximo dimetienda, vnàque à significatione vocis Historiæ tali Orationi, siue Sermoni à sapientibus viris imposita, sed primariò; nam hæc vox Historia sumi potest presſè, latè, propriè, impropriè, abusiue &c.) Poterit se illis verè probabilibus, aut probabilioribus cum laude cõformare Historiæ scriptor. Præter multa ab Historiarum scriptoribus, ac nominatim peritissimo *Polibio*, Historicæ artis præcepta Historijs ipsis inserta; præter multa indicata à *Diony. Alicarn.* de Hist. Tucid. ep. ad Pomp. & ad Tuber. ac in Iud. Vet. Scrip. qui & scripsit *Antiquit. Roman.* lib. 11. à *Plutar.* de malign. Herod. Ex antiquioribus *Lucianus* præclarissima edidit de *Histor. Scriben.* E Recentioribus tradunt illa *Patritius*, *Viperanus*, *Benius*, *Folietta*, *Barbarus*, *Cecus*, *Robortellus*, & alij recensiti in libro, cui Titulus, *Penus Artis Historicæ*; e posteriorib. *Strada* in Prolus. *Vossius* in Inst. *Mascardus* in 5. Tractatibus valde eruditis: Breues, dilucidos, ac satis accuratos de Historia Venetijs anno 1607. apud *Io: Baptistam Ciottum* vulgauit libros duos *Thomas Bonius*, Lucensis Ciuis, Academicus Romanus, Academiæ Ciuium Venetorum Rector, & Sacræ Theologiæ Doctor; Qui enimuero lectu dignissimi. 39. *Vt quis cum fructu* congruo Historias legat. 1. Haud eas legat temporis fallendi, aut otij quasi negotiosi reddendi causa; nec vt stylum, elocutionemq; discat; nec vt eruditiones obseruet; nec vt inepta quædam, ac ridicula, ac nullius ponderis colligat; Sed vt *ex illis* discat, *Quæ* sibi amplectenda, *Quæ* vitanda; adeoq; ad alienas virtutes vitam ornet, & componat; *Vt ex præteritis rebus* optima rerum gerendarum documenta hauriat, & ex ijs futurarum rerum exempla præcognoscat; adeoque instar fabulosi Bifrontis Iani & præterita sciat, & futura prouideat. 2. *Indicem habeat celeberrimorum omnium* Historicorum; *Tum eorum*, qui Vniuersalem, *Tum eorum*, qui particularium Prouinciarum, imò & Ciuitatum Historiam conscripserunt, cum annis in quibus, & Principibus sub quibus illi floruerunt, singulorumq; notis moribus. Vtinam aliquis imitaretur Diogenem Laertium in Vitis Philosophorum, Historicorum saltem illustrium omnium mores fideliter referens. Ex his autem *Veraciores* seligat; quos scilicet, nouerit fuisse bene morigeratos; nobili ortos genere, vel saltem non sordido; candidis moribus; e gente minus fabulis, aut adulationi, aut callidis quibusdam artibus dedita; nec fortunis, honoribusq; destitutos, nec illis valde affluentes; cum primarijs viris consuetudinem quidem habuisse, sed non intimam

omni-

omninò familiaritatem, multoq; minùs eorum seruitio addictos; ab auaritiæ crimine fuisse remotissimos, nec pepercisse sumptibus in Scripturis, literis, alijsque similibus fideliter conscriptis vndequaque colligendis; plurimas peragrasse Ciuitates, vel Prouincias, ac eas nominatim, quarum Historiam scripsit; habuisse fideles per diuersa loca rerum obseruatores; res maximè suo tempore gestas, nec de rebus à se, vel à suis, siue amicissimis, siue ciuibus &c. gestis conscripsisse; ac denique minorem gratiæ, & simultatis, minores animi perturbationes ex communi Sapientum, prudentumque suffragio exhibuisse &c. 3. *Epitomen aliquam vniuersalem* cōcinnam rerum omnium gestarum à mundi exordio ad nostra vsque Tempora, ijs quę ad *Cosmographiam*, & *Chronologiam* maximè spectant, peculiariter animaduersis, euoluat prius: ac postea *Historiam Sacram*, deinde à *Græcis* (quibus cum nulla apud eos fuerit olim Historiarum Annotatio, minor habenda fides) tum à *Romanis*, ac postremò ab alijs ex ordine, editas selectiores. 4 *Conferat*, quæ diuersi Historici de re eadem cōscripserunt: *Tum* vt exactiorem illius assequatur cognitionem: nam vnus sæpè addit ab alio omissa: *Tum* vt in quibus consentiant, dissentiantque, animaduertat: prętetque fidem maiorem, vel minorem, cuique pro merito. 5. *Præter Res Naturales* sedulò obseruet *Res* Politicas, *Res* Militares, *Res* probè, ac improbè factas, *Pręcipuasque* memorabilium effectuum *Causas*, cum omnibus antecedentibus, concomitantibus, ac subsequentibus. *Ad hæc* reuocari potest animaduersio conuenientiæ, & disconuenientiæ morum, consuetudinum, legum &c. tum Diuersarum nationum, tum Succedentium temporum, tum eiusdem Ciuitatis, ac Nationis hominum Labente ętate; Ducum in Bellis: Populorum, imò & Populi eiusdem Regiminis: Religionis in Deum: Educationis Puerorum, ac Iuuenum: Peritiæ in liberalibus Disciplinis &c. 6. *Haud cursim* Historiam perlegat. Multa quidem non multam exigunt sedulitatem, vt sunt descriptiones quędam, & illa quę ad Historię ornatum conferre, aut ad Delectationem tantummodo inserta fuisse videntur. At nonnullę non solùm Historię, vt quę breuiori, ac reconditiori stylo, verum etiam illustres narrationes repetitam, attentamque exigunt lectionem, vt omnia illis adiacentia perfectè intelligantur, firmiterque memorię mandentur. 7. *Cum nullius* hominis Ætas satis sit ad vel tertiam Historiarum partem, quę conscriptę sunt, legendam, licet perpetuo in hoc versaretur studio, prępter celeberrimas quasdam, euoluat tantum v.g. quæ ad Græcos, vel quæ ad Romanos, vel quę ad Ecclesiasticos tantum, vel quę ad Sęculares solummodo, vel quę ad Italos, aut Hispanos, aut Germanos, aut Gallos &c. spectant; Laudem enim, & ingentem meritò consequetur, qui esset in harum

vnaquaque versatissimus, licet aliarum mediocrem, aut leuem peritiam haberet. Nunquam verò omittat Historias, quæ de sua natione, ac Patria præcipuè conscriptæ sunt; neque enim par videtur, vt exterus illarum sit peritior: Imò cum in multis Ciuitatibus earum Historię, quæ à multis quamdoq; scriptæ sunt, in Archiuis, & apud quosdam priuatos Ciues seruentur, quæ iustis e causis, licet fideliter scriptæ, nō vulgatę sunt, eas curet Ciuis quilibet eruditus legere. Qui domicilium quoque aliqua in Vrbe figit, licet aduena, illius Vrbis, ac Nationis, apud quam degit, & primarias præcipuè, voluet Historias; sic enim Ciuibus illis quoque, ac Populis magis gratus euadet. 8. *Eamdem* prosequatur ex ordine Historiæ lectionem, in qua tamen ne sit nimis assiduus; quæ legit, secum meditetur postea, & aliquando etiam præclariora adnotet, alta voce etiam lecta proferat, cum alijs conferat, aliaq; præstet, quę in fine *cap. 6. de Libros legente* dicta sunt. *Quibus* hìc *addendum*: Cum quædam siue Historiam, siue alium quemlibet librum a Viro maximè sapiente, ac prudente scriptum legenti occurrere possint, quę cur ibi scripta, aut inserta fuerint, non appareat lectori cæterà erudito, & vix quædam intelligibilia sint, nec illa oscitanter, aut incuria, sed summa potius cum animaduersione ibi reposita fuisse absque dubio sit existimandum; *illorum* quidem notitia curanda ab Auctore, vel ab illis, qui cum illo familiaritatem habent, aut habuerunt. Prouidi enim scriptores nonnulla quandoquè, & opportuna inserunt libris, quæ nō sunt clarè explicanda, nec cuique patere debent; licet publicarum rerum conscijs ratio scriptorum cum illorum sensu possit esse manifesta. Quare Historici, & cuiusq; alterius celebris Scriptoris Vita omnis lectori pro viribus debet esse manifesta; ad sui enim, suorumq; Defensionem, prę sertim si iniuria publica fuerit illata, quædam ex occasione poterit Historię apponere, quorum haud congruam assequetur notitiam, nisi nouerit eum habere æmulos, aut habuisse inuidos, obtrectatores, detractores, eosque non vulgaris conditionis homines &c. *Si quis verò legat* Historias ad linguam Latinam edilcendam; Animaduertat; *Tum* quinam fuerit Historici *Ætatis Aureæ*, *Quinam Argenteæ &c.* *Tum* quęnam in vnoquoq; fuerint reprobata etiam ad Latinam spectantia linguam. *Tum* non in omnibus in oratoria, & soluta quauis oratione esse laudabilem eorum imitationem: Historicus enim stylus propria elocutionis instrumenta habet; Ideoq; nunquam in Rhetorica arte dicetur præcellere, qui haud nouerit eamdem rem Poetico, Oratorio, ac Historico stylo enarrare; & vt in hoc quidem se exercerent sedulo Auditores, a Rhetoricę Professoribus esset maximè elaborandum. 50. *Sit Historiæ tam Scriptor, quàm Lector Vir Probus, Religionis amator, omniumque cultor virtutum*. Vix fieri potest, vt

meritas virtutibus laudes, vitijs vituperationes tribuat, qui hisce contaminatus, ab illis alienus fuerit scriptoris animus: Nec qui scelerum labe fuerit aspersus, & ab ijs animum non seiunxerit, aut se ungere saltem non statuerit, libenter intuebitur Virtutum Imagines, quas ad imitandum præstantissimorum Virorum expressas scriptores & Græci, & Latini, & Ecclesiastici, & Sæculares reliquerunt, potiusq; delineata scelestorum vitia in se exprimere conabitur. Scriptori etiam non probo minor fides habetur; imò & ex animo non sentire illa etiam verissima, quæ de Virtutibus ac Vitijs profert, multi e prudentibus maximè putabunt; *Qui censebunt præterea*; lectorem etiam improbum dumtaxat ocij fugiend causa, vel ad eruditiones colligendas, vel ad aucupandam sibi gloriolam ex rerum gestarum narratione, vel ad imitanda scelera &c. Historias perlegere.



Perilluſtribus D. D.

GABRIELI, FRANCISCO,
LEONI, AC BERNARDO
E Gente CAVATVRTA Placentina,
Perilluſtrium,
D. THOMÆ Filijs,
D.D. IPPOLITI, & IOSEPHI Nepotibus;
Ob Vitæ Probitatem,
Miramq; in Omnes,
Sed maximè in Conciues Suos,
Humanitatem;
Singularem in Familiæ ſuæ Regimine
Prudentiam;
Negocijſq; Aggrediendis, Proſequendis, Conficiendis
Solertiam, nec non Eximiam Integritatem
Commendabilium:
Animaduerſiones Quinquaginta
PRO GRAMMATICÆ, AC LATINÆ LINGVÆ
STVDIOSO
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
Comes Placentinus
Parentis, atque Patruorum in Se
Non Immemor
Beneuolentiæ
D. D. D.

Caput Duodecimum.

G 2

1 SIngularem inter cæteros Cælites deferat Venerationem *S. Augustino*, qui licet ingenio fuerit acerrimo, ad omnesq; scientias planè idoneo, ac de omnibus fermè scientijs libros cōscripserit, nominatimq; Theologicos, propter quos Theologorum Princeps ab omnibus semper habitus fuit, & habetur; non est tamen de Grammatica quoq; libros conscribere, ac publicare dedignatus: Quem imitatus est illius in virtutibus, doctrinaq; sectator *S. Bonauentura* Sextus Ecclesiæ Latinæ Doctor pijssimus, & acutissimus. 2 *Caueat* à nonnullis nominatim vitijs, quæ Grammaticis tribui solent. Et *Primò* quidem *A Superbia*. Hoc in illis vitium notauit iam *Quintil. lib. 1. Instit. c. 1.* Sic inquiens. *De Pædagogis hoc amplius dictum, vt aut eruditi sint plane*; quam primam esse curam velim, aut se non esse eruditos sciant: *Nihil enim peius ijs, qui paulum aliquid vltra primas literas progressi, falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt*; nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & velut iure quodam potestatis, quo ferè hoc hominum genus intumescit, *imperiosi, atque interim sæuientes stultitiam suam perdocent.* Hæc ille. Sed & nostris temporibus multi Grammaticæ Professores sibi tantum arrogant, vt in Corporis etiam motu, habituque nō plus arrogare possent, qui scientijs forent instructissimi, scientiarumq; Enciclopediam possiderent. Verissimum illud est; *Quò quis* minùs sapit, eò altius de se sentire, maiora non rarò præ verè sapientibus superbię argumenta præferre, cæterosq; minori in pretio habere. Cum huiusmodi Grammaticis de nulla re prorsus homini prudenti cōtendendum. *Secundo A Detractione*. Hoc animaduertit in illis crimem *Sextus Empiricus* sic dicens. *Vidimus etiam Grammaticos, qui fere ne duo quidem verba dextrè possunt contexere, velle vnumquemque ex antiquis, qui dicendi facultate, & Græci sermonis proprietate plurimum valuerunt, vt Thucydidem, Platonem, Demostenem, tanquam Barbaros reprehendere.* Inter hos numeratur peculiariter *Seruius*, qui Virgilium, Horatium, aliosq; linguę Latinæ Auctores locupletissimos, quasi die dicta in crimen vocare non dubitauit. Detrahunt autem nominatim illis, qui alijs instructi sunt Disciplinis, vt idem *Empiricus* perpendit illis verbis. Maximè de artificio suo sibi placent, eq; magnificè iactant Grammatici: *Eos autem semper insectantur, qui alijs ornati sunt Disciplinis &c. Et quando in Disputatione premantur, sæpe non inueniunt aliam eludendi rationem* ad abstrahendos eos, cum quibus disputant, quam quod *barbara sit*, ac *solæca eorum oratio*. Interfunt Grammatici quandoque Lectionibus, ac Disputationibus de Theologicis, Philosophicis &c. Vt solùm animaduertant, an Legentes, vel Disputantes in aliquem barbarismum, vel solæcismum labantur: Si illum deprehendant, & maximè si ex ore alicuius, qui laudes in scientijs habeat, exciderit, læti quasi gra-

tissimam sibi venati fuerint prædam, illum tum amicis Grammaticæ sciolis, tum alijs etiam, qui haud eum in eodem consistentes loco animaduerterant, plenis, vt dicitur, buccis publicant ad illius Viri æstimationem pro viribus minuendam. Si autem hi, vel primoribus labijs scientiæ alicuius fontes prægustarint, non tantum neminem sibi parem in illa scientia arbitrari solent, verùm etiam cum præstantissimis in eadem Viris contendere, imò et illos quandoq; imperitiæ, improbabilitatis, impietatis, temeritatis, erroris, imò & hæresis insimulare audent. Hi plerumque apud Idiotas de omnibus ferme scientijs differunt, Casus etiam Conscientię difficillimos soluere cõtendunt; & vt aliquam laudem aucupentur, nonnullas discunt voces, nonnullas distinctiones, nonnullos loquendi modos, qui a Scientificis vsurpari solent, passimq; eos proferunt, vt in illis scientijs peritiam præferant. Si autem ad locum, in quo ipsi aliquam sapientiæ famam adepti sunt, accesserit Vir verè sapiens, si minùs illius detrahere sapientię queant (*quod tamen primò conantur*) si quæ in illo vitia (*nemo autem sine crimine viuit*) sollicite animaduertunt, publicant, exaggerant &c. *Tertio* Ab *Auaritia.* Hanc in illis deprehendit *Quintil. cap. vlt. lib.* 12. *Instit.* qui cum vereretur, ne *aut magna nimium* videretur exegisse, qui eumdem virum bonum esse, & dicendi peritum voluerit, aut *multa*, qui tot Artibus in pueritia discendis morum quoque præcepta, scientiam Iuris Ciuilis &c. præter illa, quæ de Eloquentia, tradiderat, adiecerit, quæq; necessaria esse credidisset; vbi habu, *Id quod prius quodque maius est vt boni viri simus, voluntate maximè constat; quam qui vera fide induerit, facilè easdem, quæ virtutes docent, artes accipiet &c.* Subdit; *Cætera verò etiam,* si ætatem nostram nõ spatio senectutis, sed *tempore addolescentiæ* metiamur, abundè multos ad discendum annos habent; *Omnia enim breuiora reddet* Ordo, & Ratio, & Modus. Sed *Culpa* est in Præceptoribus Prima libenter detinentibus Puerum, *partim CVPIDITATE* diutiùs exigendi mercedulas, *partim* ambitione, quò difficilius sit, quod pollicentur; *partim* etiam inscitia tradendi, vel negligentia: *Proxima* in nobis, qui morari in eo, quod nouimus, quam discere, quæ nondum scimus, *melius putamus.* Et in hoc quidem peccare possent etiam illi, qui de stipendio in docenda Grammatica haud conuenirent, loco tamen illius alia reciperent, quæ maioris interdum pretij possunt esse, quam si consuetum præberetur stipendium. *Ad hanc auaritiæ notam* subterfugiendam licet idem *Quintil eodem lib. in fine c. 6.* concedat illis, quorum res familiaris amplius aliquod ad vsus necessarios exigit, à discipulis mercedes accipere; imò afferat, *neque enim video*, quæ iustior acquirendi ratio, quam ex *honestissimo labore*, & ab ijs, de quibus optimè meruerint, quique si nihil inuicem præstent, indigni fuerint defensione;

Quod

Quod quidem non iustum modo, sed *necessarium* etiam est, cum hæc ipsa opera, tempusue omne alienis negotijs datum, *facultatem aliter acquirendi recidant:* Addit hæc tamen; *Sed tum quoque tenendus* est modus; ac plurimum refert, & à *quo accipiat*, & *quantum*, & *quousque*. Paciscendi quidem ille piraticus mos, & imponentium periculis prætia procul abominanda, negotiatio etiam à mediocriter improbis aberit, cum præsertim bonos homines, bonasque *causas tuenti* (loquitur ibi *Quintil.* de Oratore, verum accommodari queunt etiam, & valdè apposite, ac merito etiam Grammaticam docenti) non sit metuendus ingratus, qui si futurus, malo tamen ille peccet. *Nihil ergo acquirere volet Orator* (vel Grammaticus) *vltra quam* satis erit; ac ne *pauper* quidem tanquam *mercedem* accipiet, sed mutua beneuolentia vtetur, cum sciet se tantò plus præstitisse; quia nec væniere hoc beneficium oportet, nec perire. Denique, vt *gratus sit*, ad *eum magis pertinet*, qui *debet*. Huic Quintiliani monito haud obtemperant illi Grammaticę Professores, *Qui* sufficientia sibi, ac suis, quorum egestati consulere tenentur, & quandoq; etiam plusquam sufficientia, possident: *Qui* paciscuntur de mercede, ac tanta: *Qui* etiam minùs amant eos Auditores, qui vltra mercedem donaria nonnulla certis diebus non deferunt, quæ iure quodam exigunt ita vt non amplius donaria, sed merces re ipsa appellanda sint, ac pręscribunt interdum si aliqua extra consueta etiam huiusmodi tempora ad se deferantur. *Qui* præcipuum in hoc reponunt studium, vt plurimos, ac ditiores habeant auditores (cum tamen præceptor bonus non maiore se turba, quam sustinere eam possit teste eodem *Quintil. lib.* 1. *c.* 2. non se onerare debeat) & ad id etiam alios, qui in eadem Ciuitate, aut eodem oppido Grammaticam docent, minùs laudant, aut etiam vituperant immeritò. Huiusmodi crimine se maximè obstrictos declarant illi, qui cum satis copiosum e Discipulorum mercedibus patrimonium sibi compararint, & à quibus vt potè iam ætate grauibus receptui esset canendum, ac intermittendi labores, fructusq; laborum præteritorum sine vlla animi, corporisq; molestia essent percipiendi, *Adhuc docent*. Auaritiæ crimen *Senum* est maximè proprium; multoque (quod vix credi potest) parum laborāt de protrahendis vitæ terminis, dummodo in arca pecuniæ reposita summa magis protrahatur. *Quarto* A nimia quadam Seueritate. Idem enimuerò *Quintil eodem lib* 1. *c.* 3. hæc scribit. *Cædi verò discentes*, quamquam & receptum sit, & Chrysippus non improbet, minimè velim. *Primum*; Quia deforme, ac seruile est, & certè quod conuenit, si ętatem mutes, iniuria; *Deinde*, quod si cui est mens tam illiberalis, vt obiurgatione nō corrigatur, is etiam ad plagas, vt pessima quæq; mancipia, durabitur; *Postremo*; quod ne opus erit quidem hac castigatione, si assiduus studiorū exactor asti-

terit.

terit. *Nunc fere negligentia Pædagogorum* sic emendari videntur, vt pueri non facere, quæ recta sunt, cogantur, sed quod non fecerint, puniantur. *Denique* cum paruulum verberibus coegeris, quid iuueni facias, cui nec adhiberi potest hic metus, & maiora discenda sunt? Adde, quod multa vapulantibus dictu deformia, & mox verecundiæ futura, sæpe dolore, vel metu exciderunt, qui pudor refringit animum, & abijcit, atq; ipsius lucis fugam, & tædium dictat: Iam si minor in deligendis custodibus, & præceptorum moribus fuit cura, *pudet dicere*, in quæ probra nefandi homines isto cædendi iure abutantur, quam det alijs quoque nonnunquam occasionem hic miserorum metus. Non morabor in parte hac; *nimium est, quod intelligitur*. Quare hoc dixisse satis est, *In ætatem infirmam, & iniuriæ obnoxiam, nemini debet nimium licere*. Hæc prudentissimus ludi literarij Magister. Nec negari potest, quin aliqui Grāmaticæ Professores vocandi sint *plagiarij homines, carnificibus* quidem, vel potius illis, qui in *triremibus* puniendis remigibus præfecti sunt, persimiles, acerbiusque interdum tractent pueros ad erudiendum sibi traditos, quam si serui essent; cum tamen *ante omnia* (monente eodē lib. 2. c. 2.) *sumere deberent* Parentis *erga Discipulos suos animum, ac succedere in eorumdem locum, à quo sibi liberi traduntur, existimare*: *Si* pro loco, ac tempore pueros laudent, & obiurgent (vitatis tamen contumelijs, nam *id* teste eodem multos à proposito studendi fugat, *quod quidam sic obiurgant, quasi oderint*) *si* Grauitatem quamdam in moribus, vultuq; ipso prętferant, ita tamen vt *eorum austeritas non sit tristis*, sicut nec *comitas dissoluta*; *Si* æmulationem inter Discipulos acerrimè, varijsq; artibus promouerint, de qua idem Quintil. lib. 1. c. 2. raro saltem verborum vsus illis erit necessarius, maximè cum pueris nobili genere ortis. Generosi equi nec calcaribus admotis indigere solent. Legatur ad id *Plutarcus* de Educandis Pueris. Si quando autem verberandi sint Pueri 1. *Haud quædam* adhibeantur instrumenta, ad imprimendas cicatrices, vel sanguinem extrahendum apta. 2. *Quædam partes* immunes sint omnino a percussione, nec solitæ tegi vnquam denudentur ad percussionem. 3. *verbera* sint pauca, nec identidem repetita. 4. *Puniantur solum* pro delictis Scholasticis, & in schola Patratis, siue ad mores, siue ad studium spectantibus, non verò pro delictis commissis extra Scholam, siue in Parentum, Consanguineorumq; Domibus; neque enim Magister est horum minister in illorum punitione delictorum. 5. *Nunquam illos* castiget ira percitus Magister; nam facillimè æqui limites prætergredietur. Salubre consilium est, vt punitionis tempus differat, cum ira se premi cognoscit; id enim quoque efficiet, vt Auditores sibi suadeant, merito, quę sibi post horas, aut dies, quibus innotuit delictum Præceptori irrogabuntur, pœnas iure sibi irrogari; 6. *Nisi delictum*

sit

sit certum, certam haud imponat illi verborum pœnam: Quare non sine delectu pueris de alijs condiscipulis narrantibus fidem præstet. 7. *Si viderit*, nec laudes, nec obiurgationes, nec pœnas satis esse ad aliquos in officio continendos, eos à schola dimittat. 8. *Rarior omnino, ac leuior sit* verberum vsus cum ingenuis pueris, quam cum alijs; nec vlli vnquam ita educentur, vt nisi verberum timore præscripta in scholis obeant. 9. *Verberum loco* aliæ adhibeantur pœnæ, & variæ; leuiores, grauioresque istæ pro delicti mensura. 10. *Vbi quemcumque* debita pœna affecit, vel etiam satis obiurgauit, in illum eamdem vultus comitatem (nisi aliquandiu seueritatem quamdam ad continendum illum magis in officio suadeat prudentia) præferat, quam prius; abijciunt enim animum pueri, illibenter accedunt ad scholam &c. 11. *Vbi ab omnibus*, vel *plerisq; delictum* fuerit patratum punitione dignum, puniat tantùm qui in illo fuerunt principes: quos si ignoret, aut dissimulet quousque illos inueniat, aut ex illis, quos certò nouerit illud patrasse, quosdam etiam forte eligat tantùm puniendos. Periculosum est, simulque indecorum Præceptori in omnes, vel in quamplurimos, verberibus animaduertere. Prudens dissimulatio quandoque est opportunissima. Data occasione possunt multi sine vllo periculo, vel tumultu puniri. 12. *Si quis repugnent*, quo minus verberentur; *aut* etiam prudenter timetur, ne verba quædam minùs honesta, & incongrua illi, qui verberandi sunt, omninò iaciant in ipsos verberantes; ac multò magis si vel probabiliter suspicatur, quod sibi aliquod incõmodum sit allaturus qui verberibus etiam dignus est, ab his omninò verberandis abstineat Pofessor; prepõderat illius honos, cui sępè contumeliosum verbum detrahit multum, cuiq; fructui tunc ex pœna infligenda reportando, & præter Dignitatem Magistri est cogere, instar lictoris, puerum ad subeundam pœnam. Salubrius est nonnullos e schola dimittere, vel Scholæ ingressum interdicere. 13. *Non laudatur* mos, tanquam minus Professoris Grauitati congruus percutiendi manibus genas pueri, vel digitis attrahendi aures, capillos &c. nisi leuissimè fiat, & cum puerulis. Multoq; minùs laudatur percussio vlla in quacumq; capitis parte. Ita verberentur manus, ac tibiæ, vt solummodo dolorem percipiant. 14. *Ipse Professor* potius verberet, quam alium adhibeat Correctorem; *tum quia* alteri Correctori sæpe periculum imminere potest; *tum quia* æquiori animo verbera etiam æquo grauiora patiuntur à Magistro Discipuli, quam ab alio &c. *Meminerit*, antequam cædat vllum, Præceptores plebeio, ac rustico genere ortos esse ad verbera procliues, ac præ ingenuis immaniores; *secumq; recogitet*, An Parens illius Pueri in tali casu verberibus, vel huiusmodi verberibus esset illum affecturus. Nunquam certè ex minùs propenso in vllum animo puniat, aut in-

punitione excedat. Solent pueri minus iustam punitionem memori custodire animo, maturamq; assecuti ętatem quandoq; illam vlcisci. Ab illis enimuerò semper infligendis se remotissimum ostendat, ac re ipsa declaret, se inuitum cogi, & in summum pueri beneficium (quod re vera interdum est id) à se præstari. *Quinto* à Criminibus nominatim, quæ sexto Decalogi præcepto aduersantur. Hac de causa *Quintil. lib. 1. c. 2.* vult à prudentibus parentibus *præceptorem eligi sanctissimum quemque*, & *disciplinam*, quę *maximè seuera fuerit*; Prius autem dixerat; si *studijs quidem Scholas prodesse moribus autem constaret nocere, potior mihi ratio viuendi honestè, quā vel optimè discendi videretur*; adeoq; potius eligenda est Schola, in qua minùs in Grammatica, magis autem in moribus proficiat puer præ illa, in qua magis in Grammatica, minus autem in moribus proficeret; Et lib. 2. c. 2. monet *Magistrorum in primis inspiciendos* mores. *Quod ego* (inquit) *non idcirco potissimum* in hac parte tractare sum aggressus, quia non in cęteris quoque Doctoribus idem hoc examinandum quam diligentissimè putem, sicut testatus tum libro superiore, sed quod magis eius rei necessariam mentionem facit ætas ipsa discentiam: Nam & adulti ferè pueri ad hos Præceptores transferuntur, & apud eos iuuenes etiam facti perseuerant: Ideoq; maior adhibenda tunc cura est, vt & *teneriores animos ab iniuria sanctitas docentis custodiat, & ferociores à licentia Grauitas deterreat.* Neq; verò sat est summam præstare abstinentiam, nisi disciplinæ seueritate cōuenientium quoq; ad *se mores astrinxerit.* Et post pauca. *Ipse nec habeat vitia, nec ferat.* Ac in fine. *Pueros Adolescentibus sedere permixtos* non placet mihi; Nam etiamsi Vir talis, qualem esse oportet studijs, moribusq; prępositum, modestam habere potest iuuentutem; tamen vel *infirmitas a robustioribus separanda est*, & carendum non solum crimine turpitudinis, *verum etiam suspicione.* Hæc notanda existimaui; *nam vt absit ab vltimis vitijs ipse Præceptor, ac Schola ne præcipiendum quidem credo &c.* Debet ergo Grammaticæ Professor esse huiusmodi, vt nulla prorsus Turpitudinis nota illi meritò inuri queat; adeoq; nulli ex auditoribus suis se valde familiarem exhibeat, nominatim si ille sit facie decorus, nec cum illo, nisi in publico loco, alijsue præsentibus colloquatur &c. *Ex his videre est*, quam prudenter nonnulli potiùs domi, quam in scholis, & maximè publicis, & quę cuiq; patent, vellent filios suos Grammaticam doceri, licet per se vtilius foret in illis, quam priuata in domo hac arte imbui; *Cum scilicet prudenter timerent*, licet maiorem progressum in literis facerent ibi, minus tamen bonis moribus præditos, siue morigeratos euasuros; ex nimia autem Discipulorum turba, & maximè non selecta, fit plerumque, vt multi sint vitijs nonnullis coinquinati, nec Præceptor satis eorum Gestis inuigilare queat; facilè autem vitiorum maculis asperguntur

guntur teneriores puerorum mentes. *Et consultius* quidem aliqui putant simpliciter esse rectæ puerorum educationi, vt Viri nobiles nominatim, si habeant Grammaticæ Professorem idoneum, virtutum cultorem (& non parcendum quidem sumptibus, cum vix congruum stipendium haud vnquam tribui possit illi, indecorumq; sit enimuero saltem copiosiori donare alium e famulis) velint domi in Grammaticis instrui filios suos, adhibitis sex, aut octo alijs pro filiorum numero eiusdem conditionis, ac ætatis, propensis tamen ad studia, pueris, qui in eodem prorsus Grammaticę stadio decurrant. Nihil quidem potest esse noxium magis Puerorum moribus, si non probis moribus sit excultus ille, qui illis tantum domi Grammaticam tradit; nam publicus magister intimam adeo familiaritatem nequit habere cum auditoribus, qualem priuatus, multosq; videt ille obseruare sua facta, dicta &c. Et Relegandi quidem forent tum e priuatis Domibus, tum e publicis Scholis Professores quicumque Grammaticæ, ac Latinæ Linguę, qui licet præstantissimos in his primis Disciplinis redderent Discipulos, vitijs tamen illos inficerent. Magis expedit Familiarum, ac Ciuitatum bono, vt Filij, ac Ciues potius sint illiterati, quam improbi. *Sexto* Ab *illo Ambitionis Genere*, quæ illos à Discipulorum profectus cura retardat. Hinc idem *Quintil. lib. 1. c. 2.* iubet Magistros, *si tamen ambitiosis vtilia præferre velint, cum adhuc rudia tractant ingenia, non statim onerare infirmitatem discentium, sed temperare vires suas, & ad intellectum audientis discendere.* Nam vt vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt, sensim autem influentibus, vel etiam instillatis complentur: Sic animi puerorum, quantum excipere possint, videndum; *Nam maiora intellectu velut parum aptos ad percipiendum animos non subibunt.* Hinc fit, vt plerumque sit vitandus ille qui simul cum Grammatica Rhetoricam, & multò magis, si Logicam, vel Philosophiam doceat; Hic enim vt plurimum *vel nulla* ex his Disciplinis satis est imbutus; *vel si in* Grammatica peritus, gloriolæ, aut pecunię causa ex alijs penitus descripta Logica, aut Philosophica dictat; *vel non satis* commodè horum omnium promouere potest profectum, *vel difficilimè* se puerorum captui in Grammaticis accommodabit, ac nonnulla eos docere sataget, ad quæ percipienda ætas illa verè non est idonea: Quod Vtinam nullibi experientia iam patuisset in non paucis, qui in huiusmodi Scholis diu educati, nō satis nec in Grammatica, nec in Philosophia instructi prodierunt. 3. *Laudem non reponant* suam Grammaticæ Professores in habenda Auditorum multitudine, sed in efficiendo vt illi: qui ex sua prodeunt, Schola, in Grammatica præcellant. Nunquam prudentes Viri commendabunt Grāmaticum, apud quem viderint nimiam Auditorum turbam, sed illum, sub cuius disciplina multum proficere Auditores

nouerint. Hinc expedit illi pauciores, sed selectos habere Auditores; hoc est, quos laus excitet; quos gloria iuuet; qui fleant victi, qui facile percipiant, fideliter contineant lecta, aut dicta, quæ discunt probe effingant, quędam interrogent sequentes magis, quam præcurrentes ex Quintil. lib. 1. c. 3. *Sicuti etiam* expedit Parentibus, & alijs copiosius stipendium præbere Professori Grammaticę peritiori, & qui certos numero velit tantum instruere auditores, quam minus perito, & maximè si obuios quosq; admittat. Non puerorum profectui, imò nec rei ipsimet familiari satis consulunt illi, qui quærunt magistros, quibus minus tribuant stipendium: Non ne vident, hosce solere esse imperitiores, & præterea sub magis peritis duorum v. g. annorum spatio fore, vt in Grammatica excellerent, cum tamen sub minus perito vix quinque sex, & amplius annorũ decursu eumdem profectum non sint facturi? Computent hi quidem sumptus; cognoscent enimuerò, se non satis Oeconomiæ etiam ipsi consuluisse: Præterquam non est habenda ratio sumptuum longe maiorum in aptiori Filiorum educatione? quorum sæpe non habetur ratio, à Viris nobilibus nominatim, in alijs etiam, quę ad eorum Vtilitatem, Honorem, imò & Voluptatem, quandoq; etiam non omninò congruam, conferunt, ac in multis interdum, quæ superuacanea sunt omnino. 4. *Ne putet Grammaticus esse* breue, ac leue Grammaticę studium. Perrari sunt, qui exploratissima Grammaticæ Artis præcepta habeant, & qui ea executioni mandare nouerint. Ars ista (vt benè *Quintil. lib. 1. c. 4.*) plus *habet operis*, quam *ostentationis*, & plus *habet in recessu*, quam *in fronte promittit*. Non minoris est laboris illustrem re vera euadere Grammaticæ, quam Philosophiæ, Geometrię &c. Professorem; nec minor in suo genere laus illi, quam huic debetur. Haud sunt Grammatici, qui nudas vt sic regulas, vel quasdam solum perspectas habẽt. Illæ riuuli sunt in fontibus ipsis pręgustandi. Grammaticę fines sunt amplissimi. Non paucæ sunt in Grammatica Difficultates, quarum solutio à multis, qui se illius etiam peritissimos profitentur, ignoratur: Multa sunt inter Grammaticorum (& in his quibus adhærendum potiùs, non satis perspectum) etiam Principes Controuersa; Aliqua solertiori indigent explicatione: Nonnulla reddenda faciliora: Quædam iam à plerisque recepta meritò reijcienda; Multæ sunt Grammaticæ species; neq; enim solum Latina est, verum etiam Italica, Gallica, Hispanica &c. Prętereа licet quis in his, alijsq; ad Grãmaticam spectantibus esset satis versatus, non fit vt sit ad Grammaticas leges tradendas aptus; quę aptitudo saltem maior oritur ex diuturniori magisterio. *Hinc* Grammaticæ Professor, cęteris omnibus dimissis studijs, in hoc toto incumbat pectore, eoq; alacriùs, quò perpenderit, hanc artem esse vtilissimam, imò, & necessariam, honestis-

stissimamque, & inter cęteras tractandam à viris solummodo probis. 5. *Caueat Grămaticus* ne suas omittens partes, alienas, nominatimq; Rhetoris vsurpet. Quod vitium in illis suo etiam tempore, *Quintil. lib.* 1. *c.* 2. notauit, aitque illos ad *Prosopopaias vsque*, & ad *Suasorias*, in quibus onus *dicendi vel maximum, irrupisse*; quod cum egerunt, *Rhetoris officio functi sunt* (inquit) non suo. Concedit quidem ille Grammaticis, *vt doceant scribere sententias & Chrias, & Ethologias, subiectis dictorum rationibus*; imò & Æsopi fabellas, fabulasq; Poeticas narrare sermone puro: vult autem *lib.* 2. *c.* 1. vt Rhetor incipiat primò à *narratione Historiarum* nominatim, & à *laudandi, vituperandiq; opusculis*. Non ita facilè hoc periculum laudati Rhetoris partes vsurpandi imminet illis, qui communiter nostris temporibus Grammaticam docent. *Vtinam Auditores* ex eorum disciplina recederent instructi satis in Ciceronis, Virgilij &c. intelligentia; in scientia Epistolas latinè conscribendi, arteq; illas conficiendi; Vtinamque Præceptores ipsi hanc artem etiam callerent, quæ Grammaticæ tamen communiter censetur annexa. Facilè quidem in illud vitium labi possent ij, qui Rhetoricis imbuti se tradendæ Grammaticæ vel necessitatis, vel lucri causa se dicarent. 6. *Cum Grammatica plures admittat Classes*, consultissimum est, vt ab infima, quæ orationis partes docet inter se connectere, si non ab illa, quæ in legendo, & scribendo alios instituit (quod tanquam opus charitatis voluisset *S. Ignatius* illustrissimus Fundat. *Soc. Iesu* exerceri à suis ordinariè, si is suo tempore personarum numerus Societati suppetijsset, vt illi vacare potuisset, vt ipsemet *p.* 4. *Constit. c.* 12. *L.C.* apertè habet) ordiretur, eosque auditores semper perfectiori Grămaticæ cognitione imbueret. Maiori hinc profectui maior quoque beneuolentia Professoris in Auditores, horumq; veneratio in illum esset annexa. 7. *Duas ad* summum classes habeat Grammaticæ Professor profectus discipulorum studiosus, in quibus numerentur diuersæ Grammaticis discentes; nam si plures habeat, vt par esset, munere suo fungi nequibit. Vsus *subdocentium* in eadem schola debet esse perrarus; *tum quia* solent esse vt plurimum parum periti, cum tamen optimo præceptore statim vtendum esse *Quintil. lib.* 2. *c.* 3. euincat; *tum quia* si periti sint, non facilè se discentium captui accōmodant, nec necessariam ad puerorum profectum operam adhibere solent, vt pote scientes; eorum instructionem non primariò ad se pertinere, laudemq; profectus tribuendam simpliciter Professori, cuius ipsi sunt quasi Vicarij; Qui etiam existimare queunt non se teneri ad exactiorem diligentiam, eo quod congrua merces sibi à Professore non tribuatur. Si autem necessitate, vel alia simili de causa coacti munus illud obeant, multò minus sedulò illud obibunt. *Accedit* horum in docendo ratio diuersa à Professore primario,

mario, quę non potest non esse valde Auditorum progressui incōmoda: & experientia quidem patet, si morbo, vel alia de causa detentus aliquot dierum, vel hebdomadarum spatio non possit ad scholam accedere Professor, licet alius doctior etiam illius locum excipiat, minorem tunc progressum fieri ab auditoribus, imò sæpissimè redeuntem Professorem cogi iam tradita à se iterum tradere, vt pote quæ e memoria illis exciderint. 8. *Licet aliqua a studijs cessatio* concedenda sit omnino Auditoribus (quibus & cōcedendus aliquis ludus ex *Quintil. lib. 1. c. 3.*) laborq; docendi sit quandoque à Professore ipso intermittendus: *Ne tamen* frequentes, ac nimis protractæ sint huiusmodi Vacationes; nam e puerorum memoria facilè labuntur, quæ iam didicerunt, cogiturque Præceptor nouum subire laborem; multorumq; spatio dierum est desudandum, vt Auditores cum alacritate cursum prosequantur studij, à quo nonnullis diebus destiterunt; nec semel periculum est factum, *die Lunæ* causa antecedentis festi Auditores minùs alacres ad Grammaticam accedere, minùs apte scribere, imò & scripsisse thema die Dominico illis pręscriptum, quam insequentibus diebus, in quibus assiduè frequentatur ab illis Schola. Et in *Reg.* quidem *37. §. 1. Prouincial. in Rat. stud. Soc. Iesu* circa ipsas Anniuersarias Vacationes Generales præscribitur, vt *Vacet Humanitas* tribus hebdomadis: *Suprema Grammatica* duabus: *Vna tantum reliquę.* 9. *Licet Iuuenes*, & Adolescentes possint esse pluribus senibus in docenda Grammatica aptiores, imò & quandoque moribus magis probis exornati; per se tamen præferendi semper, qui maturam iam sunt assecuti ętatem, licet non adeò in Grāmatica excellerent; *tum quia magis* hi solent à quibusdā vitijs esse remoti; *tū quia* hi maiorē quamdam apud auditores obtinere solent auctoritatem. Præferendi quidem per se illi, qui diuturniori tempore, & cum laude versati sint in docenda Grammatica ijs, qui se illius peritissimos profiterentur, imò & re ipsa peritiores forent, si tamen non adeò in Docendi munere versati. Illorum etiam Scholæ per se frequentandæ magis, quibus præsident Professores quasi perpetui, quam qui Temporanei, siue ad Tempus. Incommoda grauia, quæ ex mutatione Magistrorum in Politioribus literis oriebantur, cognoscens inclita *Soc. Iesu* iubet Prouincialem Soc. *perpetuos Grammaticæ, ac Rhetoricæ Magistros quam potest plurimos parare: imò & in ipsa Societatis ingressu aliquos hac conditione recipere, vt vitam suam in his literis docendis Diuino obsequio vacent.* Sic habet *Reg. Prouinc.* 24 & 25. *in Rat. stud.* Mirantur quidem aliqui, quod & *Humaniores literæ non floreant, vt antea in Societate*, sed & *alicubi etiam langueant* apud Societatem, vt tradit ipsemet P. *Aquauiua Generalis* initio *Instruct.* 20. *Et hi perpetuò Magistri* perrari sint: cum tamen Humaniores literas profitentes enixè commendauerint tum

Gene-

Generales tum Congregationes Generales Superioribus, & singularibus priuilegijs illos donauerint, vt videre est nominatim in *dec.* 15. *Cong.* 5. *dec.* 26. *&* 92. *Cong.* 7. Verum in huius mali indaganda causa haud est immorandū modo. *Viderint illi.* Satis sit modò innuere, *Iuuenem* per se esse minùs idoneum ad Gramaticæ munus cum laude obeundum; *& quo quis longiori tempore* versatur in tradenda Grammatica, per se esse, fieriq; semper aptiorem. Inepti quidem ad labores Professoris subeundos, qui senilem iam attigerunt ætatem, aut valde viribus infirmi sunt. *His addendum*: Haud esse per se expediens Ciuium in humanioribus literis profectui, pacisci cum quibusdam de perpetuitate magisterij, quod munus debeant ipsi per se, vel alios obire statuto in singulos annos stipendio, vel perpetuis ad id illis assignatis redditibus, ita vt mutuus contractus perpetuus ex vtraq; parte sit, sed in singulos annos, vel ad summum in singula triennia, vel quadriennia illi ita præficiantur Scholis, vt post illa saltem sit omninò liberum eos vel dimittere, vel admittere iterum. Experientia declarare posset, tales Magistros fieri pedetentim negligentiores, vel primorum forsan præstantium loco subrogari sæpe vel parum idoneos, vel etiam ineptos, nec licet reclamantibus Ciuibus posse huic malo occurri. 10. *Animaduertat Grammaticæ Professor*, se non posse cum laude munus obire suum, ne dum si in Oratorum, Poetarum, ac Historicorum lectione nullatenus sit versatus, verum & si omnino expers sit eloquentiæ, Mathematicæ, ac Philosophiæ nominatim. Habet id expressè *Quintil lib.* 1. *c.* 4. vbi cum Grammaticam diuisisset in duas partes, rectè *loquendi scientiam, & Poetarum enarrationem*; subdit; *Nec Poetas legisse satis est: excutiendum omne scriptorum genus*, non propter historias modò, sed verba, quæ frequenter ius ab auctoribus sumunt; Tum nec citra *Musicem* Grammatica potest esse perfecta, cum ei de *Metris*, Rhytmisque dicendum sit; *Nec si rationem siderum* ignoret, Poetas intelliget, qui (vt alia mittam) toties Ortu, Occasuq; signorum in declarandis temporibus vtuntur. Nec ignara *Philosophiæ*, cùm propter plurimos in *omnibus ferè carminibus locos ex intima quæstionum naturalium subtilitate* repetitos, tum vel propter *Empedoclem* in Græcis, *Varronem*, ac *Lucretium* in Latinis, qui præcepta sapientiæ versibus tradiderunt. *Eloquentia* quoque non mediocri est opus, vt de vnaquaque earum, *quas demonstrauimus, rerum, dicat propriè, & copiosè.* Hæc ille. Negari quidem non potest, quin sæpissimè, & cum graui Auditorum dispendio errare possint illi, qui puri Grammatici sunt, maximè dum explicant aliquem Poetam, vel Oratorem, vel Historicum, praua Auditores illorum intelligentia imbuentes. Nec satis est illis, interpretes euoluere: *tum quia* interpretes nonnulli à vero aberrant, multisq; huiusmodi Grammaticis ignotum est, qui-

busnam

busnam maior habenda fides, siue qui maiori in pretio habendi; *tum quia* nec poterunt Interpretes, qui cum laude versati essent in eorum explicatione, intelligere, si penitus Mathematicarum, vel Philosophicarum scientiarum rudes sint. Maiori quidem cum alacritate, ac energia explicabit Grammaticus Poetam &c. qui scientiarum nonnullarum erit compos. 11. *Cum emendatè legendi, emendatè scribendi* præcepta tradere ad Grāmaticum spectet, in id peculiariter incumbat; nec leue esse putet, cum id *tum* ad intelligentiam Auctorum, *tum* ad manifestandos animi sui sensus maximè conducat nominatim. Quam pauci e Grammaticis sciunt, Quando in *Lectione* sit *Spiritus suspendendus*. *Quo loco versus distinguendus*; Vbi diuidatur sensus, vnde incipiat; Quando *attollenda, vel submittenda Vox*; Quid *quoque flexu*; *Quid lentius, celerius, concitatius, lenius dicendum &c.* Paucissimos etiam est reperire, qui *Ortographiæ artem*, siue scribendi scientiam, ac præsertim, *Qua rationes voces interpungendæ*, habeant perspectum. 12. *Græcæ linguæ* sit studiosus Grammaticæ Professor, non solum quia omnes fermè Disciplinæ, ac nominatim Eloquentia à Græcis ad latinos fluxerunt, verùm etiam cum plurimæ voces ad Latinos ex illis dimanarint, earum notitiam, vimq; exactam nequibit consequi Græci idiomatis omninò imperitus. Laudatur in fine *Consult.* 3. Libelli *Consultat.* de *Scholarum, & studiorum Ratione* impressi 1636. Patauij apud Paulum Frambottum à *Gaspare Scioppio Comite à Clarauallè conscripti* Viro Græcæ linguæ peritissimo Græca *Tschonderi* Grammatica: Quam *qui nancisci poterit* (ait) magno Paradigmata, multasque Regulas ediscendi labore leuatum se lętabitur. Mirandum est, quod in plerisque saltem Italię Scholis vel nullatenus, vel leuissimè in Gręcæ linguæ studium incumbant Pueri, ac pręsertim illi, qui educantur in Scholis Soc. Iesu, cum tamen vnicuiq; Magistro Inferiorum classium præscribatur illius cognitio, vt videre est in 13. *Reg. Comm.* Clas. Infer. in Reg. 1. & 11. *Profes. Rhet.* 16. & 9. *Profes. Human.* 1. 8. & 9. *Profes. supr. Clas. Gram.* 1. 8. & 9. *Prof. Med. Clas.* Gram. 1. & 7. *Profes. Inf. Clas. Gram.* Culpa reijcienda est in Professores illius vndequaque expertes. Si Grammaticę Professorum munus ex publico edictò non demandaretur nisi illis, qui simul & Latinæ, & Græcę linguę cognitionem haberent, multi se huius studio traderent, maiorq; numerus pręstantium enimuero, & in politioribus literis, & in superioribus literis, & in superioribus scientijs virorum existeret. Cicero ipse ad eloquentiam sibi comparandam libros Xenophontis, atq; Platonis Græcos transtulit teste *Quintil. lib.* 10. *c.* 5. qui *lib.* 1. *c.* 1. in quo agit, *Quemadmodum Prima Elementa tradenda sint*, ait, *A sermone Græco puerum incipere malo, quia latinus, qui pluribus in vsu est, vel nobis nolentibus se perhibet, simul quia disciplinis quoq; Græcis prius instituendus,*

vnde

vnde & nostra fluxerunt. Saltem nunc, simul tradantur Prima Latini, & Græci sermonis elementa, ac reliquæ vtriusq; Grammatices Institutiones. Facilè illud idioma edisceretur, si vnà cum latino traderetur. Multi maturæ ętatis Viri, ac prudentes sapientesq; grauiter conqueruntur, nec immeritò, quod pueri illo non fuerint imbuti. Vident illi præter priuata damna, quot incommoda in Rempublicam non modò Literariam, verum & Christianam deriuauerint, ampli oraq; deriuatura sint (& vtinam multa iam non deriuent) ex hac in Græcis literis ediscendis negligentia. 13. *Studiũ collocet* quam maximum, vt Auditores explicare norint selectos quosdam Auctores, e quorum intelligẽtia facilè aliorum sensus possint habere exploratos; non verò illud sit præcipuum in curando, vt illi iuxta Grammaticæ leges Thema aliquod scribere nouerint. *Quintil.* ipsemet *lib.* 2. *c.* 7. quamuis velit Pueros *esse maximè in opere scribendi*; suadet tamen multo magis, vt *electos ex Orationibus*, vel *Historijs*, vel *dignis Voluminibus locos ediscant*, adeoq; intelligãt. Experientia patet, ex aliquorum Scholis prodire Multos, quibus si vel Ciceronis Epistolæ, vel Cæsaris Commentarij tradantur explicandi, vix vnius, vel alterius periodi rectum assequuntur sensum, titubant &c. & tamen plerique ad eos accedunt, vt in hoc magis quam in scriptione thematis ad Grammaticæ leges periti euadant: notitia illa, magis est vtilis plerisque, multorumque conditioni congrua magis. Maximi est laboris, iudici q; non tenuis, genuinè Auctorem aliquem explicare, adhibitis illis loquendi modis, quos v.g. Itali adhibent &c. Illustrem quemdam Rhetoricæ Professorem in hoc primariò insudasse alicubi compertum est, ac pręcipuè in vi particularum nonnullarũ ad plurimarum normam Italicarum phrasium, Prouerbiorum vulgarium &c. indicanda. Et intra annum quidem posse puerum quamlibet Ciceronis Epistolam facilè interpretari, licet ille cæperit à *Nominum*, ac *Verborum Paradigmatibus*, experientia non semel, nec in vna Italiæ, ac Germaniæ Ciuitate, adhibito nominatim *Mercurij Bilinguis* vsu, non vni notum est. Huiusmodi artem publici boni amans Grammaticus nõ ediscet, illaq; Auditores suos non instruet? 14. *Cum inter libros*, qui à Latinæ linguæ Principibus conscripti sunt, numerari possint aliqui minùs pudici, & qui moribus obesse queunt, eos non explicet Grammaticus, cui cordi magis esse debet Puerorũ in moribus, quam in doctrina progressus. Ipsemet *Quintil. lib.* 1 *c.* 13. monet, legi tantum *Comœdias*, cum *mores in tuto sunt*, & tunc inter præcipua legendas, vetatq; legi *Elegiam*, *quæ amat &c.* Auctores illi tamen haud sunt decurtandi. Potius eorum lectio omittenda. Ad eorum lectionem mag's allicere potest decurtatio, vel imminutio huiusmodi; quã si integri manerent. Sunt tot præclari Auctores, qui sine vllo pu-

dicitiæ, vel morum prę'udicio explicari queunt, vt non opus sit alios maximè decurtatos in Gymnasij lucem proferre; in quam multò minus vnquam proferendi, qui Italico, aut Vulgari idiomate sint conscripti ad coinquinandos mores idonei, licet aliquando, & ad rem satis honestam declarandam, aptiusue exponendam afferri illi possent. 15. *Quamuis lectio plurium* Ciceronis operum, *Virgilij*, *Cæsaris*, *Liuij*, *Curtij &c.* concedatur Grammaticis; non quodlibet tamen artificium siue Oratorium, siue Poeticum, siue Historicum in illis enitens, ac laudabile imprudenter Grammaticæ Professor edoceat pueros; semet intra fines suos contineat, qui non porriguntur ad Artis Dicendi siue Oratoriæ, nec Poeticæ, siue Poematum, multoq; minus Historiæ propria. Vult autē *Quintil. lib.* 1. *c.* 13. vt lectio pueri ab Homero in Græcis, in Latinis a *Virgilio* incipiat; nam sublimitate Heroici carminis animus assurgit, & ex magnitudine rerum spiritum ducit, & optimis imbuitur: Vtilem quoq; esse ait lectionem *Tragædiarum*, *Lyricorum quorumdam &c.* Solet quidem in Scholis multis iam prælegi *Ouidius*; Cum tamen ille (præterquam minùs opportuna illius lectio, nisi in selectis quibusdam, probis puerorum moribus esse videtur) magna in nouandis verbis licentia vtatur, ac neque humilia, & à plebe petita fastidiat, eaq; re non nemini visus sit *Argenteæ* potius *Ætati* accensendus teste Comite *Scioppio Consult.* 2. ideo illius lectio non videtur facilè admittenda in Puerorum scholis; multoq. minus *Trogi Pompeij* Historia à *Iustino* abbreuiata, quæ ad Ætatem *Ferream* refertur. 16. *Cum* sapienter *Quintil. lib.* 1. *c.* 1. velit, vbi primum puer scribere cæperit, vt hi quoque versus, qui ad imitationem proponuntur, non otiosas sententias habeant, sed honestum aliquid monentes, nam prosequitur hæc memoria in senectutem, & impressa animo rudi vsq; ad mores proficiet; multò magis quæcumq; iubebit Grammaticæ Professor e communi idiomate reddi Latina, continebunt aliquid morale, vel dicta, factaque illustrium Virorum; quorum plurima e *Plutarco* nominatim, libris *Apotphegmatum Adagiorum*, *Exempla*, *dictaq*; clarorum hominum exponentibus, ex Historijs *Sacris*, *Prophanisque* desumere poterit facillimè, illisq; velit accommodare Regulas, ac præcepta, & quæ in dies tradit; vno enim, eodemque tempore plurima discet puer. 17. *Ne illorum* sequatur morem, qui in dictandis illis, quæ Latinè vertenda sunt à pueris, quibusdam loquendi generibus Italicis v.g. vtuntur reconditis, minusq; vsitatis, & quę vix à peritissimis quibusque Latinę linguę donari possent, nec ipsimet sępe Professores norint; qui quandoque etiam illa ex alijs describunt, & quandoque etiam ad ostentationem proferunt, vt qui ea legunt Parentes, vel alij priuata in puerorum Domo, intelligant illum esse versatum in reconditio-

ditioribus formulis, vocibusq; linguę Hetruscę &c. 18. *Grammaticos Veteres, ac Recentiores,* (quorum multi iam in Corpore latinorum Grãmaticorũ editi sunt ab *Helia Putschio Hannoniæ in 4.* anno 1605.) euoluat; Animaduertens, *in quo* conueniant omnes; *in* quibus Antiquiores discrepent à Iunioribus; *In quibus* celeberrimi consentiant; *Quinam* illustrioribus innitantur Auctoribus; *Quibusnam* ratio faueat magis &c. Curet autem Grammaticos hosce celebres habere integros, & prout editos ab ipsis Auctoribus; neque enim ipsiusmet *Emmanuelis Aluari* Grammatica, quæ modò perlegitur in Scholis, ac imprimitur, est omnino conformis primæ illius Auctoris adhuc viuentis editioni. Qui *Epitomen* quoq; confecerunt Grammaticarum nonnullarum, non ad mentem earum Auctorum omnimodam, nec aptè omnia disposuisse sæpe numero videri queunt. Compendiorum huiusmodi rarissimus sit vsus, nisi ab Auctore longioris Grammaticę eiusdem scriptum. 19. *Intelligat*, nullum esse e Grammaticę scriptoribus, qui in aliquo non errauerit, vel in quo minùs laudari non possit. Circa *Emmanuelem Aluarum,* cui multi inter posteriores Grammaticos Principem locum deferunt, & cui certè nisi ab inuido, maleuoloq; negari non potest, quin laus debeatur summa, & propter bonorum Auctorum vsum, & commendabilem Latinè scribendi facilitatem, hęc peculiariter inter cætera notantur. 1. *Illi vix credenti futurum Tempus* in Participijs Passiuis in *Dum* exeuntibus, & cum verbo *substantiuo* positis significari, videtur refragari locus *Cæsaris* in 1 Bel. Ciuil. *Misericordia Ciuium*, quos *Interficiendos* videbat; nam hìc verbum *esse* supprimi satis planum est, neque vllus relinquitur dubitandi locus, quin *Interficiendos esse*, non sit aliud, quam interfectum iri; quo quidem non debitum, officium, aut necessitatem (quod perperam sibi suadet *Aluarus*) sed futurum tempus significari clarissimum est. De hoc legatur Ep. 1. *Mari Angeli à Fano Benedicti* in *Auctario* ad Grammaticam Philosophicam eiusque erudimenta impresso Mediolani 1629. sub nomine *Paschasij Grosippi*, hoc est *Gaspari Scioppij*, Viri eruditissimi, ac in Auctoribus quibusque Latinæ linguę celebrioribus versatissimi, ac verè ingenui; ideoq; vltro fatetur, quę de *Præteritis*, ac *Supinis*, ac *Syllabarum Dimensione* tradit in sua Grammatica, pleraque ab *Aluaro* accepisse. 2. *Admittenti*, vltroque etiam probanti Modos *Verborum Potentiales*, & *Permissiuos* aduersatur idem *Mari Angel.* Epist. 5. ad Franc. Ell. pluribus probans eos esse superuacuum, & inane Grammaticorum Cõmentum ad fatigandam tenera tyronum ingenia. 3. *Dum latet* Accusatiuo adiungit more Græcorum, cum id sit contra *tum* auctoritatem *Ciceronis* post red. in senat. & Catil. 1. *Lucret.* lib. 3. vers. 280. *Plaut.* Trinact. Act. 4. sc. 2 *tum* rationem: cur enim potius *Patet* Datiuum admittit, quam *latet*? 4. *Dum*

vult nominibus proprijs Vrbium, Oppidorum &c. dum significatur *Status in loco, Discessus e loco, vel Motus ad locum*, demendas Præpositiones, addendas verò necessariò nominibus Insularum, Regnorum, Prouinciarum &c. cum tamen iuxta Regulas vtrisque debeant addi, vel per figuram Ellipsim detrahi, vt exemplis pluribus desumptis e Cicerone, Cæsare, Liuio, Plauto probat in Paradoxis litterarijs impressis quoq; Mediolani eodem anno 1629. idem Grosip. in fine Ep. 3. Quod idem ait, de *Domo, Rure &c.* 5. *Dum non vult*, vt Relatio antecedentis nominis tertiæ personæ, quod sit primum, ac præcipuum suppositum, indifferenter fiat per Relatiuum *Commune, & Reciprocum*; quod tamen esse falsum (nisi vitandæ ambiguitatis causa) cum constructionis vtro quis vtatur nihil intersit, exemplis pluribus non tantum *Ouidij*, *Velleij*, *Cacinæ*, verum etiam *Cornelij nepotis*, *Ciceronis*, *Cæsaris*, *Liuij*, *Plauti* probat idem *Mari Angel.* in *Auctar.* Epist. ad *Octauium Ferrarium* Virum quidem eruditissimum, & in Patauino Gymnasio Mitiores literas à multis annis summa cum laude profitentem. 6. *Sæpius etiam* errasse in Syllabarum Dimensione ostendit idem *Mari Ang.* Epist. ad *Petrum Paulum* Carauagium. In *Institutionibus* etiam Grammaticis idem Grosip. fol. 59. dum affert illud Plauti Menat. Hodie in ludum *occepi ire litterarium*; *ternas scio iam A.M.O.* sentit falsè omninò *Aluarum* putasse, ternas verborum coniunctiones significari. *Hæc modò sint* satis; In quibus, & his similibus, quæ Aluaro possint obijci, an re vera ille peccauerit, illius patroni videãt; neque enim nostri est, nec erit instituti, hæc & alia, quæ cõtra Aluarũ, receptasq; iam Grammaticorum Regulas à Viris cæteroqui peritissimis afferuntur, voce, vel calamo tueri, cum grauioribus detineamur Curis. Satis sit ista, & alia infra in medium proferre; vt Grammatici videant, non esse infallibilis omninò in Grammaticis auctoritatis celeberrimos iam quoque habitos Grammaticæ Doctores, ac posse non immeritò in controuersiam vocari plurima, quibus iam vnanimiter consentiunt Grammaticæ Professores; & vt excitentur aliqui ad Auctores Primarios linguę Latinę euoluendos, indeq; tanquam e puris fontibus, non e Grammaticis vt sic tanquam riuulis nõ rarò turbidis; Puræ Grammaticæ leges hauriendas. 20. *Notos habeat* linguę Latinę Auctores, quos penes ętate *Auream, Argenteam, Æneam, Ferream, Ligneam, Luteam* eruditissimè distinxit idem Illustrissimus Comes *Gaspar Scioppius in Libel. Consult.* & nemo quidem negabit, quin latina locutio desumenda sit ex illis potissimum, qui in *Aurea* ætate numerantur, quales sunt Terentius, Plautus, Ennius, Cicero, Cęsar, Lucretius, Cornelius nepos, Catullus, Tibullus, Propertius, Virgilius, Horatius, Liuius, Trogus Pompeius, Cato, Varro, Columella, Palladius, Vitruuius, Ouidius, Fragmenta veterum Poetarum,

rum, ac Historicorum, quam ex illis, qui in Argentea; & ex his potiùs, quam ex illis, qui *Ænea* ætate &c. Quamuis fatendum sit, non omne, quod à cuiusq; ętatis scriptore etiam post *Argenteam* prolatum est, repudiandum esse tanquam non Latinè dictum, quamuis si *Aureæ ætatis* Auctoribus talis locutio dissona sit, haud sit amplectenda. Ex his autem, qui in *Aurea* connumerantur, hi potissimum celebrantur, *Plautus, Terentius, Ennius* (demptis quibusdam obsoletis vocibus) *Cicero, Cæsar, Cornelius, Liuius, Virgilius, Lucretius, Tibullus, Horatius.* Verum ex his quoque ad imitationem præcipuè videntur seligendi, *Cicero, Cæsar, Cornelius nepos, Liuius, Plautus, Terentiusq;* si scoria his duobus quædam dematur. Ciceroni ex *Argentea* dicuntur esse similiores *Curtius, Velleius Paterculus*, ac *Valerius Maximus*; ex *Ferrea* verò *Lactantius.* Nonnulli etiam *Æneæ* fuerũt simillimi Auctoribus *Argenteæ* præclarioribus, inter quos in Vincta maximè laudatur *Iuuenalis*, in soluta *Quintilianus*; sicuti *Ferreæ Ausonius, Claudianus*, ac *Symmachus*, si suo more, ac modo loquatur. Et Ætate quidem *Ænea* (quam definit imperio Vespasiani, ac Filiorum Neruæ, Traiani, & Hadriani) imitãdi licentiam definit Comes Scioppius, vt videlicet horummodo scriptorum, non etiam illorum, qui posterioribus vixere ætatibus, verbis, loquendique generibus tutò, ac sine iusta reprehensione vti quicumque possit, hactenus tamen, si meliora ex superiorum ætatum Auctoribus non suppeditent; nam vbi *Aurea* desint, *Argenteis*; sin autem hæc quoque deficiant, *Æneis* vti ius sit. Censeri tamen posset adhuc, se posse aliquos ex ætatibus subsequentibus aliquos imitari, si meliora ex illis tribus non suppeditentur atq; ex *Ferrea* nominatim S. *Ambrosium*, eiq; proximum S. *Hieronymum*. Indicem quidem habeat hunc Grammaticus; sed multò magis Auctores celeberrimos sedulò *perlegat*; *Videatque* an Grammaticorum Regulę illis consentiant; nam ab illis hæ per se videntur desumendæ; neq; enim Grammatici linguę Auctoribus, illisque præsertim, quibus cõmunis plane Sapientum Vox Primatum in Latina lingua tribuit, leges imponere potuerunt: *Animaduertat* simul voces, varios loquendi modos, varias vocum connexiones &c. quibus quo quis se conformauerit magis, eo Latinè magis loquetur. 21. *Sciat*, illos, qui optimi linguæ Auctores fuerunt, non eò ipso optimæ notę Grammaticos fuisse. *Cicero* ipse *Tusculi* 3. censuit, verbũ *Inuidere* cum Accusatiuo benè loquentium, & scribentium consuetudini repugnare; & lib. 1. Ep. 3. existimat se solæcismum fecisse, quod Præpositionem addiderit dicens, in *Pyreum* legatur Grosip. in Parad. liter. Ep. 3. & 4. Sic quoq; Præclarissimi linguę Latinę Auctores ignorarunt aliqua ad Grãmaticę leges spectantia. *Cicero*, vt habet *Agell. lib.* 10 *c.* 1. cum decernere non auderet, Vtrum esset rectius dicere, *Pompeius Tertium* Consul *factus est*, an

Ter-

Tertio, scripturę Compendio sagaciter vsus est, scribens Tert. similiter ait Cicero, omnes dixisse *Pyreum*, non *Pyrea*, cum tamen *Virgilius* dicat etiam *Pyrea* sine dubio secutus alicuius antiquioris exemplum. Negatque *locum* posse dici de Vrbe, in qua habitant homines. Legatur Grosip. Ep. 1. & 3. Sic errauit, cum putauit, *Capsis* esse compositum ex tribus *Cape si vis*; de quo Mari Ang. Epist. ad Franc. El. 22. *Animaduertat illos*, qui excellentes Grammatici fuere, non eo ipso fuisse bonos linguę Auctores, vt patet præter *Priscianum*, *Diomedem*, *Charisium*, *Nonium*, *Donatum*, *Seruium*, eorumq; similes in *Varrone*, cui primas partes inter omnes Grammaticos veteres tribuerunt, estq; commendatissimus tum à Cicerone, tum à Quintiliano; cuius quidem verborum compositio aspera est, & salebrosa, plerisq; etiam locis obscura, antiquatis, innouatis, & ad Græcanici sermonis consuetudinem effictis vocibus redundans: de quo idem Grosip. initio Ep. 4. 23. *Cum multi* eruditos variarum lectionum libros conscripserint ad Latinæ linguæ Auctores spectantium, perutile Grammatico erit eos perlegere; non rarò enim aliqua occurrere queunt, e quibus facillimè Auctorũ mens percipi possit, excusariq; aliquando possint à crimine quod illis objicitur. Repudiandi illi, qui nõ inspectis sincerè Auctorum libris verba eorum referunt, non quomodo ibi leguntur, sed quomodo sibi legenda videntur, variasq; lectiones subindicant, cum celebriorum etiam Auctorum famæ detrimento. Inter hos enimuero numerantur peculiariter *Donatus*, *Seruius*, *Nonus*, *Priscianus*, *Iunius* Philargyrius cæteroqui pereruditus ex veteribus Virgilij interpres. Cauenda multò magis eorum audacia, qui præ corrigendi pruritu quicquid ipsis minùs rectè habere in bonis Auctoribus videtur, vel inuitis libris omnibus immutant. *Audaces* sanè nimis forent si vellent Grammatici imponere leges Auctoribus, & maximè præcipuis; *ac infideles* planè forent, si non Auctorum voces, vt in eorum libris, ac scriptis fidelibus reperiuntur, adamussim referrent; nec leui pœna digni forent, si huiusmodi libros scribi, ac imprimi curarent iuxta ipsorum placitum. Licet in aliquo hi re ipsa errauissent, erratum illud haud ab eorum libris auferendum, licet adnotari posset vel ad marginem, vel ad calcem libri. At sæpe Grammatici errare queunt in existimando, quod aliqui Auctores errauerint, cum ipsi potius errent. Notat autem *Grosip.* Epist. 7. Virgilij versus nonnullos fuisse ab aliquibus corruptos, sicuti etiam testatur ex Hygino *Agel.* noct. Attic. lib. 1. c. 21. & *Seru.* in Æned. 2. Vnde Grosip. ipse illa 1. Æned. *Musa mihi Causas memora, quo numine læsa*, legendum putat, *Quo nomine læsa*, siue pro quibus causis læsa; Recenset autem inter huiusmodi Deprauatores *Lambinum* ipsum nominatim. Vt rum vtinam Grammaticorum audacia se intra Latinæ lin-

guæ

quæ Auctores semet continuisſent, & non progreſsa fuiſset vſq; ad Philoſophos, ac Philoſophiæ Principes. 24 *Criticos Auctores* peculiari ſtudio euoluat; multa enim, & valde opportuna ad Auctorum intelligentiam proferunt. Hi pluribus tomis iam comprehenſi ſunt; quibus addi poſſet ſaltem alius. Cum autem hi quandoque inter ſe diſſentiant, iudicio hìc opus erit maximo ad decernendum, cuinam potius adhærendum; quo quidem ſeuere vſos fuiſse veteres Grammaticos, qui *Critici* dicti ſunt, Quintil. lib. 1. c. 4. animaduertit. *Attendat* autem, hoſce qui Critici appellati ſunt, & appellantur, nō ſolere ferè eleganter ſcribere; curas enim ſuas in varia diſtrahunt, & peculiariter in ea, quæ ad Eruditionem ſpectant; vnde deeſt illis ſcribendi exercitatio, ſine qua vt bene ſcribatur, fieri prorſus non poteſt. legatur *Groſip. Ep.* 5. Aliqui certè ſunt aptiores, Iudices, quam Scriptores. 25. *Abſtineat ab aſſerendo* facilè (niſi plane id conſtet) Virum in mitioribus literis verſatiſſimum peccaſſe contra Grammaticæ leges, non latinè fuiſſe locutum &c. Qui enim ſine errandi periculo hæc proferre debet, oportet vt omnes planè Grammaticorum Regulas euoluerit, omnes Auctores, qui latinè locuti fuiſſe cenſentur, perlegerit; nec quia aliquod ſit contra Grammaticæ illius, cui ipſe operam dedit, vel quam ipſe prælegit, ac ſectatur, leges, illico tanquam in Grammatica peccatum accuſet. In id enimuero procliuiores, qui ineptiores Grammatici. Meminerit, *A figuris Solæciſmos, ac Barbariſmos ſeparare*, eſſe non rarò difficillimum, vt etiam *Quintil lib.* 1. *c.* 9. teſtatur. 29. *Niſi ipſe* ſit multa peritus ſcientia maximè in euoluendis Auctoribus, eorumq; ſenſibus perſcrutandis, ac eruditus plane vir ſit, *Critici* munus ſuſcipiat; non tantum quia odioſum eſſe ſolet, verum etiam quia facilè in errores, & graues qu s labi poteſt, & dedecus ſibi comparare vnde gloriam nec leuem ſperabat. *Recordetur* Criticorum ipſorum alios eſse Criticos 27. *Quædam* non diutius agitet Grammaticus, vt v.g. An partes Orationis ſint tres, an quatuor, an octo, an nouem &c. hæc enim, aliaq, his ſimilia ſcire parui refert; liberum eſt in multis cuiq; opinari pro libito: Sciat a Quintil. in fine c. 13. lib. 1. inter Grammatici virtutes reponi *Aliqua neſcire* Haud congruum eſt Grammatico, tempus, quod vix ipſi ſupereſt in rebus neceſsarijs, ac valde vtilibus ediſcendis, in futilibus impendere. Examinet hæc potius. 1. *Non latinè* dicitur, *Latet me*; *Adhibere fidem* pro Credere; *Exoſus* pro Inuitus; *Diſſitus locus* pro Remoto; *Multi dicuntur venturi eſſe*, ſed Venturos eſse, vel eos Venturos eſſe; *Deſijt eſſe bonus*; ſed Deſijt ſe eſse bonum, vel Deſijt eſse bonum; *Reus damnatum iri videtur*, ſed Reum; *Cupio fieri diues*, ſed Cupio fieri diuitem 2. *Latinè* dicitur, Inuidere aliquem; Adulari alicui; Tempus eſt legendi lectionis, legendi Poetarum, legere Poetas, Bibendum eſt aquam,

aquam pugnatum est pugnam; Diceris se fecisse; sex menses est, quod huc veni: Hic Laurus, Fagus, Vlmus; Elephantus grauida; Ouis Villosus; Porcus obesa; Imperare aliquem; Iubere Petro; Vulneratus cum gladio; Inuideo tibi huius rei; Procul Vrbe, & Procul Vrbem; Venio Villam; Proficisci exilium; Proficisci ad Romam, & in Romam; Discedere à Roma; & de Roma, & ex Roma; scribere de Roma &c. 3. *Æquè benè latinè* dicitur; *Eo ad spectatum ludorum*, Eo ad Spectatum ludos, & Spectatum ludos, Eo spectare ludos, ad spectationem ludorum, ad spectare ludos: *Opus est* mihi Monitor, Monitoris, & Monitorem; *Antonius* de Patauio, a Patauio, Patauio, & Patauinus: *Causam* non habes; Vt, Cur, quare, Quamobrem, Quod huc venias: *sum* In Italia, sum Italia; sum Patauij, sum Patauio, sum in Patauio; *Mihi* est nomen Iulius, Iulij, At *Græcè*, Iulio; *Duo*, & ambo Viros, Duos & ambos: *Vetat, vel Iubet* queri, me queri, Iubet, vel vetat me, vt querar; Iubet, vel vetat mihi queri, me queri, vt querar, questum, vel querelam: *Celare* aliquem aliquid, & Celare alicui aliquid: *Scio, Credo, Dico*, quod es Doctus, quod sis Doctus, te esse Doctum, vt sis Doctus, quod es Doctus: *Est meus amicus*, mei amicus, mihi amicus: *Sanus* mentis, à mente, & mentem: *Notus* ingenij, ab ingenio, & ingenio: *Dignus* laudis, ad laudem, & laude: *Defende* me amice mi, Defende me amicus mihi &c. Sic etiam indifferenter latinè dicitur, *Dignus* aliquo, & Dignus aliquid; *Volo* facere, & Volo me facere; *Non possum* non credere, & non possum me credere; *Videor* vidisse te, & Videor me vidisse te; *Princeps* gaudere videtur, & Princeps eum gaudere videtur; *Faciam* vt scias, Faciam, vt scies &c. 4. *Albedo*, & nigredo barbarè dicuntur. 5. *Carcer* neutrius generis etiam. 6. *Quis*, Aliquis, Quidam omnium generum, & numeri etiam pluralis. 7. *Corinthus* nomen Vrbis Masculini Generis. 8. *Adiectiua* nomina sunt Senex, Iuuenis, Adolescens, Infans, Nuncium, Sestertium, Augurium, Equile, Bubile, Sibilus, Pugillarius, Fabrica, Laniena, October, Nouember &c. Neque etiam substantiua hæc, Senecta, Pistrina, Textrina, Regina &c. 9. *Post idem* pro *Postea* Latina vox est; sicuti *Proquam* elegans præpositio; Inhonestæ autem voces, *Multoties*, & *Nullibi*; Sordidæ verò, *Secus Mare*, *Secus Fluuium*, pro secundum, siue Iuxta. 10. *Non fac, non feceris*, Solæcismus est. 11. *Non sunt Aduerbia*, sed nomina, Alias, Tantum, Quantum, Multum, Paulum, Aliquantum &c. Noctu, Diu, Magis, Meritò, Instar, Partim, Paulo, Tanto, Certo, Secreto, Parum, Plus, Melius, Tam, Quam, Forte, Adhuc &c. 12. *Cum* Nomen est, non Coniunctio. 13 *Foras*, & *Palam* Præpositiones sunt. 14. *Non solum* Ideò, Quomodo, Quare, verum etiam *Cur* duo sunt nomina. 15. *Nomina* adiectiua propria; Arborum, Auium, Gemmarum, Herbarum,

&

& Literarum nullum habent genus. 16. *In latina lingua* nulla sunt Gerundia, vel Supina, & hæc nullum regunt Accusatiuum: sicuti nec vllum regunt Casum verba Passiua, nec Interiectiones &c. Qui hęc, aliaq; his similia examinare voluerit, legat *Paradoxa litteraria Grosippi* Mediolani impressa 1628. cum Paradoxis in Grammaticis Institutionibus eiusdem impressis ad Grammaticam Philosophicam; Qui libri ab erudito quoq; Grammatico essent habendi, ac legendi; videret enim saltem, non esse extra cõtrouersiam apud peritos complura, quæ iam Grammaticorum vulgus tanquam indubitata recipit. 28. *Sollicitè perpendat*, celeberrimos scriptores asserere, ac probare; *Nulla* dari nomina Communia Duobus; *Propria* nomina Genus non habere; *Nulla* esse nomina Heteroclyta, aut Heterogenea; *Non* dari verba Impersonalia; *Verba* non habere Modos; *Imperandi* Tempus esse semper futurum; *Fore* esse omnium temporum; *Singula* participia omnia tempora adsignificare; *Non* esse Præpositiones, Circiter, Prope, Propius, Proxime, Postridie, Procul, Secus, Vsque, Versus, Versum; *Nominatiuum* à nulla parte regi; *Genitiuum* neq; Græcè neq; Latinè à Verbo regi posse; *Datiuum* nunquam regi, nec in actiua, nec in passiua significatione, & vbiq; adquisitionem ad significare, nunquam esse rei agentis; *Duos Accusatiuos* ab eodem verbo non regi; *Vocatiuum* nunquam regi; *Sextum Casum* in Vniuersum à præpositione pendere; *Non dari* Ablatiuum absolutum; *Superlata* Casum non regere; *Omnia* verba esse Actiua, aut Passiua; *Non* dari Neutra, & Communia; *Non* dari Supinum in V. *Aduerbia* nullum Casum regere, nisi pro nomine accipiantur; *Coniunctionem* neque Casus, neque alias partes orationis coniungere &c. Hęc, aliaq; complura latè tradit, probatq; tũ Rationibus, tum Auctoritatibus *Franciscus Sanctius Brocensis* in inclyta Salmaticensi Academia multorum spatio annorũ Primarius Rhetorices, Gręcęq; linguę Doctor, celeberrimus enimuerò Vir in libro, quem inscripsit, *Minerua*, seu de *Causis linguæ latinæ* (hic à nonnullis *Flagellum Grammaticorum* dictus est) primò impressus Salmanticæ 1587. secutus, vt ipse ait, exemplum clarissimi Viri *Antonij Nebrissensis*. Initio c. 2. lib. 1. ista leguntur. *Quoniam* res, de qua agimus, *Ratione* primum, deinde *Testimonijs*, & vsu est comprobãda; nemo mirari debet, si magnos interdum viros non sequamur; nam quantacumque autoritate mihi Grammaticus polleat, nisi ratione, propositisq; exemplis, quod dixerit, confirmauerit, nullam in re præsenti Grammatica fidem faciet. *Grammatici enim*, vt inquit *Seneca lib. 15. Ep. 9.*) *Sermonis* Latini *Custodes sunt, non Auctores*. Neque Sexcentorum Grammaticorum auctoritas mihi persuadebit, vt *Vapulo à Præceptore*, *Exsulo à Prætore*, *& Ego Amo Deum*, & alia huiusmodi Latinè dicantur. Vnde verissimum est, quod *Paulus lib. 1. de*

Reg. Iur. Regula *est*, quæ *rem, quæ est, breuiter enarrat ; non vt ex regula Ius sumatur, sed ex Iure*, quod *est*, *Regula fiat*. Quare extirpanda est consuetudo, quæ legem habet reclamantem, quæ potius Corruptela vocanda est, vt passim tradunt Iurisconsulti : neque enim quæ barbaries admisit, fouenda sunt, sed quæ peruertit, vindicanda. Quare iam nemo mihi *turbã Grammaticorum aliter præcipientium opponat* : Nam tantum *cuique credendum est, quantũ ratione confirmauerit &c.* Hæc ille. Ex hoc libro Grammaticam Philosophicam desumpsit *Comes Gaspar Scioppius*, vt ipsemet ingenuè fatetur illius initio, quam laudatã à viris auctoritate, & sapientia illustrib. quorum nomina recenset, affirmat; Dicta quidem à *Sanctio* in Artem redegit, multaque valde vtilia, nouaque illi addidit. Liber iste *Sanctij* quidem cum *Additionibus Comitis Scioppij* esset à quolibet euoluendus Grammatico, qui tamen non iurasset in vllius Grammatici verba. Ea quæ profert Sanctius tum ratione, tum auctoritatibus celebrium Auctorum, in quibus se in primis versatum ostendit, confirmat. Optandum sanè esset, vt si non placeant à Sanctio dicta, illa tum auctoritate, tũ rationibus repelleret pręcellens quis Grãm. ostenderetq; à veritatis via in Grammaticis illum deflexisse, nullamque saltem mereri probabilitatem; neque enim satis est dicere, Contrarium docet Priscianus, Donatus, Despauterius, Aluarus &c. Possunt hęc apud imperitos auditores dici, quibus certè videtur fieri iniuria, si dũ reipsa celebres, vsitatasque modò Grãmaticas multos continere errores (possunt autem teneri ad id discutiendum multi) deprehenderetur, illis non resecatis omninò prauis huiusmodi Grammaticarum Regulis imbuerentur. 29. *Cum inter celebres Grammaticos* est dissensio circa Sintaxim, Regulas &c. vnicuique liberum est quam libuerit partem amplecti, nisi tamen linguæ Latinę Principes vni faueant apertè parti. Si autem dissensio sit *inter ipsos etiam Latinæ linguæ Auctores, & primarios*, illustrioribus inter illos est adhęrendum; ita tamen vt nõ semper sint reprehensibiles illi, qui etiam minùs illustribus quandoque adhęrent, maximè cum hi quandoque magis Latinè quędam expressrint, quã illi. 30. *Videri possunt* non laudandi Grammatici, qui Regulas aliquot Generales statuunt, quibus postea limitationes multas addunt ex ijsdem, vel etiam æquè, & aliquando clarioribus Scriptoribus. Quæritur enim, cur illæ Regulæ Generales certę ex vno, vel altero loco Auctorum, & non potius alię ex alijs dissimilibus locis Auctorum? Cur plurima saltem in Appendicibus reposita, non tanquam Generales Regulæ statuantur? *Omnem* quidem *Definitionem* per modum scilicet Regulæ procedentem (vt apparet ex titulo, cui lex ista subijcitur) *Vlp. in l. Omnis definitio de Reg. Iur.* in Iure Ciuili (idem de Canonico dicendum) esse periculosam fatetur, rarumque esse, vt sub-

subuerti non possit, cum enim Regulas Generales, atq; Vniuersales esse oporteat, ad tollendam vniuersalem consequentiam sufficit instantiam dare, & per instantias, & exceptiones vitiari Regulas planum esse dicunt Iurisperiti; & tamen Vtriusq; Iuris Regulæ per se lumini Naturali videntur nonnullis patere. Quid ergo dicendum de Regulis Grammaticorum Communibus, quæ solum in aliqua auctoritate fundantur, & tamen pro oppositis sępe oppositę auctoritates exhibentur, & non rarò etiam numero plures & grauiores? Cur quæso tot, & non plures? Si ratio reddita fuerit, vltro manus dandę. *Periculosæ* interea censeri illę possent. Cum illæ dicantur decepisse ipsum quoque Ciceronem, Varronem, Atticum, & Quintilianum: an non ab illis sibi timeat prudens Grammaticus! 31. *Non sit* ex illorum numero Grammaticus probus, ac prudens, quos inquit Horatius *turpe* putare, *retractare iam senes quæ imberbes didicere*; adeoque si à Viris Latinę linguæ peritissimis intelligat, maxima ex parte Grammaticorum Regulas esse falsas, & veritatis cupidus sedulò re examinata verum id esse deprendat; cur in falsarum tenebris iacere voluerit? Et cur saltem id accurato examini non subijciat? Inuincibilis, vt loquuntur Theologi Morales, ignorantiæ scuto se tueri non poterit; imò potiùs de crassa, supinaq; accusabitur merito. Si etiam, cum Grammaticorum Regulę iam numerari soleant plusquam mille, quæ etiam adiunctas habent multiplices *Exceptiones*, *Appendices*, & *Obseruationes*; videat Syntaxis Regulas reuocari posse ad *Quindecim, aut Viginti*, sine *vlla Exceptione, Appendice, aut Obseruatione*, quæ ad summum quindecim dierũ spatio à quocumq; puero edisci queunt, & aliorum quindecim dierum spatio edisci, quæ ad *Figuratam* pertinent *Syntaxim*; Cur idem Grammaticus probus, ac prudens, huiusmodi Regulas, quę omninò veræ, ac sinceræ à multis censentur, non amplectatur? aut saltem nõ inuestiget, an qui tales eas esse asserunt, ac probant, à vero re ipsa aberrent? *Vtinam nulli*, ne iacturam faciant, *vel* existimationis de ipsorum peritia in Grammaticis, *vel* pecuniæ, similisq; mercedis, quæ, quo longius protrahitur Grammaticę, politiorumq; literarum studium, eò amplior ipsis tribuitur, errores suos in Grammatica nolint agnoscere, puerosque in Scholis longe diuturniori tempore detinere velint; vituperentq; acerrimè Recentem aliquam Grammaticam, quæ certioribus, paucioribusq; contenta Regulis breuì pueros Grammaticis præceptis exornatos redderet. Minus certè se sapientes declararent hi Grammatici, si hanc recentem Grammaticam, contumelijs in Auctorem, consonis aliquorum sensibus, qui ijsdem animi motibus vrgentur, non veris rationibus, respuerent. A pluribus tum in Italia, tum in Germania comprobatum est experientia, cuiusdam Grammaticę beneficio pue-

ros breuiſſimo temporis ſpatio in Grammatica profeciſse cum ingenti multorum admiratione, indeq; ad Rhetoricam, cæteraſq; ſuperiores ſcientias gradum feciſse cum laude multa &c. Poſsunt tamen nonnulli ominem adhibere operam, vt Grammatica illa omninò aboleatur; & ad id facilius aſsequendum, etiam contra illius Auctorem, aut Propagatorẽ potius, inuehere poſſunt etiam libris editis &c. 32. *Ante Latinæ locutionis intelligentiam* non videntur Pueri Grãmaticæ præcepta docendi. Veteres magiſtri non niſi eos, qui iam Latinè loquerentur, in Diſciplinam recipiebant. Legatur *Groſip.Ep.14.* Sic etiam videtur multis abſtinendum ab illa cõſuetudine, quæ apud aliquos inualuit, vt Diſcipuli inter ſe Latinè loquantur; ea enim dicuntur induci vitia, quæ nunquam curari poterunt; de quo legatur *Sanctius* in fine ſuę Mineruæ id aſserens, probanſq; etiam ex alijs Auctoribus. 33. *Attendat*, non eo ipſo, quod aliqui *Grammaticè* loquantur, eo ipſo *Latinè* loqui, vt etiam habet *Quintil. lib.1.c.6.* Latina enim locutio plures exigit virtutes, quas non exigit Grammatica locutio vt ſic. Ad Grammaticæ autem Profeſsorem, de quo loquimur, ſpectat, vt & nullis Grammaticæ Regulis ſit diſsona locutio pueri, quam informat, vnaq; Latinæ locutionis virtutes habeat, careatq; omninò illius vitijs: & carere quidem vitio *primam eſſe Orationis* virtutem habet *Quintil. lib.8.c.3.* 34. *Velit in primis* Grammaticus vitari *obſcuritatem*; Quæ obſcuritas naſcitur, *aut quia* vſurpentur verba ab vſu remota, vel homonyma, vel tranſlata non aptè, aut frequentius, quam par foret; *aut quia* ſermonis contextus ſit nimis longus, vel traiectione tardus, vel ambiguus, vel mixtura verborum, ac interiectione concluſus, aut nimis breuis &c. Legatur ad id *Quintil. lib 8. c.2.* qui inter cætera addit, ſe apud *Titum Liuium inueniſſe Præceptorem aliquem*, qui *obſcurare diſcipulos, quæ dicerent, iuberet.* Qui & poſt pauca ſubdit. *Nobis Prima ſit virtus Perſpicuitas, propria verba, rectus ordo, non in longum dilata concluſio*; nihil *neque deſit, neque ſuperfluat.* Ne non intelligi poſſit pueri Latinè loquentis, aut ſcribentis oratio, ſed ne *omnino poſſit non intelligi*, curandum omnino. Solent eſse faciliora ad intelligendum, & lucidiora multo, quæ à Doctiſſimo quoque dicuntur teſte eodem lib. 2 c.3. qui & ſubdit: Erit ergo obſcurior etiam quo quiſq; deterior. 35. *Ab Oratione, & Scriptione* pueri releget *Impuritatem*, hoc eſt Barbariſmum, ac Solæciſmũ: illo Ortographiæ, Proſodiæ, & Etymologiæ; hoc Syntaxeos, ſiue Conſtructionis Regulæ violantur. Quot modis vterque contingat, declarat *Quintil. lib. 1. c 9.* Erit *Purus* ſermo, ſi immunis fuerit à Solæciſmis, ac Barbariſmis. 36. *Nolit* in pueri Oratione, & Scriptione admittere *Inſolentiam* repugnantem conſuetudini; quæ triplici modo contingere poteſt, hoc eſt per *Archaiſmum*, vſum ſcilicet Ver-

borum

borum veterum, & obsoletorum, etiam illorum, quæ intelligebantur ętate Ciceronis, sed tamen esse in vsu desierunt; *Neoterismum*, Vsum scilicet verborum, loquendiq; generũ, quibus Romani aurea Latinæ linguę ætatę vsi nondum fuerant; *Idiotismum*, Vsum scilicet Latinorum Verborum ad idioma, seu propriam aliarum linguarum consuetudinem conformatum. Velit consueta adhiberi verba; At sciat ex *Quintil. lib. 1. in fine c. 6. Consuetudinem* hanc *Sermonis* laudabilem vocari *cõsensum eruditorum*, sicut *viuendi consensum bonorum*. 37. *Vitari* velit à Pueris *Plebitatem*, seu *Vilitatem*, amplectiq; *Dilectum*, siue *Elegantiam*; inter enim ipsas Latinas voces, loquendiq; genera a Latinæ linguę Auctoribus vsurpata aliqua præ alijs maiorem habent laudem; pręterquam aliquę voces dicuntur plebeię, quę licet non sint barbarę, imò Latinę, vsurpantur tantummodo ab infimis cuiusq; notę in lingua Latina hominibus. Ad huiusmodi electionem faciendam, docendamq; acri iudicio, studioq; diligenti est opus Grammatico. 38. *Inæqualitatem* etiam vt subterfugiant pueri, omninò curandum. Foueat in illis Orationis Æquabilitatem; ideoque initio saltem multi Auctores etiam e celebrioribus non erunt explicandi, nec illorum lectio permittenda: Si vnà cum Cicerone aliquis legendus, aut axplicandus, ille sit in stylo quam maximè Ciceroni similis. 39. *Cum nullus fermè Latinæ linguæ Auctor* reperiatur, in quo omnes planè latinæ locutionis virtutes perfectè, & semper eluceant, imitari iubeat Grammaticus eas, quæ in vnoquoq; enitent præcipuè; Sic in Terentio maximè laudatur sermonis *Elegantia*, in Plauto *Proprietas*, in Cæsare *Candor*, *Puritasque*, in Cicerone *Æquabilitas*, *& Dilectus &c.* Hos ipsemet pręstitit Cicero in Oratoria Facultate, qui teste *Quintil. lib. 10. c. 1. cum se totum ad imitanionem Græcorum contulisset, effinxit vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis*, qui ibidem monet, ne Præstantissimorum virorum imitatores *proxima virtutibus*, quas assequi velint, *vitia comprehendant*, & plurium *bona ante oculos ponant*, vt aliud ex alio hæreat, quod in quoq; optimum est, si possit, suum facientis. Non qui maximè imitandus, etiam solus imitandus Prius autem vniuersim tradiderat; *Ergo primum est, vt quod imitaturus quisq; intelligat, & quare bonum sciat*: Tum *in suscipiendo onere consulat vires suas*; nam quædam sunt inimitabilia, quibus aut naturę infirmitas non *sufficiat, aut diuersitas repugnet &c.* Docet autem idem lib. 2. c. 8. vt Præceptor *secundum cuiusq; ingenij naturam* Discipulos instruat, & licet pręcipuè ea docere debeat, ad quæ quemq; discipulorum natura compositum videt; adiuuet tamen quæ in quoque eorum inuenerit bona, & quantum fieri potest, adijciat, quæ desunt, & emendet quędam, ac mutet, vitando tamen, *ne & tentet quod effici non possit*(imbecillis quidem ingenijs sanè sic obsequendum est, vt tantum in id, quo

vocat

vocat natura ducantur, ita enim quod solū possunt, melius efficient) & ne *ab ea quod quis optimè facit, in aliud*, cui *minus est idoneus, transferat*. 40. *Iubeat* Ciceronis libros de *Officijs*, de *Amicitia*, de *Senectute*, aliosq; similes faciliores à pueris legi diligenter, ipseq; eos sedulò explicet; Verum maximè & ipse habeat familiares, velitq; omninò à pueris haberi familiares, Ciceronis Epistolas omnes familiares, quas si quis sibi familiarissimas habuerit, non poterit non latinè, non eleganter scribere. Ad earum exemplar velit Epistolas conscribi, earum, quę sum multiplicis generis, subinde præceptis indicatis ex eodem Cicerone desumptis; Simulq; nonnullas exhibendo siue à Plinio, siue ab Aldo &c. editas, ac declarando, qua ratione hi imitati fuerint Ciceronianas. Et in hac quidem conscribendi literas exercitatione diu detinendi Pueri; *tum quia* literarum commercium est illud, quod est frequentius inter homines; *tum quia* non pauci, ac prudentissimi Viri laborant in hoc solum, vt filij sui norint Epistolas conscribere; vident enim hinc honorem, imò & vtilitatem maximam reportari: quę Ars non ita facilis est, ac aliqui arbitrantur: iudicium certè, ingeniumq; non leue exigit; vnde & sapientissimi homines ex vnius Epistolæ Scriptione deprehendere solent, quales sint in Scribente hæ animi dotes. 41. *Pueris interdicat* nonnullorum recentiorum lectionem, qui à linguę Latinæ imperitis, vel parum peritis ad cœlum efferuntur, in quibus nullæ ferme latinę locutionis virtutes deprehenduntur, sed potius vitia, eaq; ingentia; licet quodam sermonis lenocinio, vel quadam sermonis magnificentia, vel insolitis obsoletisque loquendi generibus, vel quibusdam argutijs, ac sententiolis, vel ratione materię (fabulas enim Historicas contexunt) multos ad eorum lectionem alliciant; ingens enim hi Latinę linguę damnum inferunt; imò nec ipsemet Professor, nisi in lingua Latina sit valde versatus, eos verset libros. Pręclarè putauit *Quintil. lib.2 c.5.* Duo genera maximè cauenda pueris. *Vnum ne quis eos antiquitatis nimius admirator in Graccorum, Catonisque, & aliorum similium lectione durescere velit* Præceptor; fient enim horridi, atq; ieiuni. *Alterum, ne recentis huius lasciuiæ flosculis capti, voluptate quadam praua deliniantur, vt prædulce illud genus, & puerilibus ingenijs hoc gratius, quo propius est, adament*. Firmis autem iudicijs, iamq; extra periculum positis suadet, & huiusmodi antiquos legere, sed & nouos quibus & ipsis multa virtus adest. Hinc a *Seneca*, & aliorum, qui eum imitari conati sunt nostris nominatim temporibus, lectione abstinendum omninò illis, qui in lingua Latina proficere velint. *Quintil.* quidē licet asserat lib.10.c.1. multa in *Seneca* probanda, multa etiam admiranda, illumq; in plurimis commendet, à pueris tamen noluit frequenter illum haberi pręmanibus, eo quod in eius elocutione *corrupta pleraq;* atque *eò perniciosissima*,

ſiſſima, quod abundant dulcibus vitijs. Suo tempore, cum ille fere in manibus adoleſcentium foret, ait, placuiſſe *propter ſola vitia, & ad ea ſe quemcunq; direxiſſe effingenda* quæ poterat, ac deinde cum ſe iactaret, *eodem modo dicere Senecam infamaſſe*; ſubditq; *non eruditorum conſenſu*, ſed *puerorum amore illius dicendi genus fuiſſe comprobatum.* 42. *Attendat*; differre locutionem *Venuſtam, Vrbanam*, & *Elegantem*, ſiue *Selectam*. Eſt *Venuſta*, quæ cum gratia quadam, ac Venere dicitur. *Vrbana*, quæ pręfefert in Verbis, & ſono, & vſu proprium quemdam guſtum vrbis, ſiue vt ait *Quintil. lib. 6. c. 4.* in cuius non tam ſingulis dictis, quam in toto colore dicendi nihil abſonum, nihil agreſte, nihil inconditum, nihil peregrinum, neq; ſenſu, neq; verbis, neq; ore geſtuue poſſit deprehendi; *Elegans*; in qua potius aliquę adhibentur voces, quam aliæ, licet alijs eadem exprimi poſſit ſententia. Vt huiuſmodi ſit locutio pueri, elaborandũ à Præceptore; ideoque doceat, vt e vocibus abhibeãtur potius *Primò* Voces *Grandiores*, *& Sonantiores*, hoc eſt, vel *Superlatiuæ* in numero præſertim multitudinis, vel à *Verbis* deductæ, vt Dominatrix, Regnatrix, Regnator, Ductor, *potius quã* Domina, Regina, Rex, Dux; vel *Pollyſillaba*, vel plurium ſillabarum, vt Tempeſtas pro Tempore, Immanis, & Immenſus pro Magnus, Confligere pro Pugnare, Trucidare pro Necare, Perduellis pro Hoſtis; vel *Macroſillaba*, ſeu longarum ſillabarum, hæ enim magis aures implent, vt Princeps, Ferratus &c. potius quam Primus, Ferreus &c. *Secundo* Voces Nitidiores, quas ſcilicet magis nobilitas Romana, quam Plebs frequentabat, vt Cuſtodia magis, quam Carcer; Sorex, quam Mus; Boues, quam Vaccæ; Sæpenumero, quam Multoties; Nuſquam, quam Nullibi; Inter Cęnam, quã Per Cęnam &c. Similiter cum quędam loquendi genera (ſicuti etiam modo accidit in communi omnium idiomate) vſurparentur à Plebe Romana, alia à nobilitate, Ingenuus magiſter ab ingenuis pueris hęc vſurpanda eſſe non docuerit? 43. *Ne vitendas putet, vel tradat* Grãmaticus voces, quas in antiquioribus, & Principibus Latinæ linguę Auctoribus non deprehenderit. Imprudenter faciunt illi, qui circumlocutionibus quibuſdam explicare volunt quoſdam loquendi modos à poſterioribus maximè Philoſophis, Theologis &c. vſurpatos. Sapientibus Viris in ijs, quę ad ſuas ſpectant Scientias, Arteſque, fuit, eſtq; auctoritas nouas imponendi voces, maximè dum illæ in antiquioribus Latinę linguę Auctoribus non reperiantur, vel talium rerum notitia haud ab illis habita. Non exiſtimandum; Ciceronem ipſum eas voces fuiſſe repudiaturum, quas Celſus, Seneca, Columella, Plinius &c. adhibent, dum de Re Medicina, Ruſtica; deq; alijs rebus loquuntur. Multò minùs abſtinendum à Vocibus, quas Eccleſia adhibet in multis v. g. Baptiſmus, Stola, Manipulus &c. 44. Haud putet Grammati-

maticus sibi non Licere verba quandoque fingere. Audiat *Quintil. lib.* 8. *c.* 3. sic dicentem. *Neque enim accedo Celso*, qui ab Oratore fingi verba vetat; nam cum sint eorum alia, vt dicit Cicero, natiua, idest, quæ significata sunt primo sensu, alia reperta, quæ ex his facta sunt; vt iam nobis ponere alia, quam quę illi rudes homines, primiq; fecerunt, fas non sit; at deriuare, flectere, coniungere, quod natis postea concessum est, quando desijt licere? Et si quid periculosius finxisse videbimur, quibusdam remedijs pręmuniẽdum est; Vt *ita dicam, Si licet dicere, Quodammodo, Permitte mihi sic*. Quod idem etiam in ijs, quę licentius translata erunt, proderit, quæ non tuto dici possunt: In quo non falli iudicium nostrum sollicitudine *ipsa manifestum erit*. Non tamen quiuis Grammaticus, vel etiam orator, vel qui se Latinæ linguę peritum profitetur, hanc sibi voces fingendi Potestatem vsurpet, Vsitatis quidem tutius vtimur; noua non sine quodam periculo (vt ait idem *Quintil. lib.* 1. *c.* 9.) fingimus. Est verum quidem Ciceronis dictum, *Multa quæ primò dura* videri queunt, *vsu molliri*. Ad hæc legat Grammaticus *Q. Marium Corradũ* in libris *de Copia latini Sermonis* Virum multiplici scientia instructissimum (cui tamen nonnulli Grammaticæ Professores se infensissimos exhibuerũt, vt videre est in Epist. libris illis affixa ad Archiep. Salernit.) qui adeò accuratè ab illo conscripti sunt, vt si homines docti monitis eius vti animum inducãt, linguam Latinam mox locupletiorem habituri simus, vt inquit Clarissimus Vir *Comes Scioppius*, sub nomine Paschasij Grosippi de *Rhetor. Exercit. Generib.* 45. *Obseruet peculiariter*, primo natiuam, siue primigeniam cuiusq; vocis significationem, nam hæc videtur vnica; tum quæ per tropum accesserunt; varias eiusdem vocis significationes apud Auctores; multarum vocum inter se connexionem: Videbit enim voces has cum tali significatione hanc syntaxim petere, aliam cum alia significatione; has aptiùs, & elegantius inter se iungi &c. nec minus studium impendat in notandis vocibus, quæ ad quamlibet Artem, vel Scientiam spectant, vt quæ ad Artem Militarem, Sutoriam, Culinariam &c. eas potissimè desumendo ex Auctoribus illustribus, qui de illis egerunt. In libris enimuero Ciceronis Philosophicis plurimas deprehẽdet voces, quibus explicantur multa, quæ à Philosophis modo dicuntur; quarum loco si Philosophi alias subrogauerint, Grammaticus cum Philosophis differens, vel loquens de Philosophicis, ab illis iam receptas vsurpet, alias vsurpet quę à Cicerone, vel alio præcellenti Auctore propositæ, dummodo tamen ita perfectè res explicent, ac illæ, quę à Philosophis subrogatę: Ad quod referri potest quoq; illud *Quintil. lib.* 8. *c.* 3. *Non debet quisquam, vbi maxima rerum momenta versantur, de verbis esse sollicitus*. Verùm nõ passim habeat fidem illis, quæ reponuntur in Dictionarijs, Calepinis,

Lexicis

Lexicis &c. *Tum quia* errant quandoq; in iudicio Auctorum, e quibus voces desumunt, generaque loquendi; cū aliqui eorum Scriptores inter imperfectos numerent *Plautum, Terentium, & Lucretium*, inter perfectos, & elegantes *Varronē*, ac *Salustium*, inter postremos, ac deficientes *Valerium* Maximum, *Senecam*, & *Curtium*: *tum quia* sępè falluntur, dum plura nomina adiectiua habent pro substantiuis, & pro Aduerbijs plura quę sunt nomina: *tum quia* nonnulla afferunt, quæ minimè Latina sunt, ac in nullo satis idoneo Auctore extant: *tū quia* perperam multa Latina interpretantur: *tum quia* vitiosa Auctorum exemplaria in nō paucis sequuntur eorum verba recitantes. Legatur ad id elegans Epist. *Mari Ang.* à Fano in Auct. ad Leonar. Pap. qui refert Lexici latini Vitia, & quæ illi addenda forent; profertque, quale illud esse deberet. Vtinam aliquando prodeant in lucem Tria linguę Latinę *Promptuarij* Volumina iam à *Comite Scioppio* Scripta, quæ miram Latinæ linguę Professoribus, in qua enimuerò ille excelluit mirificè, vtilitatem afferent; aliorum enim errata corrigit, & multa, quæ desiderantur, addidit. 46. *Curet habere* ipse, tum vt Auditores habeant linguę Latinę Auctorum libros, quam emendatissimos: inter cæteros laudantur, quibus manum *Gruterus* admouit. Si Ciceronis libri omnes illius, & *Iani Gulielmi* industria, & iudicio recogniti lucem aspexerunt publicam, illi maximè emendi. Verbis explicari nequeunt incommoda, quę attulerunt, afferuntque deprauati linguę Latinæ Auctorum libri. 47. *Sillabarum* quantitatem, siue Dimensionem exactè norit, doceatque diligenter, licet Auditores sui non habeant ad Carmina genium, neque Poesis præcipuarum saltem specierum pręcepta illis tradere debeat. Vberem risus materiam præbent, vel leuiter peritis nonnulli; ac nominatim Clerici, Sacerdotesque in Ecclesijs, nonnullas incongruè proferentes voces. Attendat autem *Mari Ang. in Auct. Ep.* 9. ex Grosippo asserere; *Potestatem quidlibet audendi*, de *qua loquitur Horatius*, Poetis concessam *ad res ipsas, non ad verba, nec earū quantitatem pertinere.* Verba quippe valent, vt nummi &c. In hac autem silbarum dimensione peritissimum fuisse *C. Gasp. Sciop.* satis declarat tùm Epistola illa, tum quę in fine Auctarij tradit de *Versibus Comicis* peculiariter, ac de *Dimentione*, seu *Scansione* versum Comicorum. 48. *Cum omnis* loquendi ratio quatuor innitatur fundamentis à Cicerone. 3. de Orat. enumeratis hisce verbis, *Prætereamus præcepta loquendi, quæ puerilis doctrina tradit & subtilior cognitio, ac ratio literarum alit, aut consuetudo quotidiani sermonis, ac domestici libri confirmant, & lectio Veterum Oratorum, ac Poetarum*: Quę verba Grosip. in lit. Parad. Ep. 3. à pag. 17. ad 22. latè explicat: illud peculiariter tamen animaduertat, in his omnibus locum habuisse apud Latinos figuram *Ellipsim*, per quam scilicet ad legitimam Con-

ſtructionem deeſt Vocabulum vnum, aut plura. Valde proficua ad multorum intelligentiam, imò & neceſſaria plurimis ſunt, quæ circa illam tradit *Groſip. in Gram. Philoſ.* à pag. 54. ad 85, ac in *Rudimentis eiuſdem Gram.* à pag. 94. ad 114. quam in Auct. Ep. 5. monet, à nemine fingendam, ſed conſuetudinem ſequendam, ſicut & in cæteris figuris. 49. Quę *de Vetere Romanorum Scriptura* tradidit *Fridericus Silburgius*, quæ de *Orthoepeia*, ſeu Recta literarum latinarũ Pronunciatione *Groſip. in Auct. Annot.* ad Gram. Phil. à pag. 149. ad 198. docet, vna cum illis, quæ circa Ortographiam *Aldus*, alijque recentiores tradiderunt habeat perſpecta Grammaticus, vt pueri rectè tum pronunciare, tum legere, tum ſcribere norint. In his autem omnibus probatę ſtet modò conſuetudini; & dum oppoſitæ eruditorum hominum conſuetudines forent, ſtet illi, quæ videtur probabilior, innixaque antiquiorum celebriorum Latinæ linguę Auctorum; Cum haud conſuetudinis nomen ex eo quod plures faciunt ſumendum ſit, nec in reprehenſibilibus conſuetudo admittenda. *Neque hæc*, aliaque ſimilia paruo in pretio habeat parum prudens Grammaticus: nam alioquin ſe valde imprudentem, & in ijs quæ ad Grammatici munus ſpectant, valde imperitum ſe declararet. Legat illa, quæ *Quintil. lib.* 1. *c.* 1. 4. v. 6 7. 8. 9. 11. *lib* 2. *c.* 2. *ac* 3. tradit peculiariter pro Grammaticæ Profeſſore, & quanti hæc momenti, cognoſcet: E quo hæc noſtris etiam temporibus peculiare monitum valde accommodatum hic peculiariter ex c. 1. deſcribendum. Non eſt *aliena res*, inquit, *quæ ferè ab Honeſtis negligi ſolet*, cura bene, ac velociter ſcribendi. Nam cum ſit in ſtudijs præcipuum, quoque ſolo verus ille profectus, & altis radicibus nixus paretur, ſcribere; tardior ſtylus cogitationem moratur, rudis & confuſus intellectu caret; vnde ſequitur alter dictandi, quę ex his transferenda ſunt, labor. Quare cum ſemper, & vbique, tum præcipuè in Epiſtolis ſecretis, & familiaribus delectabit ne hoc quidem *neglectum reliquiſſe*: Hæc ille; qui integro cap. 7. poſtea docet, quę ſcribentibus cuſtodienda. 50. *Aliquos Eruditionum libros* perlegat, ſine quibus enimuero nec multos Oratores, Poetas, ac Hiſtoricos intelligere, multoque minus eos pueris explicare, aut multas Scriptiones Auditorum vtilitati cõgruas tradere poterit. *Attendat autem*, ſi hi eruditionum libri conſcripti ſint ab hominibus Tranſalpinis, Latinę illos locutionis ſæpiſſimè laborare vitijs, ac potiſſimum Inæqualitate, vt *Groſip.* ipſe in *Lit. Parad. Ep.* 5. licet Tranſalpinus, ingenuè fatetur pro more, *id quod minus*, inquit, *quam Itali iudicio valeant.* Hi enim, quòd exactiſſimi iudicij *eſſe Fabius* rectè cenſet, qui ſit in vnoquoq; genere optimus, ſumunt imitandum, tum vt quiſque eſt optimo ſimillimus. Ita Poetæ *Virgilium, Horatium, Lucretium, Catullum, Tibullum, & Propertium*, tanquam ętate coniunctiones, & interſe

ſimi-

similiores dignos demum censent, ad quorum exemplum in scribendo conformentur. Qui verò solutę orationis laudem animo affectant. *Ciceronem, Cęsarem, Cornelium nepotem, & Liuium*, quosque Cicero deterso antiquitatis squalore imitandos ipse censuit, *Plautum, & Terentium* exprimere conantur. Reliquos tanquam istorum dissimiliores, ex eoque deteriores (quod nō fere ne ipsi quidem inficiātur) aut prorsus missos faciunt, aut hactenus tantum cognoscunt, vt ex ijs excerpant, quæ ex multo superiorum vsu eius esse notæ iudicant, vt ea ne Cicero quidem dedignaturus. fuisse videatur. Hinc porro euenit, vt longè plures vna Italia, quam cętera Europa, produxerit seu solutę, seu pedibus illigate orationis laude insignes, quorum non paucos ne Ciceronis quidem, & Virgilij *atas aspernetur.* Hactenus eruditissimus *Grosippus*; qui postea asserit, licet *Itali omnes Europeos iudicio superent plerumq;* tamen esse *pessimos* Latinarū *Literarum* Iudices (quod quidem per se difficilius, quam bene latinè scribere) eo quod nemo de illo quod cognitum non habet, exploratè, liquidoq; iudicare potest; & fieri quandoque, vt illi elegantissimam, ac purissimam cætero. qui orationem ijs vel verbis, vel loquendi generibus inquinent, quæ ipsis aut malorum librorum lectio, siue hominum non satis doctorum vsus, seu denique Vernaculi Sermonis idioma necopinantibus affricuit; quod fortassis effugerent, si aut ipsi plura legissent, & obseruassent, aut se suaq; minus amarent, nec eos quos plus eruditioni, quam eloquentię, & ornatui operæ tribuisse norunt, consulere fastidirent. *Ex his videre est*, grauiter illos peccare Grammaticos, qui sine accurato dilectu ex eruditorum celebrium libris (in quibus Transalpini enimuero homines potissimam sibi vindicant laudem) ediscunt Latinam locutionem, eorumq; sermoni volunt esse consonam Auditorum locutionem. Si nonnulla ex illis decerpenda videantur, illa plane Latina reddant ipsi primò, ac deinde plane Latina velint reddi ab Auditoribus: & si fermè semper laudabile foret, vt quamlibet scriptionem, quā vellet latino consignare sermoni, ante ipse primùm Latinam redderet, etiam illam describens, ac iuxta illam corrigeret Auditorum scriptionem; multò magis id pręstandum, dum huiusmodi scriptio desumeretur ex huiusmodi eruditis libris, qui multis Latinę linguę vitijs forent coinquinati, ac legitimę Latinę locutionis laude apud peritos carerent. Caueat quoque, ne horum frequentans lectionem, horum vitijs suam locutionem, aut scriptionem aspergat; ideoq; post eorum lectionem Ciceronis, aut Cęsaris &c. Lectioni aliquod temporis spatium tribuat.

Cum Grammatici sint linguæ Latinæ Custodes, pretiosi thesauri se Custodes esse prorsus arbitrentur, adeoque, ne vlli vel illum auferant, vel imminuant, sollicitè curent. Quanto Latina lingua habenda

ſit in pretio, oſtenditur in *Libris ex de Sacra latinitate*, hoc eſt, de *Varijs* Latinæ *linguæ miſterijs ex Origine, Progreſſu, Fine* cęteraque *Inſtituti ſui Ratione, ad Euangelij Prædicationē, Lat. Eccl. Exaltationē, Romaniq; Imp. Maieſtatem ſpectantibus* impreſſis *Meſſanæ* in 4. 1635. iterūq, *Monachij* in 8. 1638. Quorū Auctor fuit ex illuſtri Societate Ieſu P. *Melchior Incofer*, natione Germanus, patria Viennenſis, Vir (vt habet P. *Philippus Alegambe in* Catal. *Script. Soc.*) multiplici doctrina clarus, qui Iuriſprudentię dedit operam non pœnitendam, priuſquam in Societatem veniret; in eaq; Philoſophiā, Matheſim, ac Theologiam tum Moralem, tum Scholaſticam diu Meſſanæ *cum laude* Profeſſus eſt. *Luculenta* eiuſdem *Encomia* addidit S. Indicis Congregatio, cum decreto ſuo dedit illi P*oteſtatem* iterum imprimendi librum, cui modò titulus C*oniectatio ad Epiſtolam D. Mariæ Virginis ad Meſſanenſes*, editum Viterbij 1633. ac illi demendi, & addendi, ſi quæ viderentur, liberam, & amplam facultatem, vt teſtatur idem P. A*leg*. ex Chirographo, quod ipſe vidit, Reuerend. S. Congregationis Secretarij *Fr. Io. Bapt.* Ma*rini Ord. Prædic.* Qui & addit; P. Melchiorem Romam Meſſana vocatum, eam facti ſui rationem S. Congregationi Indicis redidiſſe, vt ſua *moderatione beneuolentiam omnium promeritus* ſit, & eam de ſe exiſtimationem apud omnes pepererit, quæ merito videri poſſit hanc eiuſdem ad S. Congregationem Vocationem ipſi occaſionem fuiſſe *maioris opinionis, & laudis* in luce comparandę. Et ab hac quidē C*ongregatione* Conſultor Theologus electus eſt, ac Summo in amore, ac honore propter illius ſapientiam ſingularem, eruditionemq; nominatim Sacram, integerrimoſq; ac ſinceriſſimos mores à Romana Curia habitus fuit ſemper; ac multis in rebus operam nauaſſe vtilem Romę affirmat idem P. A*leg*. Romę quidem perfecit decem libros, quos Prælum expectare idem aſſeruit, publica digniſſimos luce: Dum alios tres pararet (de quibus quoque meminit idem P. Aleg.) & Confeſsarij munus, tum Patrum Societ. (quorum etiam Confeſſiones in Domo Profeſsa plurium ſpatio annorum exceperat) tum Alumnorum Collegij Germanici, & Hungarici obiret ad S. Apollinaris, aliquorum opera in carcerem coniectus Menſe Ianuario 1648. indeque paulo poſt dimiſsus ſummo cum honore Mediolanum libens profectus in nobili Societatis Academia Sacras interpretans Literas, abijt, vt piè creditur, ad Cælum, immortalique modo fruitur gloria, vnà cum *S. Ignatio* ſuæ Societatis Prudentiſſimo, ſimulq; Sanctiſſimo Fundatore; à quo præſcriptæ leges vt integrę ſeruarentur omnes, & non tantum, quæ ad quoſdam ſpectarent (nam ſecus intolerabile fieret horum onus) vehementiſſime ſemper optauit, dum inter ſuos in terris degeret, exiſtimans id eſſe in votis quoque Sanctiſſimo Patriarchæ; *Quem ſui Ordinis amantiſſimus* in

dies

dies enixè fertur rogasse, vt redderet, vel seruaret Primigenium suę Societati spiritum, vt quem Christianę, & Catholicę Religioni Primi Societatis Patres fructum attulerunt ingentem à vitijs omnibus Spiritualibus, ne dum Carnalibus remotissimi, subsequentes semper reddere possent, longissimè à se ablegantes crimina nominatim Superbię, cęterisq; Religiosis Ordinibus, etiam Antiquissimis nominatim, se pręferendi; Alienorũ Cupiditatis Bonorum; Propriorum Amoris Commodorum; Odij in alios immortalis; Detractionis cuiusq; speciei; Rerum sęcularium Tractationis: Politicę Artis, quę illos impelleret ad Artes, ne dum Religioso, verum & Ingenuo homini non congruas excogitandas, ac adhibendas, quibus omnibus, & in omnibus dominari vellent; cogerent nonnullos ad concedenda sibi quędam, vel minus ęqua, aut ipsis concedentibus non grata; perterrefacerent etiam illos, penes quos est *gladius ad vindictam malorum*, ne quid minus ipsis gratum facerent, ac impellerent, vt se infensos, minusue beneuolos se exhiberent alijs cęteroqui eorum amore dignissimis, quos ipsi odio, aut animo non æquo prosequuntur: ac ne vnquam speciem suis animi motibus prauis, vel non satis Euangelicę Perfectioni, & à Christo commendatissimę Caritati in Proximos consonis speciem *Maioris gloriæ Dei* (quam verè sibi Sanctissimus Fundator sibi propositam habuit, vt e pijssimis illius moribus apparet) vel *publici boni* obtenderent &c. Hęc in amicissimi Viri, qui me Romam anno 1644. adeuntem, licet non antea sibi notum, humanissimè excepit, iam demortui *Gratiam* dicta sint (Cuius laudes quoq; commemorat in *Bibliotheca Mariana* Partibus Duabus editis Romę 1648. quo anno in vincula fu t ille detrusus, P. *Hippolytus Maraccius* e Pijssima Congregatione *Clericorum Regularium Matris Dei* qui inter cętera habet, *Eum esse virum multiplici doctrina*, ac *omnigena Virtutũ panoplia clarum*; & in fine, *Claret vsque hodie in Vrbe Vir omni eruditione suspiciendus, & continenter lectioni, & scriptioni vnà cum pietate operam nauat &c.*) simulq; de Latina lingua optimè meriti.

Libri sub nomine Pascasij Grosippi, quorum fit mẽtio in hoc cap. duo sunt. 1. Continet Mercurium Bilinguem; Grammaticam Philosophicam; Institutiones Grammaticæ Latinæ; Sintaxim a car. 24. vsq; ad 144. Auctarium Annotationũ; Paradoxa Literaria. 2. Rudimenta Gram. Philos. Instit. Gram. Lat. Merc. Bil. Mari Angeli à Fano Benedicti Auctarium ad Gram. Philos. eiusque Rudimenta. Hic 1629. ille 1628. Mediolani impressus apud Io: Bapt. Bidellium.

Laus Deo, B.V. Angelo Custodi S. Petro Martiri S. Antonio Patauino S. Bonauenturæ S. Catarinæ Senensi, ac S. Ignatio.

Fol. 44. lin. 12. 13. Multa Medici solent tradere, *Immuta* Multa solent tradi circa. Fol. 49. nu. 35. *Immuta*. Ita horas studio tribuat opportunas, hoc est, matutinas, siue sub Auroræ, vel saltem Solis Ortum, & nocturnas ante cænam hyemalibus mensibus, & pomeridianas, siue sub vesperas æstiuis, vt in summis frigoribus, & maximè in summis caloribus, & Canicularibus nominatim diebus, aliquid studij detrahat, vel mitioribus, minusque laboriosis vacet studijs: Non verò ad restaurandos speritus protrahat vltra vnam, vel ad summum horas duas studium, quin aliquantisper illud intermittat cum aliquo colloquens, vel e fenestra transeuntes per viam prospiciens, vel oculos conuertens in viridarium, hortum &c. Fol 161. nu. 48. *Immuta*. Attendat; cum aliud sit, esse Disertum, aliud esse Eloquentem, enitendum oratori, vt sit Eloquens; nam eo ipso Disertus erit: Si autem Diserti vt sic laudem reportauerit, laudes maximas, quæ Eloquenti tribuuntur, haud se assecuturum. Legatur Cic. 1. de Orat. & Quintil. Poem. lib. 8. & 12. Diserti, ac Eloquentes fuerunt præstantissimi quique Oratores. Id vt assequatur, non Asiaticum, non Laconicum, sed inter vtrumq; medium, siue Atticum sermonem potius sequatur. Fol. 228. lin. 5. post *ly* sæculis *Adde* (nisi agatur de veris Catholicæ Fidei Dogmatibus.)

Pag. 77. a l. 32. *& ex hoc* vsque ad ly *editus est*, sic Immuta (& munus quidem nominatim Theologiæ Professoris alijs ob ætatem, ac merita anterioribus, nec ingenio forsan posterioribus deberi videbatur; illudque re vera obit, & cum minori non paucorum in Scholastica vera Theologia profectu, & cum multorum mærore, ea potissimè de causa, quod nonnullorum, ex auditoribus suis etiam, priuatas foueat familiaritates contra id, quod expresè volunt Institut. 7. nu. 3. Monit. Gener. n. 12. ordin. Prep. Gen. c. 24. & omni contentione, atque opera obtestatur Professores peculiariter Reuerendis. P. Vitell. in lit. ad Vn. Soc. 2. Ianuar. 1617.) *editus est*, inquam,

Pag. 96. l. 5. *nec* vsque ad *Instar* sic Immuta. *nec* pedestres censerent omnes versus ab illo scriptos grauioribus curis detento illi, qui ex animo diligunt eos, quorum laudes ipse votiuo carmine celebrat pro merito, non mordente tandem, si attentè voces omnes, ac periodi perpendantur (addunt nonnulli, adulante etiam, vt vehementius mordeat) *instar ipsius*,